Fa 41
D 101

Daniel Rapoldus Sibi, & filijs philom.
sis. 1577.

Fa 41

visonius Richter Professor.

PRIVILEGIVM
CAESAREAE MAIESTATIS.

MAximilianvs Secundus, diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Rempublicam bene & rectè constitutam, non tam armis, mœnijs, & propugnaculis, quàm litterarum studijs, & viris rebus agendis aptis & idoneis munitam esse decet. Animaduertentes autem ad conseruandas & propagandas bonas artes ac seminarium quasi virtutis constituendum & retinendum operas typographicas plurimum adiumenti conferre: Ideo non eos solùm, qui Reipublicæ domi aut foris prodesse vel hostium iniurijs propulsandis, vel pro Tribunali Ius & Iustitiam administrando, quietem & tranquillitatem publicam tueri solent; sed etiam in primis existimamus fouendos, qui rei litterariæ curam suscipientes non de nostra solùm ætate, sed de posteris etiam bene mereri nituntur.

Cùm igitur nobis expositum sit, nostri & Sacri Imperij fideles dilectos M. Franciscum Hogenbergium & M. Simonem vanden Noeuel, nec non M. Georgium Bruin, non sine multo laborum tædio & graui sumptu, Ciuitates Orbis Terrarum accuratissimè delineatas, ac alia quæ ad earum originem & historiam spectarent, summa diligentia collegisse, atque constituisse illas Ciuitatum delineationes cum historica enarratione, ad communem rei litterariæ vtilitatem in Publicum edere, deterreri autem sinistris æmulorum artibus, qui falcem in messem alienam inijcientes ex aliorum laboribus priuata commoda venari soleant, nobisque proinde humiliter supplicatum sit, vt pro nostra in litterarum studia & Musarum alumnos affectione, ipsis clementer subuenire, Cæsareaque auctoritate nostra nimiam illam æmulorum licentiam benignè coercere dignaremur. Quibus quidem precijs gratioſe admissis, præsentium vigore, scienter, animoque bene deliberato & Cæsarea auctoritate nostra serio decernimus & statuimus, quod nemo pictorum, sculptorum, cælatorum, typographorum, bibliopolarum & aliorum, qui vendendis vel imprimendis libris, seu quacunque alia ratione librariam negotiationem exercent, æmulisque opus illud imitaturis, pingendis, sculpendisve, aut alio quovis modo exornandis atque illustrandis imaginibus & tabulis vsui vel auxilio esse possunt, memoratam M. Francisci Hogenbergij, M. Simonis vanden Noeuel & M. Georgij Bruini Ciuitatum Orbis Terrarum descriptionem, delineationibus & historica enarratione illustratam intra decennium ab editionis absolutæ die numerandum, coniunctim, vel diuisim, ipsis inscijs aut inuitis nec typis nec sculptura seu quocumque alio modo, aut charactere, æmulari aut imitari, vel aliunde allatum intra Sacri Romani Imperij fines vendere ac distrahere publicè vel occultè possit aut debeat. Si quis autem præsens edictum nostrum transgredi aut violare, memoratumque opus recudere & in fraudem auctorum spargere conatus fuerit, eum non solùm huiusmodi libris tanquam commissis & prædictis Francisco Hogenbergio, Simoni vanden Noeuel, ac Georgio Bruin, vel hæredibus aut mandatum habentibus, auxilio Magistratus eius loci, vbi deprehensi fuerint, vendicandis priuari, sed insuper etiam pœna decem Marcarum auri puri fisco nostro Imperiali, fraudis vindici & parti læsæ ex æquo soluenda & numeranda mulctari volumus. Mandantes vniuersis & singulis nostris & Sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus cuiuscunque status, gradus, ordinis & conditionis exstiterunt, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo vel superiorum suorum loco & nomine Iuris & Iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium seu interdictum nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur. Sed si quos contumaces compererint præscripta pœna plecti, & quibus cuius rectè fieri potest, modis coerceri curent, quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus litteris manu propria subscriptis & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in Ciuitate nostra Vienna die vigesima octaua mensis Augusti, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani decimo, Hungarici nono, Bohemici vero vigesimo quarto.

Maximilianus.

V. Io. Bap. Weber.

Ad mandatum Sac. Cæs. Maiestatis proprium

Obenburger.

349. 417.
MUZEUM PIASTOWSKIE
Muzeum w Brzeg
Nr Inw. 1693

BIBL. N.D. SL.
NR INW. S/253
SYGN. 3656

IMPERATORI CAESARI MAXIMILIANO II. P. F. AVGVSTO INVICTISSIMO,

ET REVERENDISS. ILLVSTRISSIMISQVE SACRI ROM. IMPERII SEPTEMVIRIS PRINCIPIBVS ELECTORIB.

DANIELI MOGVNTINAE, SALENTINO E COMITIBVS AB ISENBVRG, COLONIENSIS, IACOBO TREVIRENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPIS, FRIDERICO COMITI RHENI PALATINO, AVGVSTO SAXONIAE DVCI, IOANNI GEORG. MARCHIONI BRANDEBVRGENSI, MAXIMILIANO BOHEMIAE REGI, CLEMENTISSIMIS GRATIOSISSIMISQVE PRINCIPIBVS,

GEORGIVS BRVIN, SIMON NOVELLANVS, FRANCISCVS HOGENBERGIVS DED. CONSECRANTQ.

ALEXANDRI GRAPHEI
A SECRETIS AMPLISSIMAE REIPVB. ANVERPIANAE IN ORBIS TERRARVM CIVITATES COLLOQVIVM.

INTERLOQVVTORES
THAVMASTES, PANOPTES.

Thaumastes. AT quæ rara meis nunc ô pulcerrima rerum
Subijcitur facies oculis? miranda repentè
Vnde hæc, hæc vnde in terris apparet imago?
Ecquid portendit subita hæc mutatio? nam quæ
Mortales hebetat visus caliginis aura,
Prospectumque oculis dudum quæ crassa tuenti
Eripit, en penitus nostris absterſa recessit:
Hinc mentem, cunctosq; nouus stupor occupat artus.
Quid referam? an fallax oculos sic ludit imago?
Non hercle: video, dictu mirabile, claris
Luminibus, nostro atque alio sub sole iacentes
Subiectas terras, mediisque impostaque terris
Oppida, & haud notas nobis sine nomine gentes:
Regnaque, sunt longè nostris quæ dissita regnis:
Collibus impositas arces, turresque superbas,
Cælicolûm delubra Deûm, fora plena tumultus,
Marmoreasque domos, operosa palatia Regum
Magnorum, longarum amplissima strata viarum,
Littoraque, & celsos curuato fornice pontes,
Et portus, pictis naualiaque apta carinis.
Nec videor minus ante oculos hæc cernere, cæli
Iupiter astrigero quàm cùm sublimis ab axe
Despicit, atque imis defigit lumina terris
Desuper adspectans, cùm res, hominumque labores
Respicit, & rerum curam cùm concipit omnem.
Ecce autem, & notas, nota in regione, vel ipso
Momento, cunctas Belgarum lynceus vrbeis
Cerno: quas inter, felici illustria partu
Carole Gandauæa tuo ter maxime lata
Mœnia conspicio: bene noto nomine Brugas,
Mercibus & quondam externis, opibusq; potentes:
Bruxellam altricem Regum, sedemq; vetustam:

Et quam florentem studijs atque arte Minerua
Præstanti, & meritò dulces ante omnia Musæ
Delegêre sibi. hîc mirè splendida nuper
Regifico luxu, Dia Andouerpa, superbo
Luxurians fastu, insigni celeberrima cultu,
Nympha Europæo longè gratissima cælo;
Et quæ tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi:
Squalida nunc, omni penitus spoliata decore,
En iacet, informi vultu, turpique veterno
Obsita, scissa comas, referens vix virginis ora,
Indignis lacerata modis: hinc turbidus imis
Flexiuagus placidum Scaldis caput occulit vndis.
At licet ærumnis præsentibus obruta magnis,
Innumerabilibusque malis pessundata, penè
Succumbat defessa: tamen quandoque procellis
Insanis, tenebris, & tempestatibus atris
Depulsis, procul & claro mox Sole reducto
Lumine, tempus erit, res est certissima, fallet
Haudquaquam, rursus cùm ceu rediuiua resurget,
Attollensq; caput celsum sub nubila condet,
Et proiecta solo nunc marcida serta, decoræ
Ceruici variata rosis reparata reponet.
At mihi quis reliquas vrbes, quas vndique cerno
Hîc illic sparsas, nullo mihi tempore visas,
(Nam nunquam externas abij peregrinus ad oras)
Expediet? venit huc properans, en, fortè Panoptes,
Hoc poterit: namque is, passim toto orbe vagatus,
Plurima narrauit, quæ oculis lustrauit acutis.
Ergò opportunè nobis te, care Panopte,
Offers: dic age, & hæc edisſere vera roganti.
Hæc vrbs est quænam, celebres quæ amplissima colles
Mœnibus includens septem complectitur altis?
Pan. Dicam equidem, neq; suspensum te amicè tenebo:
Hæc, tibi quæ ostendit Pario viuoque columnas
Marmore surgentes, & templa ex ære columnis
Magnifico sumptu suggesta, palatia celsis
Diuorum templis certantia celsa, Theatra
Ardua, Thermarum vestigia prisca, ruinas
Murorum ingentes, veterum monumenta virorum:

Hæc eſt illa potens rerum Roma, inclyta bellis,
Et quondam auguſtis Mauortia clara Triumphis:
Hæc regna imperio preſsit, populosque ſubactos
Frenauit, totum victrix dominata per Orbem.
Thau. *Quis verò ille amnis, gratis qui flexibus errat,*
Culta rigans? Pan. *eſt hic, dictus quondam Albula, Tybris:*
Cæruleus Tybris, cælo gratiſsimus. Ille,
Ecce, eſt præcipiti Florentia nobilis Arno,
Ter quater ingeniis felix, ſpectabilis altis
Turribus: hæc Senæ celſa ſunt mœnia: Parmæ
Armigeræ ſunt hæc, prædiuitis vbere gleba.
Parthenopen hac parte vides: hac parte capaci
Inſignis portu frondoſis collibus Ancon
Cernitur: hîc celebris latis Ferraria campis
Apparet. dites Ligurum, Inſubrumq́ potentum
Sint vbi, quóve loco poſitæ, ſi fortè requiris,
Primæ vrbes: eſt, nónne vides? hîc altera: at illic
Altera. ſed video geminam quò luminis acrem
Intendas aciem: nónne huc? ſurgentia cælo
Hîc vbi ſe tollunt multa arte palatia, tecta
Regia, ceu medio in pelago molimine magno
Conſtructa, ac fabricata manu, fundamina magni
Neptunni, immota loco perſtantia, quamuis
Æſtuet, atque imis vdas eructat arenas
Sedibus iratum pelagus? terraq́ mariq́
Vrbs hæc eſt Venetûm, longos dominata per annos.
Hîc Drepani portus, tuta hîc ſtatione Panormus:
Hîc Mamertini quæ mittit munera Bacchi.
Ecce, Tridentinæ lætis in vallibus arcis
Hîc ſurgunt turres: montoſa, atque aſpera magnos
Hîc biſſex vnum & pagos das cernere clarè
Heluetia, æternûm firmatos fœdere certo.
Dulcibus hîc ſtudijs, & mire dedita Muſis
Argentina ſacris: illic, Auguſta, per Orbem
Cognita terrarum, celeberrima, nomine verè
Req́ auguſta, Lyco gaudens. pulcerrima, latis
Mœnibus, ingeniis operoſæ addicta Mineruæ
Acribus inprimis, hæc Noriberga: vetuſtis
Sedibus, en, illa eſt, diues Wormatia campis
Fertilibus, Procerum celebris conuentibus: illi

Quæ

Quæ vicina iacet, laudata eſt Spira; liquores
Dulcia nectareos quæ fundit vina, perita
Sacroſanctarum Legum. Thau. *Quæ deinde Panopte*
Vicinæ hæ vrbes, præclaris mœnibus ambæ,
Ambæ illæ eximiæ? Pan. *rogitas? harum altera, Rheni*
Quæ poſita ad ripas, eſt dicta Maguntia: magnam
Hanc ſtatuit molem quondam Germania victrix:
Manſura hæc poſuit Druſi monumenta ſubacti.
Thau. *Ergò hæc, quam perhibent populis q̃ orbiq́ dediſſe*
Infanda arte typos arguto ex arte, perenne
Diuinumque opus, inuentum admirabile, viſum
Haud vnquam? Pan. *illa ipſa: æternùm cui plurima debet*
Poſteritas olim tanto pro munere. Thau. *dic nunc*
Altera quæ? Pan. *dicam: rapido eſt Francfordia Mæno*
Nobilis, excellens claris virtutibus: illa
Regales generoſe tibi dat Cæſar honores,
Sceptraque promittit, ſacri Imperijque tiaram.
Thau. *At nobis nondum eſt conſpecta Colonia.* Pan. *cernes,*
Huc paullum deflecte oculos: celeberrima longè
Hæc, Agrippinæ ducens de nomine nomen,
Eſt: hanc felicem dicunt, meritoque beata
Dicier illa poteſt, ſi vel reſpexeris alta
Mœnia, ſi turres, excellentesque domorum
Structuras, cælo ſurgentia tecta Deorum,
Relliquias Diuûm quibus eſt dotata: bicornis
Si vel dona ſinu Rhenus pater ampla patenti
Quæ fundit, opere aut feruentia ſtrata viarum.
Hæc ſint magna licet: tamen eſt felicior illo.
Nomine, quòd tam felici Respublica ductu
Tanta eat, & placida populus quòd pace fruatur
Felix, ante alias felix Vrbs: ſcilicet, iſtis
Temporibus duris, quòd ſemina dira malorum
Innumerabilium, quòd mille incommoda rerum,
Deplorandarum ſat nunquam, haud ſenſerit: ipſa
Liuida Fortunæ quòd non experta furentis
Tela: nec, vt plures aliæ, quas ſæua fatigans
Exercet Nemeſis, duros eſt paſſa labores:
Conſilijs moderata pijs, virtute ſuprema,
Arte Salentini, *ſupremi Antiſtitis, alti*
Illius Herois, claro de ſanguine creti

Ysenburgorum Comitum: Groppere *salubri*
Consilio qui primus ades: te docta Minerua
Erudijt, tibi sacrosancta volumina Legum
Nosse dedit, Sophiæ & iocundos ire per hortos.
Hæc eadem, auspicijs magni moderata Senatus,
Alma viget: cuius pars est non infirma, multo
Eximius splendore, vigil Liskirchius, *æquis*
Legibus is populum & iustis consultus habenis
Iustitiæ regit, & prudens nunc temperat vrbem
Consul: is & Musas mirè complexus, & arteis,
Et fouet, & colit ingenuas: queis dulcia cordi
Carmina, laurigero qui Phœbo digna locuti,
Hos generosus alit, diuino & nectare pascit.
Nec minus has decies olim molitus habenas
Est Sudermannus *magna cum laude, probata*
Et pietate grauis, canaque ætate verendus,
Præclarus genitor tuus, ô Henrice, *reposta*
Cui licet endogredi docti penetralia Phœbi,
Magnarumque graues rerum cognoscere causas
Cui datur, Hansiacis & qui bene consulit acri
Vrbibus ingenio, dum res sub pectore versat
Syndicus ambiguas, facundoque explicat ore.
Nunc verò hinc alias vt concedamus ad vrbes
Præcipuas quasdam, tu lumine percipe porrò
Quò digitum intendam. non hîc, en, cernis, apricis
Collibus impositam, riguis & vallibus vrbem?
Non liquidos fontes passim per prata, per arua
Læta soporifero manantes murmure? lymphis
Agmina Nympharum vitreis mersare natantum
Corpora? perpetuò hæc dicas viridantia Tempe,
Aspice: Aquisgranum est: hîc Carole Mausolæum
Conspicitur ter Magne tuum: hîc diademata prima
Magnamini accipiunt, genus alto à sanguine Diuûm,
Induperatores. acri quæ sulfure fumant
Hæc loca, sunt calidis Thermæ de fontibus ortæ:
Ægra salutifero reparantes corpora Thermæ
Flumine, victa lue, & variis exercita morbis.
Mercibus, & studijs hîc splendida Lipsia: clara hîc
Wittenberga iacet: vastos Erfurdia muros,
Vandalicos & sæpe truces experta furores

Ham-

Hamburgum, & celsas turres, arcesq; superba
Lubeca ostentat: ter maxima Praga potentum
Nec minus ostentat monumenta insignia Regum:
Et vastas moles, longi & curuamina pontis.
Magna Vienna, sua hîc en propugnacula, vinci
Nescia, miratur, animosaque despicit hostem.
Hæc Phœbæa Rhodos: sunt hæc tua mœnia Buda.
Illa, illa est Magni de nomine Constantini
Dicta, opibus Regum pulcrè exornata, potenti
Imperio, famaq; ingens, magnæ æmula Romæ.
Porrò hanc, cui fixis oculis stupefactus inhæres,
Vrbem, vallorum latè quam circulus ingens
Ambit, miraris? ea quæ sit deinde requiris?
Cernere pyramidum quæ dat spectacula, quæq;
Clara sepulcrorum præbet miracula regum?
Est Memphis: sæui iussa imperiosa Tyranni
Quattuor hæ didicêre pati, & iuga dura subire
Heu miseræ. hæc Solymæ sanctæ sunt mœnia: fœdè
At nunc rapta manent, canibus data præda cruentis.
Quæ sit causa rogas? agitans discordia fratres,
Quos voluit dici ipse suo de nomine Christus,
Hoc facit: vt proprios enses in viscera vertant
Heu sua, nec capiti studeant auertere pestem
Vnanimes: nimia vanæ cuppedine capti
Gloriolæ, magni spernunt dum iussa Magistri.
Nunc age, præcipuas foecundis diues Iberus
Quas habeat terris, quas Gallia fertilis vrbes,
Accipe. Quam cernis magnis, en aspice, muris,
Est, sua quæ iactat cocco saturata rubenti
Serica fila, olim populis, Granata, beatis
Laudata: hæc est Mercurio fundata, potensq;
Hispalis: hîc, toti felix notissima mundo
Vlyxbonna iacet: nobis quæ ditia mittit
Munera, quæ dat diues Arabs, quæ decolor Indus,
Quæq; nouo quæruntur opes dudum orbe reperto.
Hanc Burgum dicunt: hæc est, quæ Barcino ponto
Adiacet ostrifero: medijs hæc quæ sita terris
Ostentat sese, populi dixêre Toletum
Indigenæ: magno ter felix Præsule. Thau. *sed quæ*
Hæc? Pan. *est, altiloquum Vatem quæ clara Camœnis*

Non vllo cultu, simplex at, nudaque & ipsa
Versabatur inops, cunctarumq; indiga rerum.
Atque adeò, dum fortè sedent, & dulcia lenti
Ocia agunt, & securi per mollia ludunt
Gramina sub dio: dum magna furentibus Austris
Exercet siluas tempestas, turbida torquens
Nubila, & arborei vasto cum pondere rami
Incumbunt ramis, ventiq; frequentibus vrgent
Motibus inter se ramos magno impete, ab omni
Parte: latent validis quæ abstrusæ feruida truncis,
Corticibusq; intus flammai semina, crebro
Trita micant: frondes hinc nutrimenta ministrant
Aridulæ: mox at, conceptis viribus ignis
Æstuat, & ventis increbrescentibus, atras
Fumorum nubes inter, Volcanus habenis
Immissis, populatur ouans densæ omnia siluæ
Robora: iocundo stirpes spoliantur honore.
Hac rara specie perterrita pectora miris
Vsque modis: feruens ferret quid flamma, quid ignis
Fumifer ignari, portentosiq; calores:
Diffugiunt. furor at postquam violentior ignis
Paullatim cessit, flammæq;, æstusq; quierant:
Audaces: propiusq; accedere tentant
Ignibus: hi, quæ, quanta ferant mortalibus ægris
Commoda, percipiunt: hinc mox aduoluere certant
Robora cruda focis: trabibusq; subinde fouere
Arboreis, primas æterna pascere flammas
Materia statuunt, omne & seruare per æuum.
Ergò, alium atque alium, tacitis sed nutibus, ipsi
Huc simul inuitant: huc omni ex parte frequentes
Conueniunt: mirè tepida dulcedine capti
Flammarum, inter se læti socia agmina iungunt.
Hinc, vbi communis iam consuetudinis vsus
Plurimus acceßit, titubantes fingere linguas,
Et formare suas, si vera est fama, loquelas
Cœperunt, prima atque exordia sumere: tandem
Vox inuenit iter, meditataq; verba sequuta
Paullatim, coepitque frequens crebrescere sermo.
Quare, homini erectos, spectantes æthera vultus,
Cùm dederit Natura parens, sublimiaq; ora:

Vt

Vt longè præstet cunctis animalibus: ipsos
Mortales miseros haudquaquam passa iacere
Sordibus in fœdis, angustam & degere vitam:
His cognosse dedit, quos ipsa creasset in vsus
Vnguibus armatasq; manus, digitosq; micantes,
Membrorumq; agiles nodos, artusq; decoros.
Hæc ergo experti cælestia munera, tentant
Explorare nouas artes: pars fronde saligna
Tecta parant: alij mox apta cauare latebris,
Exesi latere in montis, loca. figit hirundo
Garrula ceu nidos tignis, imitatus at alter
Has, cœno simul & viridanti vimine, rarum
Texit opus. menti sed vbi prudentia maior
Succeßit, prælongo vsu, suspendere furcis
Populeis sua tigna student, vdaque parata
Argilla, lentis & cratibus intertextis,
Ducitur arbuteis paries: ramalibus inde
Aut fagi, tiliæve leuis, vel arundine glauca
Integitur, feruenti vmbra vt defendat ab æstu
Corpora: non imbres, hyemis non frigora lædant.
Interea, his rudibus mortalia pectora curis
Dum sese exercent, studijsque frequentibus illis
Intenta inuigilant: dias sub luminis oras
Se prodit solers Industria. paupere tecto
Hæc, laribusque arctis nata olim, paruula quamuis
Eßet, & in cunis recubans composta iaceret,
Somno vnquam paruos vix declinabat ocellos.
Mox, vbi cum pueris cœpit colludere, mirè
Ipsa agilis, manibus paruis, digitisq; tenellis,
Plurima vel madido è limo, vel vimine lento
Fingebat, nunc hæc tractans, nunc illa retractans.
At, postquam sensim, teneris crescentibus annis,
Sollicitam ignauæ cœperunt tædia vitæ:
Pauperiem duram fugiens, errare per orbem,
Densis in siluis, solisq; in montibus æuum
Degere constituit: oculis perquirere acutis
Singula, scrutari, mirari, mente capaci
Versare abstrusas res, vestigare profundas
Et rerum caussas, & quæ Natura creatrix,
Alma parens, magna ingenio, admiranda dedisset.

Tandem edocta probè, ſortis miſerata malignæ
Humanæ, inſinuans hominum ſe mentibus vltrò,
Ipſa experta, ſuas dudum quas repperit artes
Edocet, ingenij & paullatim exercet acumen:
Ignarasq́; manus operum, inſuetasq́; laborum,
Rebus inauditis, primum & naſcentibus aptat.
Scilicet, hinc vſu pedetentim exercita longo
Pectora: dein, rerum perquam ſtudioſa nouarum,
Inque dies rebus magis oblectata repertis,
Ingenio ingenium, præclaris artibus arteis
Exſuperant, nil quidquam intentatumq́; relinquunt.
Sic genus humanum, rude quondam, obtuſaq́; geſtans
Pectora (ceu fera deposita feritate) per arteis
Ingenuas, vſu, longa aſſuetudine victum,
Formatumq́; aliam vitam, moresque decoros
Accepit, procul abiectis agreſtibus. altè
Sæpius insita ſic, fiſſo cuneo ve ſecuri ve
Arboris alterius trunco, ſilueſtria ſorba
Exuere agreſtes animos, miteſcere ſuccos
Conſpicimus crudos, acres quiq́; antè fuêre.
At non tanta quidem quondam mortalibus ipſis
Sufficere hæc potuit vel ſola Induſtria. namque
Et claræ hæ Diuæ, celſo de culmine Olympi
Delapſæ in terris, diuino numine plenæ,
Monſtrauêre viam. Thau. *ſed quæ? namq; aſpice, tantùm*
Conſpicio hîc vnam, referat quæ virginis, almæ
Aut Diuæ, aut Nymphæ vultus. dic, iſta Panopte
Quæ precor eſt, hîc quæ ſublimi in ſede locata
Sublimis ſedet, egregio exornata decore?
Libella in dextra fabrilis cernitur: aureus
Circinus in læua, & non fallax norma videtur.
Pan. *Hæc illa eſt celebris, longè pulcerrima Nympha,*
Illa, illa Idææ magnæ gratißima Matri:
Illius eximiis decorat quæ tempora ſertis
Turrita. hæc illa eſt, docuit quæ ponere primùm
Fundamenta operum magnorum, calcis & vſum
Coctiliumq́; dedit laterum: quibus artibus altis
Montibus aut marmor, puteis aut ſaxa trahantur.
Ordinibusq́; graues docuit diſponere certis
Structuras rerum, fulgentes ære columnas:

Tecta-

Tectaque, ſublimi turres educere cælo
Aërias, tignis coniungere tigna, vel ipſa
Robora, fraxineasq́; trabes aptare bipenni.
Præterea, quas aut facies ſpectare domorum
Debeat ad cæli parteis: qua parte locanda
Atria, veſtibulum, ſecreta cubilia, xyſti,
Balnea, triclinia, & magnorum altaria Diuûm.
Et quid non? demùm, latis quibus oppida terris
Ponenda, aut vrbes quibus in regionibus aptis;
Morbida ne malè ſpirantis contagia lædant
Aëris, continuò ne ſint obnoxia ventis
Corpora peſtiferis. ſimulacra, ſtupendis
Artibus, Heroum, ſpirantia ſigna, coloſſos
Fingere marmoreos, ad ſidera ducere moles
Ardua Pyramidum, variisq́; palatia Regum
Picturis, variis ornare coloribus ædes.
Ducere aquas longo per marmora candida ductu
Fontibus è primis, metiri iugera gnoma,
Cuncta manu docta regere, vt Ratione magiſtra,
Norma vel à recto, vel ne quid aberret amuſſis.
Hinc, magnæ meritò donis quòd talibus ornet
Vndique diuinis gremium Telluris apertum,
Orbis Terrarum decus immortale, perenne,
Cunctarum, emerita eſt ea dicier ornamentum.
Thau. *Admirãda canis: propriũ at quod nomẽ?* Pan. *vt edam*
Non opus: hæc tantùm, quæ dixi, ſedulus ipſe
Inſpice, nomen habes. Thau. *capio. quis hic alter aënis*
Qui ſquammis horret, clypeoque, haſtaq́; tremendus?
Pan. *Cuius nota bene hæc Diua eſt Tritonia Pallas,*
Bellipotens: quondam primas hæc condidit arceis,
Surgentes moles, & propugnacula bello
Tuta. Thau. *quis ille alter?* Pan. *primo eſt qui primus in orbe*
Ob ſcelus infandum, fraternæ cædis iniquæ,
Sanguinis & fuſi, fugiens vltricia magni
Arma Iouis, triſtesq́; minas, dextræq́; potentis
Fulmina, telluri preſſo ſignauit aratro,
Et primam cinxit turritis mœnibus vrbem.
Thau. *At cui ſublatis ad cælum molibus altum*
Magnificè erecta hæc moles inſcribitur ingens,
Inſignis titulis, inſignibus argumentis?

Pan. *Illi: Europæum lato qui temperat orbem*
Imperio, in terris & qui dat iura ſecundis
Auſpicijs felix, magno Max Aemiliano
Induperator, cingunt cui tempora lauri
Victrices. his & qui ſunt de ſtirpe creati
Magnorum Heroum, claris natalibus orti.
Quos penes eſt ſummam rerum, imperijq́ue, referre
Heroa ad virtute grauem. queis, prima poteſtas
Deſignare, humeris cuius operoſa recumbat
Magnarum rerum moles, qui ſceptra, coronamq́;
Inuictus gerat, & magni molimina Turcæ
Contundat, validis armis arma impia frangat.
Thau. *Quis poſuit precor hoc opus immortale? quis auctor?*
Pan. *Hi ſunt, antè memoraui nomina quorum,*
Quos repetam meritò digni: præclarus vterque
Arte Nouellanus, bonus Hogebergus. Thau. *at iſtis*
Hæc quis tam viuis ſimulacra coloribus aptè
Depinxit, pulcreq́; ſtylo illuſtrauit acuto?
Quis vel imaginibus lætum hunc afflauit honorem?
Pan. *Quis rogitas? eſt, qui Graio, Latioq́; cothurno*
Fuſcius inſignis, per amœna vireta, per hortos *Georgius Bruin.*
Aonidum ingreditur: dulces ante omnia Muſæ
Cui cordi, citharamq́; dedit cui Phœbus eburnam.
Thau. *Ergò, quòd nobis, ſeriſq́; nepotibus, iſti*
Tantarum auctores rerum, voluère Panopte
Conſultum bene, & hunc tantum impertire laborem,
Et nos his cumulare bonis, ingentibus, amplis,
Perpetuis, vllo morituris tempore nunquam,
Præmia digna ferent meritis pro talibus. altus
Iupiter his dabit, æternum vt per ſecula currant
Omnia, & obſcuro ſubducat nomina leto.
At nos, Poſteritasq́; ſimul ventura, viciſſim
Carmina perpetuò, toto reſonatia cælo,
Dicemus læti, tanto & pro munere largis
Laudibus in terris meritos tribuemus honores.

ALEXANDER GRAPEEVS
CANEBAT.

GEORGIVS BRVIN AGRIPPINENSIS

BENEVOLIS LECTORIBVS S. D.

QVANDOQVIDEM celebrium Vrbium Oppidorumque topographicæ deſcriptiones, accuratiſsime delineatæ, præſenti hoc opere vobis proponantur ob oculos, Spectatores, Lectoresque beneuoli; non ita alienum ab inſtituto noſtro fore putaui, de primis Vrbium initiis, progreſſu, & incremento paucula quædam præfari: vt primis earum principijs & cauſis probè perſpectis ac cognitis, earundem inſtitutum, vſus, ac finis penitius intelligatur. M. Vitruuius lib. de Architectura .2. humanæ ſocietatis initium mira quadam induſtria explicans, cauſam, quæ homines in vnum coegit, cœtusque ſociauit, his verbis enarrat: Homines, inquit, veteri more, vt feræ in ſyluis & ſpeluncis & nemoribus naſcebantur, ciboque agreſti veſcendo vitam exigebant: interea quodam in loco ab tempeſtatibus & ventis denſæ crebritatibus arbores agitatæ, & inter ſe terentes ramos, ignem excitauerunt, ex ea flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, ſunt fugati, poſtea re quieta, propius accedentes, cùm animaduertiſſent commoditatem magnam eſſe corporibus, ad ignis teporem ligna adijcientes, & eum conſeruantes, alios adducebant, & nutu monſtrantes, oſtendebant, quas haberent ex eo vtilitates. In eo hominum congreſſu, cùm profundebantur aliter è ſpiritu voces, quotidiana conſuetudine vocabula, vt obtigerant, conſtituerunt: deinde ſignificando res ſæpius, in vſu ex euentu fari fortuitò cœperunt, & ita ſermones inter ſe procreauerunt. Paulò aliter Cicero, ciuilis humanæque ſocietatis conuentum, originem habere, litterarum monumentis tradidit: quem Franciſcus Senenſis Patritius, lib. 1. de Regni & Regis inſtitutione, imitari videtur. Qui non caſu, & fortuitò homines conueniſſe ſcribit, ſed diuinam mentem ſapientiam ipſis præſtitiſſe, vt ſocietates, cœtusque inſtituerent. Quæ quidem mens diuina, cùm cætera animantia abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad cœlique, quaſi veri domicilij conſpectum, excitauit: Tum ſpeciem oris ita formauit, vt in ea penitus reconditos mores effingeret, quando hilaritatē animi vultu oſtendimus, mœrorem enim, triſtitiam, formidinem, iram, furorem, tranquillitatemque, frons, oculi, & ſupercilia indicant. Hac mente diuina, principiò rerum humanarum acutiores ingenio viri, qui inter vagos illos atque agreſtes homines verſabantur, animaduerte-

Conſociat, humani generis origo.

runt, hominem aliena ope indigere, cùm neminem ſibi ipſi ſatis eſſe cernerent. Proinde arbitrati ſunt, illum per ſocietatem ſui generis cõmodius degere poſſe, & facilius conſequi omnia, quæ per naturam ei deeſſe videbantur. Et idcirco à ſylueſtri vagaq́ue ſolitudine, in multitudinis cœtum, humanamq́ue ſocietatem illum deducendum eſſe duxerunt. Quo quidem facto, quamprimum coniuncti inter ſe homines, ſermonem ex aſsidua conſuetudine ſtatuerunt, quò conceptum mentis exprimerent, & conſilia communicarent. Plato autem in Protagora, aliud ab his diuerſum ciuilis conſuetudinis principium refert, quod quidem, quia fabulis eſt multò quàm veritati propinquius, referre non placet. Iam verò hominum cœtu ſiue ignis vtilitate ſociato, ſiue natura & ratione duce inſtituto, quod ſanè à ratione non multum abhorrere videtur, vt primas hominum ſocietates ab his principiis vtilitatis cauſa profectas exiſtimemus, credamusq́ue hominem natura ſociale animal, longè magis quàm apes, formicæ, grues, & eiuſmodi genera, quæ gregatim aluntur, gregatimq́ue ſe tuentur, in vnum cœtum veniſſe, vt quiſque promeret quod alteri opus eſſet, acciperetq́; aliunde quod ipſe præſtare non poſſet. Igitur, vt dixi, communi hominum ſocietate conflata, cumq́ue in ea ſermonis auxilio ſe mutuò intelligere, ſenſum animi exprimere, tum manibus & articulis quam vellent rem faciliter ſe poſſe tractare viderent, cœperũt in eo cœtu alij ſpeluncas fodere ſub montibus, nonnulli hirundinum nidos, & ædificationes earum imitantes, de luto & virgultis facere loca, quæ ſubirent: eaq́ue ratione domiciliorum tyrocinium inuentum, & excogitatum fuit. Cùm porro eſſent homines imitabili dociliq́ue natura, quotidie inuentionibus gloriantes, aliis alij oſtendebant ædificiorum effectus, & ita exercentes ingenia certationibus, indies melioribus iudicijs efficiebantur, plurimumq́; furcis erectis, & virgultis interpoſitis, luto parietes texerunt: Alij luteas glebas arefacientes, ſtruebant parietes, materia eos iugumentãtes, vitandoq́ue imbres & æſtus, tegebant arundinibus & fronde. Poſtea, quoniam per hybernas tempeſtates, tecta non poterant himbres ſuſtinere, faſtigia facientes, luto inducto, proclinatis tectis, ſtillicidia deducebant. Vnde Architecturæ rudimenta ſunt nata, quæ ab ijs initijs profecta ſunt, quæ neceſſitas humano generi oſtendit. Quemadmodum, Daniele Barbaro teſte, legitur in his eſſe, quæ nuper inuentæ ſunt inſulis, vbi caſæ arboribus innixæ, cannis, & viminibus intextæ, ſtramentis, & luto contectæ cernuntur, ea tamen ratione, vt magnitudine, pulchritudine, & commoditate perſonarum dignitati plurimum tribuatur. Hæc à Chriſtianis, vt natura tulit, ita inuenta, ſed poſtquam frequentia celebrari ea loca cœperunt, politioribus lignis, elegantioribus formis ornata conſpiciuntur. Ex leuibus porro, obſcuris, & exilibus ædificiorum principijs, creſcente nimirũ in vna aliqua caſa, ex fœmina & viro, filiorum & nepotum multitudine, quæ eod-

Domiciliorum tyrocinium.

Architecturæ rudimenta.

eodem tecto contineri non poterat, modicis ex materia domibus, vt autor eſt Halicarnaſſeus, vicatim, diſcretisq́ue domicilijs habitare cœperunt. Eaq́ue occaſione, villas & pagos paulatim conſtruere & ſocietatẽ ex pluribus domibus conſtituere neceſſe fuit: vnde Franciſcus Senenſis, in ſuis de Repub. libris, oppidorũ & vrbium initium deducit. Cùm enim ſenſim cernerent homines, quantæ vtilitatis eſſet humana ſocietas, quamq́ue facilius victum ſimul complures, quàm ſinguli compararent (quò enim maior & frequentior multitudo eſt, eò vberior in ea eſt copia eorum omnium quibus vita indigeat, quando naſcentibus hominibus inopia data eſt comes) tutiusq́ue ab incurſu ferarum degerent, coadunatis tugurijs, pagos pagis adiungere, & familias familiis adijcere cœperunt, & de communi vtilitate cogitare. Hinc ſeminarium ciuitatum eſt ortum, in quibus populariter habitarent. Hinc munimenta, tutioris vitæ gratia, inuenta ſunt. Nam locis æditis foſſam ducere, & vallo circundare, non dubitauerunt, & ſic vrbes & oppida inchoauerunt. Quocirca Varro ait; Vrbem dici, quod aratro præfinita: & Pomponius Iureconſultus peregregius, Vrbem dictam aſſerit, quod vrbare aratro definire ſit: Vrbum, optimũ vetuſtiſsimorum verborum indagatorem præterea dixiſſe ait, curuaturam aratri appellari, quod in vrbe cõdenda adhiberetur. Oppidum etiam dici Varro teſtis eſt, quod munitur opis cauſa: Sic etiam Mœnia, quòd vrbem muniant, appellata ſunt, & Murus à munitione. Quibus ex rebus conſtat, primam rationem eorum qui ciuilem ſocietatem inſtituerunt, fuiſſe, vt tutè degerent, & à vi atque impetu munirentur. Tranquillitas namq; vitæ dux illius extitit, ad innumerabiles commoditates excogitandas. Quis porro vrbem primus condiderit, variè à multis proditum eſt. Alij Cecropen ſtatuunt, vt Plinius, qui eam extruxit, quæ poſtea ἀκρόπολις, id eſt, arx, dicta eſt Athenienſib., prius erat Cecropia. Strabo, Argos prius à Phoroneo dicit cõditos, quod Homerus Pelaſgicon nominat. Ægyptij omnium antiquitatũ gloriam ementitis annalibus ad ſe trahunt, & Dioſpolim, quæ ſunt Thebæ, tempore omnes antecedere aſſeuerant. Verùm Enochia, vt Ioſephus vocat, omnium eſt vetuſtiſsima, quam Cain, cùm exagitaretur furijs cæſi fratris, nec vllus ſibi locus tutus ſatis videretur, condidit, murisq́; cinxit, & terminos agro poſuit. Conſimiliter et Pallas Arcium inuẽtrix, multorum ſcriptorum auctoritate conſtituitur, quam Bellonam plerique nominarũt, eò quod belli inuentrix et princeps, à Cicerone lib. 3. de Nat. Deorum, conſtituatur, vel quia haſtam vibrare conſueuerit, docueritq́;, vel denique à furore immittendo bellantibus, et quod minimè ſit mitis. Cuius templum in nona regione vrbis, et ante hoc columna erat poſita, vnde haſta mittitur, ſignũ belli inferẽdi. Quin etiã huic Arcium inuẽtrici, tria quædã ſigna peculiariter attribuebãtur: noctua, draco, et populus. Quare Demoſthenes, Athenienſis, ſummus ille Imperator

Oppidorum auctor.

Artium inuentrix.

(asserente Francisco Senensi, lib. 9. de Regis et Regni administratione) cùm in exilium proficisceretur, Arcem Athenarum suspexit, et altiore voce dixisse fertur: O Pallas, vrbium custos, cur tribus truculentissimis belluis delectaris, noctua, dracone, et populo? Cupiens populi leuitatē præcipuè accusare. Quibus quidem signis, qualis Princeps esse debeat, sagax declarauit vetustas, vt vigil, prudensque sit, & populum fautorem habeat. Noctua quidem, vt cernimus, vigilantissima est, & noctu semper excubat. Draco autem peracri oculorum acie, omnia circumspicit, vigilatque, quod etiam eius nomen indicat, δέρκειν enim est cernere, & acutè intueri. Idcirco à doctissima vetustate, ædium sacrarum, adytorum, templorum, thesaurorumque custodia, draconi assignatur. Sed rude & incōcinne, quemadmodum & ædium, oppidorum, vrbiumq; principium fuit. Neq; enim initio muris cinctæ, vallo & propugnaculis ex viuo saxo communitæ fuerunt, sed, vt Halicarnasseus perhibet, aggeribus tantùm, arborumq; truncis, casæ aliquot leui materia, vel arundine, vel stramento excitatæ, quibus homines habitabant, circundabantur. Nec Galli olim, & multo minus Germani, vt Hubertus Leodius asserit, qui non oppida, sed vicos inhabitabant, lapide & cæmento suas ciuitates cingebant: sed trabes directæ perpetuæ, in longitudinem paribus interuallis distantes inter se binos pedes, in solo collocabantur, reuinciebantur extrorsus, & multo aggere vestiebantur: ea autem quæ diximus interualla, grandibus in fronte saxis effarciebantur. His collocatis & coagmentatis, alius insuper ordo adijciebatur, vt idem illud interuallum seruaretur, neque inter se contingerent trabes, sed paribus intermissæ spaciis, singulæ singulis saxis interiectis, arctè continerentur, sic deinde omne opus contexebatur, dum iusta altitudo muri expleretur. Qui quidem muri in hunc modum compositi, etsi ea tempestate deformes non erant, & ad vtilitatem, defensionemque vrbium summam haberent opportunitatem, quod & ab incendio lapis, & ab ariete materia defenderet, quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus reuincta, neque perrumpi, neque distrahi posset, non tamen perpetuò durabilis erat, pluuia etenim & vetustate corrumpebatur, & temporis tractu, cariosa sæpè concidebat. Idcirco necessitate hominum industriam excitante, quæ in iam constituta ciuili societate, multorum consilijs adiuta, vires & incrementa gradatim sumpsit, & quo à ferarum & sceleſtorum hominum iniurijs commodius se tuerentur, saxa saxis coniungere, lateritios muros ex lapide & materia compositos construere didicerunt. Quos prioribus multò firmiores fuisse, ex eo facilè constat, quia ob expugnationis difficultatem, muralis corona ab Imperatore ei dabatur, qui primus murum subijsset, & per vim in hostium oppidum ascendisset. Ex quo facile apparet, quomodo nihil simul inuentum, et perfectum fuerit. Constituta

tuta iam qualicunque vrbis facie, à casarum necessitate, ad agrestium tugurriolorum commoditatem: à commodo verò, ad ædificiorum magnificentiam atque splendorem sensim progressi homines, et certam ædificandi rationem per artificiosas symmetriarum obseruationes, inueuerunt. Eoque modo, vsus, obseruatio, animaduersioque naturæ, artem demùm peperit, quæ primo statim vocabulo, artificem fabri nomine insigniuit. Vnde Faber cuiusque rei opifex, prima institutione dictus est, Græcè tecton, vnde Architecturæ commune omnibus artificijs nomen deductum est. Quæ singulari cultu, magnificentia, atque nitore non modò vrbes, publica priuataque ædificia expolire, & concinnè ornare, sed & magno fastu, stupendis impensarū sumptibus, præclara & magnifica illa ædificia septem construere docuit, quæ humanæ industriæ miracula mundus admiratur. Itaque nobilissima Architectura, in summo collocata fastigio, totius Vniuersi ornamentum, iure nominatur. Quæ etenim vrbs, quod oppidum aut castrum absque Architecturæ præsidiis, vel minima nominis celebritate claret? Illa ædificiorum magnificentia, populi opes, vasta propugnaculorum mole, murorum & turrium dispositione ac ordine, Moderatorum curam & prouidentiam spectantibus non obscure demonstrat. Eam proinde Daniel Barbarus, omnium Artium Principem, ac dominam, Iudicem atque Reginam artificiorum, & inuentorum optimo iure vocat. Quam & Vitruuius scientiam dicit, pluribus disciplinis & varijs eruditionibus ornatam, cuius iudicio probantur omnia, quæ à cæteris artificibus perficiuntur opera. Cuius quidem artis dignitas, ex eo maxime elucet, quòd eius nomen à principatu, quem inter omnes artes obtinet, sit deriuatum. Quare & Plato Architectum præesse inquit his, qui artibus vtuntur. Sed quisnam ego, qui Architecturæ commendationem suscipio? An'ne Gellianum illud exciderat, Turpius esse exigue atque frigide laudare, quàm insectanter & grauiter vituperare? Eius itaque commendationem Architecturæ peritis relinquens, ad præsens me opus conuertam. In quo quidnam ornamenti toti vniuerso periti Architecti vrbium, oppidorumque structura contulerint, artificiosæ Simonis Nouellani, & Francisci Hogenbergij manus, mirifica quadam industria, tam accurate, et ad viuum, partium singularum proportione, et vicorum ordine ad amussim obseruato, expresserunt, vt non icones et typi vrbium, sed vrbes ipsæ, admirabili cælaturæ artificio, spectantium oculis subiectæ appareant. Quas partim ipsi depinxerunt, partim ab ijs, sagaci diligentia conquisitas, atque depictas acceperunt, qui singulas quasque vrbes perlustrarunt. Idq; ea diligentia, vt non temere, sed audacter atque constanter affirmare audeam, nihil vnquam eiusdem argumenti vel in Italia, vel in Gallia, aut alibi prodiisse, quod cum istius operis artificio et veritate conferendum veniat. In quo topo-

graphicæ vrbium oppidorumque descriptiones tam geometrica, quàm perspectiua pingendi ratione, cum genuina situs, locorum, mœniorum, publicorum & priuatorum ædificiorum obseruatione, singulari artis industria atque præsidio sunt delineatæ. Sed quem in finem, Lector optime, dices? Norunt historiarum periti, quantum ad variarum rerum cognitionẽ peregrinatio longinqua & diuturna cõducat. In qua sensuum adminiculo percipiuntur ea, quæ doctore etiam exercitatissimo præeunte, nõ ita commodè intelligi queunt. Varij siquidem diuersarum Gentium ritus, disciplinæ, leges, mores, instituta, & consuetudines peregrinando multò accuratius intelliguntur, quàm si ea quæ nunquam vidimus sola historica lectione tractaremus. Nunquid ieiunum & prorsus anile de multiplici rerum varietate eius iudicium est, qui natiui soli limitibus omni tempore septus, domesticos tantùm, apud quos delituit, audiuit, exterorũ verò hominum consuetudines nunquã vidit? Itaque non immeritò Diogenes Laertius lib. 2. in vita Archelai Cosmographi scribit, Alexandrum Macedonem gloriari solitum fuisse, se plura oculis lustrasse, quàm alij Reges vnquã animo & cogitatione attingere valuissent. Scribit Diodorus Siculus, Democritũ Abderitem Philosophum octoginta iuges annos peregrinatum fuisse, vt variis in locis, diuersorum hominum consuetudine, nihil eorum negligeret, quæ hominis mentem scientiarũ nitore exornare potuissent. Ita Nestor (asserente Franciſco Senensi lib. 14. de Regis & Regni institutione) gloriatur, quòd cum Lapithis conuersatus fuerit. Menelaus autem iactabundus exultat, quòd Cyprum, Phœniciam, Ægyptumque aduenerit, Thebas quoque viderit, quas centum clauderẽt portæ, & singula quæque ducentos haberet custodes equis instructos, & quòd Æthiopiam etiam lustrauerit, Sidoniam, & Lybiam. Sed quia non omnium facultates concedunt, neque etiam omni periculo, hoc præsertim tempore, vacat, per varias mundi partes oberrare, multasq; vrbes ac oppida peregrando lustrare: Idcirco præsenti opere, variarum historiarũ amantes, à peregrinandi labore, periculo, atque impensa liberauimus. Dum acerrimo oculorum sensui, qui reliquos omnes, Aristotele teste, præstantia superat, accuratissimas vrbium icones proponimus: quæ in tabulis artificioſè depictæ, multo aptius de se iudicium præbent, quàm si descriptione litteris tantùm comprehensa, qualiscunque & obscura earum cognitio quæreretur. Hoc studij genere Carolum Magnum vehementer delectatum fuisse constat, quem tres tabulas argenteas habuisse, Platina in vita Leonis. 3. commemorat: quarum vnam, in qua vrbs Constantinopolitana insculpta erat, Basilicæ B. Petri: aliam, vbi imago vrbis Romæ cernebatur, Ecclesiæ Rauennati dono dedit. Tertiam filijs reliquit, cui inerat orbis terrarum descriptio, quam auream fuisse plerique scribunt

bunt. His porro vrbium descriptionibus, historicas earundem enarrationes coniunximus, vt vbi depictorum oppidorum facies cum ijs Lectores contulerint, præter vrbium oppidorumque situm, etiam ea quæ ad ciuitatem pertinẽt, aliqua ex parte intelligant. Quod quidem institutum nostrũ, non modò gratiam habere, sed & mirificam delectationem, & vtilitatem præbere existimaui. Cùm ex eo, & historiarum augeatur cognitio, & quæ optima ædificandi ratio sit, diuersorum ædificiorum collatione, perspici queat: Tum etiam situm, murorum ambitum, & conditionem earum vrbium, quæ à truculentissimis nationibus, Christianis sunt ereptæ, non sine maxima recuperandi spe, spectandas proponat. Ita Alexandrum, quem ex virtute Magnum nuncupauerunt, summa diligentia scrutari solitum aiunt loca, in quibus bellum esset gesturus, semperque eadem picta intueri voluisse, vt picturam illam contemplando, ea dignosceret, quæ cauenda, quæve adeunda essent. Neque verò est cur consilium hoc Christianis tandem aliquando noxium & pernicioſum fore quis putet, eò quòd primariæ ipsorum vrbes fidei hostibus hac occasione contemplandæ & discutiendæ veniant. Huic siquidem malo, quod quidem haud exiguum fore putabamus, ea ratione occurrimus, dum diuersarum nationum ac gentium diuersum vestiendi cultum & habitum, vtriusque tam præstantioris, quàm deterioris sexus effigies vrbium simulachris appingi curauimus. Quam sanè ob causam immanissimi Turchi, qui omnino nullas, vel sculptas, vel depictas imagines ferunt, nunquam hoc opus, etiamsi maxime ipsis emolumento esset futurum, admittent. In his denique vrbium enarrationibus eorum scriptis vsi sumus, qui eas ipsi peragrarunt, & oculis accuratissime perspexerunt, ne quis mihi de ignotis, & nunquam à me visis, multa scribere obijciat. Eos autem auctores iam omnes ex ordine recensserem, sed prolixitatis euitandæ gratia, id omitto. Desiderantur quidem adhuc aliquot vrbium typi, quos bellicis præpediti tumultibus, non ita commodè obtinere potuimus. Quòd si itaque Vrbium Moderatores, aut quicunque tandem alij, Ciuitatum suarum delineatione, splendoris aliquid operi nostro, historiarum etiam, & picturæ amatoribus, in honesta Litterarum studia, animi propensionem significare, eamque nobis communicare voluerint, suo eas loco collocabimus, neque ipsi à nobis præteribuntur indicti. Ita opus hoc nostrum mirificè multarum vrbium genuina descriptione ornauit ac auxit Præstantissimus, Doctissimusque vir, Dominus Abrahamus Orttelius Anuerpianus, hoc nostro tempore insignis Cosmographus, quo optimos quosque honestis Litterarum studijs fauentes, maximo beneficio affecit.

Nec minores gratiarum actiones merentur ſummi illi præſtantiſsimarum artium admiratores, Georgius Hofnagel Anuerpianus Mercator, et Cornelius Chaymox, quorum ille viuos et accuratos Hiſpanicarum, hic verò aliquot Germanicarum vrbium typos, perhumaniter nobis communicauit. Idem etiam ſingulari animi propenſione fecit, generis virtutumque ſplendore Clariſsimus vir ac D. Dominus Conſtantinus Liskirchius, Florentiſsimæ Reipub. Colonienſis primarius hoc tempore Conſul: cuius ſpectabilis omniſque officiorum genere à nobis obſeruanda dignitas, earum vrbium, oppidorumq; deſcriptionibus opus hoc noſtrum adauxit, quæ ex Africa, Aſia, & India, pauci vnquam antè depictas viderunt. Nec minus de Coſmographiæ & hiſtoriarum ſtudioſis bene mereri voluit Reuerendiſsimus & Illuſtriſsimus Princeps ac D. D. Gerardus à Grosbeck Leodienſium Antiſtes, &c. Cuius Illuſtriſs. Cel. procurante Reuerendo D. Georgio Syluio, eiuſdem Diœceſis D. Saffraganeo digniſsimo, vrbis ſuæ Leodienſis viuam & accuratam effigiem, operi noſtro inſerendam, pro liberali Illuſtriſsimæ Cel. ſuæ in ſtudiorum cultores propenſione, communicauit. Reliquum nunc eſt, vt Candidum ſpectatorem, lectoremque beneuolum peramanter rogem, vt ſtudium noſtrum, quo belliſsimè eum reficere, & recreare conati ſumus, boni conſulere, eique optime fauere dignetur.

Coloniæ Agrippinæ

M.D.LXXII.

LONDINVM.

LONDINVM, vrbs antiquiſsima, in Midelſexia Comitatu, regione totius Angliæ ſeraciſsima & ſaluberrima, ad flumen Thameſim L X. paſſuum millia ab Oceano ſita, latitudinis habet gradus L II. longitudinis X IX. & X V. minuta. Cuius quidem, primum omnium fundatorem Brutum fuiſſe, conſtanti hiſtoriarum lectione, perhibetur. Is, ex Italia in Græciam, inde in Africam, tum in Gallias, ac demum in Britanniam deueniens, ad Tameſim fluuium, ſitu, & opportunitate loci adductus, vrbem condidit, Troiamque nouam, appellauit (verba ſunt Pontici Virunnij, qui ſex, de rebus Britannicis libros, conſcripſit, quos integros, vix verbo mutato, ex Gaufrido Monumetenſi deſumpſit) quæ tandem per corruptionem, Trinouantum, dicta fuit. At, poſtquam Lud, frater Caſsibilauni, qui cum Iulio Cæſare dimicauit, regni gubernacula adeptus eſt, cinxit eam nobiliſsimis muris, & turribus, arte mirâ fabricatis, & de nomine ſuo iuſsit eam dici, Caier lud, id eſt, ciuitas Lud. Deinde per corruptionem nominis, Cærlunda. Et ſuccedente tempore, per commutationem, linguarum Lundene: Et poſtea demum, applicantibus alienigenis, qui patriam ſibi ſubmittebant; Lundres dicta fuit. Mortuus tandem Lud, in hac vrbe ſepultus eſt, iuxta portam illam, quæ hoc etiam tempore, Por lud, Britannicè, Saxonicè verò Ludes gate, nuncupatur. Ob hanc autem nominis mutationem, inter prædictum Lud, fratremq; eius Neunium, maxima eſt orta ſeditio, quoniam vellet nomen Troiæ in patria ſua delere. Quam contentionem Gildas hiſtoricus & Poëta inſignis, copioſè proſequitur. Hactenus Ponticus. Hanc porrò Trenouanti deductionem, Ioannes Zelandus, in Syllabo dictionum antiquarum Genethliaco Edoardi Cambriæ Principis ſubiuncto, hunc in modum confirmat. Trenouantum, Britannicè Trenouante, latinè oppidum nouum, vel, vt quidam non ineptè interpretatur, Troia noua dicitur. Quod autem Tre, oppidum ſignificet Britannica lingua, tam notum eſt, vt comprobatione prorſus nulla egeat. Trenouantum olim ea vrbs fuit, quam & Londinum Britanni recentiori vocabulo appellabant. Vt autem præclaræ vrbes ſua commutent nomina, non eſt infrequens. Londini meminit Cornelius Tacitus, libro hiſtoriæ ſuæ decimo quarto. Meminit & Ptolomæus, eo paulò recentior, ſecutus forſitan Fabium Pictorem, in Britanniæ deſcriptione, aut alium quempiam Latini nominis Coſmographum. Quanquam, niſi ego omnino male iudico, luxatum eſt Londini vocabulum apud Ptolomæum ſuo loco. Non enim Cantiorum vrbs fuit: Tameſis ingens æſtus Cantios, à Trenouantibus indubie diremebat. Barbaris etiam Britanniam, vi occupantibus, Londinum Medioſaxonum, & Oſtroſaxonum, non autem Cantiorum erat &c. Polydorus Virgilius, vir alioqui doctiſsimus, Trenouantum temerè adſcribit vrbi, quam noſtra ætas Northehamton, ad differentiam Suthehamton, corruptè pro Northeauondune appellat, &c. Hæc Ioannes Zelandus, in gratiam Trenouanti ſui. Nobilis ille fluuius Thameſis, primò Iſis nominatus, paulò ſupra Vinchelcombiam vicum oritur, deinde riuis paſsim auctus, citra Oxonium cum flumine Thami, iunctis aquis, nomen quoq; coniungit. Ad extremum immani maris æſtu (quibus, vt ait Gemma Friſius X X V. horarum ſpacio, amplius L X X X. paſſuum millibus fluit, ac refluit) excipitur, atque nauigabilis ac vaſtus, permagno mortalium commodo, ipſam vrbem alluens, in Oceanum influit. Hæc vrbs, & per ſe maxima eſt, & ſuburbia habet ampliſsima, nec non & arcem (Turrim appellatã) pulcherrimè extructam. Aedificijs verò atq; templis, magnificè ornatur, vicenis ſupra centenas ſacris ædibus (quas Parrochiales vocant) venerabilis. Meridiem verſus, lapideum pontem obtinet, longa & miranda operis arcuati ſerie conſtructum, ſuper cuius dorſo domicilia vtrinq;, ea diſpoſitione & ordine cernuntur, vt perpetui ferè, vici ſpeciem, non pontis, exhibeant. Paulus Iouius, clariſsimas Britanniæ vrbes deſcribens: Harum omnium, inquit, famam Londinum penitùs obſcurat, Trinobantum, vt plures exiſtimant. Ciuitas C. Cæſari nuncupata, totius Britanniæ Regia, multarum gentium commertio nobilitata, exculta domibus, ornata templis', excelſa arcibus. Et deniq; rerum omnium copia, atq; opum affluentia, valdè mirabilis. Inuehit in eam totius orbis opes, ipſe Thameſis, ſtatis horis Oceani æſtibus ſuperbus & tumidus, onerarijs nauibus ab oſtio per ſexaginta millia paſſuum, ad vrbem, tuto ſemper & prælto alueo, nauigabilis. Ripas vndiq; peramœnæ villæ, prædijs atq; nemoribus diſtinctæ, paſsim exornant. Ab inferiore, ſcilicet parte Regia domus, Grinuicia, ita Anglicè à viridarijs appellata, & in ſuperiore, Prætorium, nomine Ricemũdum, in medio autem nobilis ſtructuræ exurgit, Veſtmonaſterium, ab occidua parte vrbis, Foro iudiciali, ac D. Petri templo Regum ſepulchris exornato longè clariſsimum. Atq; item vigeſimo lapide à Londino Regium caſtrum Vindoſoriæ ſecedentis Regis peramœna ſede, aliquotq; Regum ſepulchris, & Garetteriorum ſodalium ceremonia, percelebre. Olores autem agminatim, læto occurſu, & feſtiuis cantibus ſubeuntes claſſes excipiunt, atq; vndiq; retia ſiluris atq; ſalmonibus expanduntur. Iungitur ad vrbem lapideo ponte ſtructura mirifici operis, nec vllis imbribus augetur, cùm vnis tantum æſtibus intumeſcat. Secundum Thameſim & aquarum mole, & longitudine curſus cæteros exuberant, Humbrus, recepto Trenta in immenſum adauctus, qui olim Habus fuit, & Sabrina, margaritis etiam nobilis, qui è ſummis V Valliæ mõtibus, raptis ſecum multis torrentibus, in Briſtolicum ſinum effunditur. Hactenus Paulus Iouius, Londinum porrò, teſte Polydoro Vergilio, ab Archenuini Regis vſq; temporibus, Regia ciuitas eſt, & Regni caput, ciuibus & alienigenis frequẽtiſsima, diuitijs atq; opibus affluẽs, emporio celeberrima. In ea Reges diademate Imperiali inſigniuntur, Regnoq; cæremonijs ſplendidiſsimis, inaugurantur. In ea Conciliũ, (Parlamentum dicunt) celebratur. Adminiſtratur autem antiquo Britannorum Regum priuilegio à X X I I I I. ciuibus, quos Angli Aldermannos, quaſi Seniores vocant. Ex quorum numero Prætorem vrbanum, Maiorem eorum lingua appellatum, Tribunoſq; duos, Sceruios vocatos, ipſimet annua commutatione eligunt. Qui in iure dicundo legibus municipalibus vtuntur. Mira eruditiſsimorum virorum, cùm in vniuerſa Britannia, tum in hac potiſsimum vrbe ſemper extitit fertilitas, qui interſcriptores celebratiſsimi enituerunt: Quorum ſeriem Georgij Lilij Britanni Elogia, ad Paulum Iouium, accuratè recenſent.

Hæc est regia illa totius Angliæ ciuitas LONDINVM, ad fluuium Thamesim sita. Cæsari, vt plures existimat, Trinobantum nuncupata, multarum gentium cōmertio nobilitata, exculta domib. ornata tēplis, excelsa arcibus, claris ingenijs, viris omnium artium doctrinarumq; genere præstantibus, percelebris. Deniq; omnium rerum copia, atque opum excellētia mirabilis. Inuehit in eam totius orbis opes ipse Thamasis, onerarijs nauibus per sexaginta millia passuum, ad vrbem præalto alueo nauigabilis

STILLIARDS) Hansa, Gothica dictio, conuentum, vel congregationem sonans, multarum ciuitatum est confoederata Societas, tum, ob præstita Regibus, ac Ducib. beneficia: tum, ob securam terra, mariquè, mercaturæ tractationem, tum denique, ad tranquillam Rerumpub. pacem, & ad modestam adolescentum institutionem conseruandam, instituta: plurimorum Regum, ac Principum, maximè Angliæ, Galliæ, Daniæ, ac Magnæ Moscouiæ, nec non Flandriæ, ac Brabantiæ Du cum priuilegijs, ac immunitatib. exornata fuit. Habet ea quatuor Emporia, Cuntores quidam vocant, in quibus ciuitatum negotiatores resident, suosque mercatus exercent. Hor. alterum hic Londini, domestica oeconomia nitet, habens domum Gildehallā Teutonicā, quā vulgo Stiliard, nūcupat.

OLISIPO, NVNC LISBONA.

OLISIPONEM inter antiquissimas Hispaniæ vrbes annumerandam esse vetustissimi quique scriptores testantur. Hanc Varro Olisiponem, & Ptolemæus Oliosiponem appellant, Plinius Salatiam & Iubiam fœlicem, Strabo verò Vlysseam & ab Vlysse conditam, ex verbis Myrtiani videtur asserere, Antiquæ vrbis Olisiponis situs, collem excelsum ad Tagi ripam deductum vsque, antiquitus solummodo occupabat, nunc verò plures montes ac valles magnitudine complectitur. Ab hac parte, qua meridiem respicit, vetus Regia amplissima, magnificoque opere pulcherrima conspicitur, quam ad sanctos vulgò dicunt: Versus aquilonare, vrbis cornu, nobilissimum vestalium D. Claræ cœnobium ad Tagi crepidinem fermè attingit: Meridionale vrbis latus mari alluitur, reliquæ tres partes aditum habent à terra. Itaque, collibus quinque, vallibus totidem feracissimis & iucundissimis, vrbs tanto spatio complectitur, vt vniuersus eius ambitus septem millibus passuũ designari possit. Interior verò eius amplitudo & magnificentia maxima est. Domorum siquidem amplius, quam viginti millia inesse constat, earumque ingens multitudo tam principum virorum, nobiliumque, quàm etiam priuatorũ hominum elegantèr & sumptu propè incredibili constructa est. In littore fontes quam plurimi, ex diuersis vrbis partibus per ductus subterraneos oriuntur, è quibus populus aquationem facit. Porrò omissis, breuitatis caussa, pulcherrimis huius vrbis ornamentis, Olisipo septem imprimis ingentibus ædificijs magnificentissimè extructis hoc tempore illustratur. Horum primum Misericordiæ templum est, quadrato vndique lapide eleganter ædificatum, cuius qui curam gerunt, Misericordiæ fratres vocantur, qui ærarium, quod ex fortuitis tantummodò hominum piorum largitionibus eleèmosynisque conflatum est, summa fide administrant, ex quo amplius, viginti quatuor aureorum ducatorum millibus in singulos annos constat egentibus erogari. Secundo loco, sequitur alterum misericordiæ, ac humanitatis exemplum, valetudinarium videlicet, commune pauperum, infirmorumque hominum nomine omnium Sanctorum. Tertium est monimentum, à D. Petro, Ioannis Regis, huius nominis primi filio, sumptu publico constructum, vt externarum gentium, Regumque legatis, eo loci hospitium præberetur, domus reuera amplissima, mirificoque opere admodum conspicua. Quartum est ædificium Regis Ioannis, hoc nomine tertij, perpetua memoria dignissimum, quam domum frumentariam Reip. ac quasi Lusitaniæ nutricem, meritò nominare possis. Post huius tergum, nouum Prætorium inhæret, ipsam maris crepidinem attingens, cui meritò ædium magnificentiam, & operis pulchritudinem, quintum in hoc ordine locum tribuendum esse, diximus. Sextum monimentum opere admirabili factum videtur, prædaspolijsque multarum gentium Regumque refertissimum, quod ab Indicis negotijs, quæ ibi pertractantur, domum Indicam vulgus appellat. Septimum monimentum publicum est, armamentarium, ingenti armorum omnis generis copia refertum. Olisipo, ex ea parte, qua mari alluitur, portis XXII. distinguitur. Pars verò, quæ continentem respicit, XVI. Turribus autem, per murorum gyrum LXXVII munitur. Parochiæ XXV. numerantur. Hæc Damianus Goes, Eques Lusitanus, qui peculiari libello accuratissimè hanc vrbem descripsit.

CASCALE ET BETHELEEM OPPIDVLA.

AB Olisipone Aquilonem versus, oppidum Cascale situm est, quo naues onerariæ in anchoris consistentes, accedente maris æstu auram operiuntur, portu vadoso, alioqui & anfractuoso. Modico inde interuallo, aduerso etiam flumine, sinus in cubiti formam efficitur, in cuius fronte sacellum est diuini Iuliani, supra quod aliud D. Catharinæ sacrum. Tum eodem latere obliqua ripa propius ad vrbem accedenti, Betheleem oppidulum, & ibi templum ingens diuæ virgini dicatum, vna cum cœnobio Monachorum, qui diui Hieronymi vitæ institutum professi sunt, sese offert, incredibili sumptu, ac magnificentia constructum, diui Emanuelis regis monumentum, quod, dum viueret, sibi ipse designauit, erexitque. Magnam tamen ipsi operi accessionem Ioannes III. Emanuelis filius fecit. De quare, extat ibi in arcu, celebre Resendij, bessalibus literis tetrastichon.

Vasta moles sacrum diuinæ in littore matri
Rex posuit regum maximus Emanuel.
Auxit opus hæres regni & pietatis vterque
Structura certant, religione pares.

LISBONA.

OLISIPO, SIVE VT PERVE-
TVSTÆ LAPIDVM INSCRIP-
TIONES HABENT, VLYSIPPO,
VVLGO LISBONA FLORENTIS-
SIMVM PORTVGALLIÆ EMPORIV.

Cum Priuilegio.

HISPALIS.

HISPALIS, quæ nunc Sibilia, vulgò Seuilla dicitur, Hiſpali Herculis filio, nomen atque primordium, Iulio Cæſari reſtaurationem, Raymiro Regi, ac longo tempore deinde Ferdinando tertio à Mauris liberationem defert. Vrbs eſt Bæticę prouinciæ ad mare Gaditanum clariſsima, forma rotunda, ædium pulcherrimarum frequentia niditiſsimè culta, totiusq; Hiſpaniæ emporium florentiſsimum, quod ex varijs mundi partibus, maximè verò ex India occidentali, quæſtus incredibiles facit. Ad tantum ſiquidem negotiationis culmen Hiſpalenſes deuenére, vt ipſi ſoli hoc priuilegio gaudeant, quò nullum in Indiam tranſmittatur nauium genus, quin hìc mercibus oneretur, machinis & tormentis bellicis, commeatu, milite, omnibusq; ad tantam nauigationem requiſitis, Sereniſsimi Hiſpaniarum Regis nomine inſtruatur. Quæ in Aprili copioſa & ingenti claſſe, maxima præſtantiſsimorũ bonorum copia refertæ, quorum pretia omnem ferè æſtimationem ſuperant, in Indiam tendunt. Quotquot etiam ex eadem India naues, pretioſiſsimis onuſtæ theſauris Aeolo benè fauente redeunt, huius vrbis littus appellere, mercesq; exinanire coguntur, quæ frequenti numero quotannis in Auguſto vel Septembri, ingentes atq; incredibiles opes conferunt. Eſt hìc ampla, & magnifica ſtructura nobilis domus, Gubernatorem & Conſules habens XII. quæ à negotijs Indicis, quæ ibidem geruntur, La caſa de la contraction de las Indias, nomen habet. Situ, omnes Hiſpaniæ vrbes excellit, agrum habet pinguem ac peramœnum, omnis generis frugum, olei, oliuarumque feracem, fructuoſis conſeptum arboribus, maximè palmis & citrijs, quas Narangios Hiſpani vocant, vt verum ſit illud adagium, quod vulgò dici ſolet: Hominibus, quos Deus amat, Hiſpali domum largitur & victum. Eam nobiliſsimus fluuius Bætis præterlabitur, nunc Guadal queuir, dicitur, Prouinciæ Bæticæ, vt Strabo & Plinius aſſerunt, nomẽ dedit, præſtans, eſt & multæ vtilitatis, vtrinque perpulchris colitur oppidis. Vnde à Statio, Martiali, Sillio, & Seneca maximè celebratur. Ligneo ponte, quem parua nauigia catenis compactum ſuſtinent, admodum delectabilis. In Atlanticum mare, magno cum impetu excurrit. In Hiſpalenſi quodam ſuburbio meridiem verſus, quod ipſorum lingua El tablado, vocant, plurima antiquitatis monumenta eruuntur è terra. veluti tymbi, lapideæ ac vitriæ lampades, vrnæ, numiſmata, & alia id genus, ex quibus gentilium ſepulturam hic quondam fuiſſe, intelligi poteſt. Altera ex parte miliari ab hac ciuitate, conuulſæ vrbis antiquæ, atq; theatri ruinæ, videntur, locus Hiſpanis Seuilla la vicia, hoc eſt, Sibilia vetus dicitur. Vehementer Hiſpalenſium ciuitatem commendat aquæductus inſignis, à Mauris incredibilibus impenſarum ſumptibus opere fornicato conſtructus, qui excauato riuo, dimidiati miliaris ſpacio, iucundam incolis aquationem præbet, vnde quàm plurimi fontes ad ciuitatis neceſsitates deriuantur. Mirabile dictu, quanto itinere, nimirũ ſex miliarium. per cæcos terræ meatus à Carmora ciuitate, ſcaturientes fontes in hunc aquęductum, deducantur. Vnde Los cannos de Carmora Hiſpanis dicitur. Excludor loci anguſtia, vt de magnifico huius vrbis templo, de celebri Epiſcopatu, deque ornamentis cæteris nihil ſcribere poſsim. De quibus Marineum Siculum, Vaſæum, & reliquos Hiſpaniæ Chorographos lege.

CALIZ OLIM GADEZ.

GADES, ſeu Gadira Inſula, paululum à continente ſemota, cui Lapuente de Suaſſe coniungitur, eiuſdem nominis Gaditanum oppidum, quod nunc Caliz, continet. Quod Cicero oratione pro L. Cornelio Balbo, quia Herculeo freto vicinum, itinerum ac laborum Herculis terminum vocat, & à L. Marineo Siculo Baticæ Prouinciæ initium ſtatuitur. Illud autem, quod nunc videtur, primis operum fundamentis non innititur, cùm hoc tempore eius poſitio orientalem plagam reſpiciat, Strabo autem lib. 3. Geographiæ ſcribat, quòd occiduas inſulæ partes occupârit. Cuius quidem rei haud obſcura nunc conſpiciuntur veſtigia iuxta D. Caibarinæ ſacellum: decreſcente etenim mari videre collapſæ fundamentorum ruinæ, confractæ columnarum ſcapi, ingentium ædificiorum fundamenta arena obuoluta apparent. Quin etiam vrinatores fatentur ſe frequenter ingentes portarum poſtes, veſtes, atque cancellos vidiſſe, quibus interpiſcandum retia implicata hærere piſcatores quærunturr, vnde priſcæ ciuitatis amplitudo euidenter appareat. Nunc non ita amplæ magnitudinis oppidum, partim nauigationis mercatura ęq; commodis, partim ſalinis fouetur, ſal enim hic eadem planè ratione, qua apud Antiquer am oppidum conficitur, vbi vallis eſt amœniſsima, omni ex parte clauſa montium iugis, quæ vallis hyeme pluuialibus aquis impletur, et in formam magni lacus efficitur, cuius aquæ calore ſolis in ſalem candidum conuertuntur, Maximo portu variarum regionum nauibus ſatis tutam ſtationem Gaditanum hoc oppidum præbet. Idem etiam memoratum efficiunt excelſæ turres, ex quarum ſummo faſtigio, ingens accenſus ignis, vicinis Hiſpaniæ ciuitatibus barbarorum hoſtium aduentum denunciat. Piſcatu quoque maximi emolumẽti ac lucri thynnorum pinguium, oppidum cum Inſula claret. Qui à kalendis Maij ad XV. Iunij inſtituitur, quo quidem tempore incredibilis piſcium copia, quæ Italicarum triremium, cæterarumq; regionum neceſsitati deſeruiunt, capitur. Reliqua inſulæ omni frugum, ac præſtantiſsimi vini prouentu fœlix. Iuxta oppidum collapſi theatri extãt indicia, vbi marmoreæ ſignæ, artificioſo opere ſculptæ inueniuntur. Cupidinis ſimulachrum mira induſtria effigiatum, ea opinione, quòd quondam huius inſulæ idolum fuerit, curiæ frontem exornat. Similiter & Herculis ſtatua, & pleraque alia vetuſtatis monumenta. De iſto oppido & Inſula, vide Strabonem lib. 3. Geographiæ.

MALAGA.

MALAGA, vrbs eſt Epiſcopalis Hiſpaniæ Bæticæ, ſitu, emporio, rerumq; omnium & neceſſitati, & voluptati deſeruiẽtium aſſluentia celeberrima. Quo variarum nationum mercatores, potiſſimùm verò Belgæ, maxima frequentia annuatim conſluunt, vti eos, quos delicatiſſimos vindemia hoc loci ſuppeditat fructus, exportent. Quod ampliſſimi lucri occaſionem non huic modò vrbi, ſed & populo, agroq; vicino, in quo hi fructus colliguntur, præbet. Vnde facilè quidem incredibilis huius ſoli vbertas intelligi poteſt, quòd ſanè dictu mirum, quantam frumenti, vini, olei, pomorum, præſtantiſſimorum denique fructuum abundãtiam fundat. In quo etiam amœniſſimi horti, generoſis arboribus culti, herbis odoriferis, fontiumque murmure præſtantes, magna cum delectatione videntur. Quin etiam contra hoſtiles inſultus, vſque adeò hæc vrbs munita, firmisque eſt mœnibus ſepta, vt valli, inuictique propugnaculi vicem contra Africam obtineat. Itaque Sereniſſimus Hiſpaniarum Rex, armamentarium hic habet, omni armorum, machinarum bellicarum, commeatusque genere inſtructiſſimum, ex quo maximis impenſarum ſumptibus perpetuum præſidium, in ſuis Africę oppidis ſuſtentat atque communit.


SEVILLA
HISPALIS, Seuilla Taraphæ, Celebre & peruetustum in Hispania, Bæticæ prouinciæ, emporium, quod Gaditani maris littus amenissimo situ illustrat.
S. Geronimo
S. Laurente
La Puerta de goles
La Casa de Colon
La Magdalena
S. Paulo
Yglesia maior
La Casa de la contractation de las Indias
El alcarpel
La Puerta de Xerez
Torre de la plata
Torre del oro
Las Sierras de Ronda
Triana
El Castillo
Xanarria
Rio Guadalquiuir
CADIZ.
La Punta de S. Lucar de barrameda
Rotta
Entrada de la baja
Yglesia maior
El Castillo
Mar Oceano
Puerta del muro
S. Roque
La Calle mayor
Horca de los franceses
Hospital de la nation flamenca
Castillo S. Philippe
Los Puertos
Stancia de las naos
S. Sebastian
S. Catalina
Pasaiges
El Puerto S. Maria
La penna gorda
Baija de Cadiz
CADIZ, olim Gades, eiusdem nominis Insulæ oppidum nobile, portu maris Herculeo freto, temploquè memoratum.
MALAGA.
Iubralpharo
La Torre del Rey
La Yglesia maior
Las portecillas
Las terrenas
El Rollo
Camino de velis
MALACE maritimum, Hispaniæ Bæticæ, oppidum, Malaga deinceps nominatum à Phoenicib. Fran: Tarapha ædificatum perhibet: Qui anno ante Christi aduentum D. CCC. XXXX ex Asia à mari, quod rubrum vocatur, in Hispanicum proficiscentes, & hanc incolentes regionem, longinquis continuo nauigationib. incubuerunt, à quibus pleræque ciuitates constructæ leguntur, inter quas Malace Ciuitas, in Bætica prouincia, ab eisdem condita fuit. Quæ nunc Episcopatui nomen præbet. Et mercaturâ, varijsquè opificum generib. claret. In qua fictilia vasa nitidissima, conficiuntur &c.

TOLETVM.

TOLETVM, Plinio & Taraphæ Serezola, Hiſpaniæ vmbelicum obtinere videtur, cuius inæqualis cliuoſus, & aſperior ſitus, ſatis difficilem in eam aſcenſum præbet. Maiorem eius partem nobiliſsimus ille fluuius Tagus, aureis celebratꝰ arenis, alluit, & ab hoſtium tuetur conatibus. Reliqua verò pars, quæ ad arcticum polum ſpectat, muris validiſsimis, & centum quinquaginta turribus tuta eſt, valdeque munita. Hanc ab Hercule ædificatam eſſe, fabulantur plerique. L. Marineus Siculus & Tarapha ex Boderico Toletano eam conditam commemorant à Tolemone & Bruto Conſulibus annis CVIII. antè, quàm Iulius Cæſar regnare cœpiſſet. Eſt autem in præſtantiſsima hac vrbe magnus equitum numerus, & illuſtrium virorum ſplendor maximus, ciuiumque frequens & maxima multitudo, Sacerdotibus etiam eſt venerabilis, & diſciplinis liberalibus exculta, artibusque mechanicis & officijs adornata, mercatorumque commercijs admodũ diues, præſertim lanificio & ſerico, quibus duobus officijs viuunt in hac vrbe hominum millia ferè decem. Diuiditur Toletum in regiones tres & viginti, eas ampliſsimum & pulcherrimum nobilitat templum, quod omne, ſacras ædes, & forma conſpicua, & magnificis ædificijs, Sacerdotumque miniſterijs, & ditiſsimis ornamentis antecedit. Huius Eccleſiæ Archiepiſcopum Vrbanus II. totius Hiſpaniæ primatem inſtituit. Hinc Toletanus Antiſtes, ſecundus eſt à Rege, non dignitate ſolum & authoritate, verùm etiam populis, vectigalibus, atque potentia, ſub cuius imperio, præter alios minores populos, oppida nobiliſsima ac memorabilia XVII. gubernantur. Sunt & hîc permulta monachorum & monialium monaſteria, Fora venalia, XVII. in quibus omnium rerum copia ſemper abundat. Sunt & hoſpitalia duo, quorum alterum redditus habet ducatorum millia quinque, quibus infirmi curantur & infantes expoſiti aluntur, quorum quidem ſemper magnus eſt numerus. Alterum verò, cuius redditus propè duo millia ducatorum, in quo curantur homines Gallico morbo laborantes. Eſt & aliud memorabile vbi degunt & aluntur homines ſenſu carentes, In quo præterea duodecim ſenes & vita probi, qui labores ferre, & victum quærere nequeunt, aluntur. Vicos autem propter domorum frequentiam denſitatemque plures habet anguſtos, qui propter aſcenſum & deſcenſum ſunt ambulatu difficiles. Cæterum domus magnæ ſunt, & intus pulchriores ac commodiores, quàm foris videntur. Seruiunt Toletanæ ciuitati tanquam dominæ multis & varijs rebus oppida multa, pagorumque maximus numerus. Qui quidem ciuitatem diuitem faciunt, & rebus omnibus abundantem. Hæc L. Marineus Siculus lib. 2. de Luſitania.

PINCIA VVLGO VALLADOLID.

PINCIA oppidum, omnium, quæ ſunt in Hiſpania maximum ac nobiliſsimum, quod Valliſoletum, vulgò Valladolid vocant. De quo L. Marineus Siculus lib. 3. de rebus Hiſpaniæ hunc in modum ſcribit. Huic oppido quas vrbes & ciuitates anteponam non inuenio. Eſt enim in optimo loco ſitum in Piſuergæ fluminis amœniſsima ripa, liberalibus diſciplinis & mechanicis artibus excultum: Aedificijs, ſacris ædibus, cœnobijs & duobus collegijs ornatiſsimum. Mercatorum commercijs & omnium rerum copia ditiſsimum. Vicis, plateis, muris illuſtre, Campis, fluminibus, hortis, fontibus amœniſsimum. In quo præter alias res memorabiles, forum eſt venale ampliſsimum & pulcherrimum. In cuius ambitu, qui paſſus ſeptingentos amplectitur, tricentas & triginta ianuas, & feneſtrarum tria millia numerauimus, & omnia vidimus officia. Huic foro coniunctus eſt vicus conſpicuus, qui ab argentarijs opificibus Argentarius dicitur. Quapropter hoc oppidum cùm ciuitas non eſt, multis tamen ciuitatibus etiam primarijs non immeritò præfertur. A regibus Hiſpaniæ præſertim, qui hoc oppidum quaſi domicilium placidiſsimum frequentant. In quo omnes ferè Hiſpaniæ magnates ædificant & libentiſsimè morantur. Hinc Orientem verſus Cabeconiana ſublimis arx aſpicitur ſupra fluminis eiuſdem ripam. Vnde non longè diſtat oppidum Donia, ſoli fertilitate diues, & Catholicorum Regum coniugio memorata. Item Palentia nobiliſsima ciuitas in amnis Carrionis margine ſita, vbi quondam literarum gymnaſium fuiſſe memorant, quod poſtea Salmanticum tranſlatum fuit. Porrò, cùm multis de cauſis celeberrima ſit Pincia, multo tamen magnificentiorem eam reddidit, optatiſsimus D. Philippi Regis Hiſpaniarum ortus: Quem quidem maximum, & potentiſsimum Regem, non alibi, quàm in potentiſsima pulcherrimaque vrbe naſci conueniebat.

TOLETVM.

TOLETVM pretiosa in Hispania ciuitas Tago fluuio celebri, quam Anno Christi D.C LXXIII Rex Bamba, turpissima seditione in Hispania sedata, muro turribus et edificijs egregijs undique exornauit, et has versus marmori in turri quadam infidi voluit: Erexit fautore deo, Rex inclytus urbem Bamba, suæ celebrem posteritatis gentis seruiturę. Quibus Memoratiue est, quod de arce tuenda Rodericus Toletanus Archi Episcopus refert. Anno Christi D.CC. Regnante (inquit) Roderico vltimo Gothorum Rege, erat Toleti palatium, a multorum Regum temporibus semper clausum, et seru plurimus obseratum: hoc fecit Rex Rodericus, contra voluntatem omnium aperiri. Vbi in quo putebat arcam repositum nil inuenit, qua aperta, reperit quendam panum, in quo lucidis literis erat scriptum. Quod cum contingeret serae frangi, arcam ata, palatium quærit, et videri, quid inde haberetur, gentes eius affligi, quæ in panno illo erant depictæ: Hispaniam inuadérent, et sue dominio subiugarent. Quod Rex audiens, doluit agnouisse, et se erat primus, fecit arcam et palatia iterari. Etenim autem in panno depictæ facies et vultus, descriptio et habitus. Arbitrum Dei. quæ pictura vsq; Regni Proceres (quia certum) audierunt illa. Sensit deinde miserabilem omnem Hispaniam eadem. Nam Anno Domi D.CC.XIII. ex sententia Saracenorum, et Arri Vasorum, et Iudæorum Sacrilegi perfidiæ Anno Christi D.CC.XIII Saracenis Roderico vltimo Gothorum Regi, infausto eo dierum consistu, vniuersa nobilitate deleta, totam Hispaniam partim vi, partim deditione, et metu, partim promissionibus regnator, et Arri Vasorum, et Iudæorum Sacrilegi perfidiæ Anno Christi D.CC.XIII Saracenis Roderico vltimo Gothorum Regi, infausto eo dierum consistu, vniuersa nobilitate deleta, totam Hispaniam partim vi, partim deditione, et metu, partim promissionibus breuissimo tempore in potestatem redigunt. Cantabris duntaxat, et Asturibus exceptis. Ac deinde, Anno D.CC.XV Dominica Palmarum Toletum fraude Iudæorum Moura predictum fuit. Quam Christiani nihil minus, suspicantes, extra urbem ad D. Leocadiæ de more vacarent audiendo verbo diuino. Ab eorum autem tyrannide liberatur et Christianæ Religioni restituitur, per Alfonsum Sextum, Anno Dñi. Millesimo, nonagesimo tertio, et ex Codice Alcobacensi, et ex alijs chronicis peruetustis, Cæsaraugustanis, et Toletanis.

Cum Priuilegio

VALLISOLETVM.

VALLISOLETVM Alijs Pincia, communiter Valladolid dicitur, nobilissimum totius Hispania oppidum, Serenissimi Regis, Proceru, Illustriumq; virorum sedes est, ac prom magnificis edificijs, tam nobilitii vsui, quam cultui diuino nitidissime constructis, præ ceteris Hispaniæ ciuitatibus superbissime exornatur. Et ex opificum et mercatorum frequentia et vbertate soli, et præterfluente piscem haud contemnendas exhibentes percipit.

QVI topographicam Hiſpaniæ enarrationem literarum monumentis tradiderunt, ij præſtantiſsimum hoc Regnum in Prouincias quinq; partiti ſunt, Tarraconenſem, Galatiam, Luſitaniam, Bethicam & Carthaginẽſem. Granatę aũt Regnum regio quædã eſt media inter Bethicã prouinciam & Carthaginẽſem, vel potius pars vtriuſq;. Cuius quidem regionis longitudo, eſt paſſuũ milliũ circiter ducentorum, & latitudo ferè centum, patetq; circuitu ad paſſuum millia ſeptingẽta. Eſt enim longitudo ab Ronda vſq; ad Oſcam, latitudo verò ab oppido Cambili vſq; ad mare Mediterraneum, & portũ Almugnecaris. Qua ad meridiem ſpectat, ab vna parte planicies habet amplas, & fertiles campos. Ex altera Beſtanos montes altos, & aſcenſu difficiles. Huius Regionis metropolis eſt ciuitas Granatenſis, de cuius quidem fundatore ac tẽpore, quo ea ædificata fuit, mihi non benè compertum eſt, inquit Marineus Siculus. Fuiſſe autem quondam ſitu paruã, credendum eſt, & à Mauris propter oportunitatem loci, magnamq; fertilitatẽ indies auctam nouis ædificijs ac denſiſsimis ædibus, hanc ego facio cõiecturam, propterea quòd veterũ ſcriptorum de tam inſigni vrbe, tamq;, populoſa, & memorabili, neminem ſcripſiſſe comperio. Sunt autem pleriq; qui nõ Granatam, ſed Gar Natæ dicendum exiſtimant, eò, quòd punica, ſiue Arabica lingua, Gar, antrũ ſignificat, quod in ea vrbe à Nympha, nomine Natæ colebatur. Itaq; nomen vrbis Gar Natæ, hoc eſt, antrum & ſpeluncã Natæ Nymphæ fuiſſe volũt. Alij Granatã Eliberæ nomen fuiſſe cõtendunt, à quadã fœmina generoſa, quæ & vrbis portæ, qua fuit ingreſſa, de ſuo nomine, nomen dederit. Sed hæc denominatio nec Marineo Siculo, nec Vaſæo tomo primo chronici Hiſpaniæ cap. 20. probatur. Alij deniq; Granatam dictam opinantur à Cocco, cuius in ea Prouincia magna copia legebatur, quam rem Granam Hiſpani vocant. Ego verò vrbem Granatam dictam fuiſſe arbitror, à mali punici, quod & Granatum vocatur, ſimilitudine. Nam, vt malum punicum granoſum eſt, & acinis, hoc eſt, granis denſiſsimis refertum, ſic & vrbs Granata denſiſsimas domos & dehiſcentes granati ſimilitudinem habet. Vniuerſa igitur Granatenſis ciuitas communi nomine Granata vocatur, colles binos & altos, ac quaſi montes complectitur, quos Darrus amnis per vallem mediam fluens, diuidit: cui quatuor vrbis Regiones primariæ, ſitu quaſi ſeparatæ, appellationes diuerſas imponunt. Ea vrbis Regio, quæ loca magis decliua & valles occupat, quæ & maximo decoratur templo, Granata dicitur. Reliquæ verò duæ, binos occupant colles, quarum altera ſolis ſpectans exortum, & Regio palatio illuſtris, Sierra del Sol. Altera autem El Aluefin, nominatur. Quarta verò vrbis Regio, temporis deinde ſucceſſu, ob maiorem populi, & incolarum frequentiam Granatæ conjuncta, Antiquerula dicitur. Primam vrbis regionem, quam Granatam nuncupari diximus, Eccleſiaſtici, ac viri nobilitate & opum magnificentiã illuſtres, præpotentes quoq; mercatores tanto numero inhabitant, vt vici, qui plurimi ſunt, ob incredibilem ædificiorum frequentiam pleriq; ſint anguſti, & item plateæ, foraq; venalia. Quæ tamen à Chriſtianis, poſt Granatæ expugnationem, ampliora facta ſunt, & illuſtriora. Hinc fit, vt hæc vrbis regio præ cæteris magnifico ædificiorũ ſplendore niteat, & hortis, arboribusq; venuſtè cultis, gaudeat, in quibus magna lemonum copia inuenitur. Eſt & in hac vrbis parte longè maximum templum, quod ſumptuoſiſsimo ac mirabili opere cœptum eſt ædificari, ea propemodum forma, qua ad S. Mariam Rotundam Romæ conſpicitur, habens altare in medio. In ædehac ſacra, ſacellum eſt ſplendidiſsimum, in quo Ferdinandus Hiſpaniæ Rex cum Coniuge ſua Iſabella, qui Granatenſem hanc vrbem Maurorum tyrannidi, Anno à Chriſto nato M.CCCC.LXXX. eripuit, ſepultus iacet: Ab eoque tempore recepta lege & conſuetudine maiorum obſeruatum fuit, vt Hiſpaniæ Reges in hoc ſacello ſepeliantur. Rari itaq; operis Regum monumenta ingenti impenſarum ſumptu perfecta, ſacellum templumq; hoc Granatenſe illuſtrant. Iuxta eſt perantiquũ Maurorum Phanum, Meſquita, eorum lingua nominatum. Eſt in hac quoque vrbis Granatenſis regione ſummum æquiſsimorum Iudicum tribunal, quo extremæ omnium Iudiciorum appellationes diriguntur. Qui huic Iudicio præſunt, Oidores appellantur. Et dum in tribunali ſerico, auro, argentoq; magnificè ornato, res in controuerſiam vocatas diſcutiunt, Regiam Maieſtatem ipſam repræſentant, eoq; ſalutantur reuerentia, ac ſi Maieſtas Regia coram eſſet. Eſt & hic platea magna & plana, nuper à Chriſtianis inſtructa, quam Bibarramblam Mauri vocant, & arenariam ſignificari dicunt. In qua fons eſt excelſus & inſignis. Campus præterea totius in circuitu dealbatis ædibus, crebriſq; feneſtris conſpicuus. Huic plateæ, foroq; venali domus coniuncta eſt, quam Alcaceriã vocant, in qua tabernulæ ſunt numero ferè ducentæ. In quibus ſerici panni, cæterarumq; rerum merces quotidiè venduntur. Domus hæc, quæ parua ciuitas dici poteſt, calliculas habet multas, & decem portas. In quibus tranſuerſis catenis, ferreis, propter vicorum anguſtias, & negotiantium frequentiam, ingreſſus equitantibus prohibetur. Cuius præfectus noctu foribus clauſis, nocturnas habet excubias, & vigiles canes. Et nomine Regis, à ſingulis tabernis vectigal exigit. Quin etiam Darrus amnis Granatam irrigat. Qui ſupra hanc vrbem ad paſſuum millia ſeptendecim ex alto iugo montis oriens, omnibus ferè ciuitatis domibus aquas abundè ſuffundit, & aurum quærentibus ſuppeditat, quod ex eo puriſsimum inuentum eſſe vidit ampliſsimus, multoq; rerum vſu, & experientia clariſsimus vir D. Georgius Hofnagel negotiator, & ciuis Anuerpianus, qui & hanc Granatæ picturam manu ſua artificioſè delineatam, ipſamq; enarrationem hiſtoricam, Flandrico idiomate conceptã, perbenignè nobis cõmunicauit. Cuius quidẽ induſtriã vehementer demiror atq; exoſculor, quod in hac arte nullo vnquam ſit vſus magiſtro. Ea propter Bernardus Gentilis Poëta, & Orator inſignis, hunc amnem, Daurum, quaſi dantem aurum appellare ſolebat, vulgo autem balneum pecoribus ſalutiferum dicitur, eo, quòd hæc aqua, omnia morborum genera, in animalibus curet. Vtraq; Dauri ripa varijs multisq; coniungitur pontibus, quorum vnus hic Granata admirabili ſtructurã videtur, habens in medio fontem magno cum impetu, copioſam ac lympidam aquam ſcaturientem. Quamplurimi etiam fontes in hac vrbe paſſim, agroq; vicino, ſalubri naturã & conditione inueniuntur, adeò, vt ſpacio millium ſeptem & viginti, ſex & triginta fontes oriantur. Sequitur nunc altera vrbis regio, quæ Alhambre nomen habet, quã Mauri ſua lingua rubrã ſignificari dicũt. Et hoc nomine dici, vel à conditore, homine rufo, vel à rubra terra, quæ nunc etiã in ædificijs cernitur.

In ea eſt Regum Granatenſium palatium vetus, vermiculato marmoreoq; lapide permagnis ſumptibus olim conſtructum. Cui quidem arci, ſiue loci amœnitatem, ſiue gratiſsimum multorum fontium murmur conſideres, nihil ad voluptatem deſuit. Eſt etiam hic nouum Hiſpaniarum Regis palatium, tantã magnificentiã, formã, ac venuſtate conſpicuum, vt & fidem propemodum, eamque in ſcribendo facultatem excedat. Adeò, vt totius Vniuerſi mirabilibus non annumerari modò, ſed & optimo iure, queat præferri. Domũ hanc Regũ delitias non immeritò dixeris. Situ, tamq; amœno excellit proſpectu, vt incredibili oblectatione oculorũ ſenſum afficiat. Quæq; enim verſus ea, ſpexeris, habes, quod naturæ ac Dei bonitatẽ, agriq; Granatẽſis fœlicitatẽ admireris. Verſus ſolis exortum atq; Meridiem, altiſsimi montes, perpetua niue vel æſtiuo tempore, menſeq; Quintili, regnante canicula, candentes ſeſe offerunt. Ideoque niuoſi dicuntur. Quo verò vſq; in Septentrionem atq; occaſum, oculorum acies ſe extendere poteſt, peramœna planities, lætis admodum, floridisque pratis, ac omne frugum genus ſumma abundantia proferens, videtur. Adeò, vt ex arborum ſolijs, quibus ſericum conficitur, præter multas ſerici libras vectigal aureorum milliũ ferè triginta quinq; Reges conſequantur. Quin etiam hanc alteram vrbis regionem ad montis radices, domus, Generalypha, delectationis, voluptatisq; gratia à Maurorum Regibus ædificata, commendat, vbi arte conſitæ ſyluulæ, arbores patentibus ramis, generoſis fructibus graues, ſepimenta reticulata, feræ beſtiæ frequenti numero conſpiciuntur: nec ſua etiam auribus, ex ſuauiſsimo fontium vndique diſcurrentium murmure, hoc loci oblectatio deeſt. Tertia vrbis regio, El Alueyſin duos complectitur colles, admirandã ædium frequentiã cultos. Quæ, quia à ſolis Mauris quondam habitabatur, nõ altera ciuitatis regio, ſed diuerſa planè natio habitu & idiomate à reliquis Granatæ incolis ſeparata eſſe videbatur. Agricultura & ſerici textrinis vt plurimũ victum quærebant. Et quantum vxorum luxui ſerico, aureo, argenteo, ac præſtantiore veſtitu indulgere, tantum ſibi viliore habitu viri ſolebant adimere, facco ſemper onuſti, etiamſi prædiuites, incedentes, vt qualiacunq; onera mercedis conſequendæ gratia perentibus ferrent. Nomẽ, fidemq; Chriſto tum pietate, tum pœnarum metu dederunt. Quarta deniq; regio, Antiqueruela, ſitu plano, complures etiam domus habet, in quibus bombycinus, cuiuſuis generis pannus conficitur. Vrbis paſſuum millia circiter duodecim circuitus cõplectitur, totus vndiq; mœnibus cinctus, & mille triginta propugnaculis tutus. Portæ, quæ ſunt numero XII. ad occidentem faciles habẽt exitus, & campos amœnos. Cæteræ verò ad Orientem, ſubdifficiles. Eſt aũt in vrbe Granata, totaq; eius regione, omniũ rerũ, quæ ſunt ad hominũ vitã degẽdam, & cultũ neceſſariæ, magna fertilitas, & ſaluberrima ſemper aeris, cœliq; tẽperies. Vbi neq; tellus nimio ſolis ardore torretur, neq; frigore contrahitur, & incolæ perpetuo temperamento perfruuntur. Hæc, partim ex Marineo Syculo, partim ex Georgio Hofnagel.

Oriens.
PLVS.
VLTRA.
Depingebat Georgius.
GANANA
DA
Hoefnagle Antverpianus.
15
63.
1. S. Christoual.
2. S. Andres.
3. Los Theatinos.
4. El Bosco.
5. Generalipha.
6. S. Helena.
7. El Castillo major.
8. Palatio Real nueuo.
9. Palatio Real Antiguo.
10. El Castillo Aiuba.
11. A1. Algibe
12. M2. Mesquita
13. G1. Goerta del Rey Moro.
14. L4. La Sierra del Sol.
15. L5. Los Masmoros.
16. L6. Los Martires.
17. L7. La Sierra neuada.
18. H8. Hospital Real.
19. Y9. Yglesia Mayor.
Granada
El Alhambre
Antiqueruela
Occidens.

BARCELONA.
BARCINO, quę vulgo Barcelona dicitur, vrbs est apud Hispanos celeberrima, mediterranei maris litus, situ nobilitas, mirisq; antiquitatem redolet. A Romanis in Hispaniam transgressis, Fauentia dicta Multis deinde saeculis, cum diuersis exteris, nationum manus, sese per Hispanias effunderent, hanc etiam vrbem, inter alias solo aequarunt, quae prom vastis perseuerauit, donec eam nunc incolae iterum instituerent, ac veteri illi reddito nomine, Barcinonem rursus appellarent. Durat etiam nunc hac nostra tempestate inter vrbis appendices vestigium veterum murorum, neq; magnorum, sane, neq; spatiosorum. Quod si tidem fuerint, quae construxerat Hamilcar, cisus eos in ambitu tantum quatuor habuisse portas, turris, ritinas, in quibus gelaturae quaedam cernuntur speciem gerentes capitum bubulorum, quibus veterum nonnulli significari pagen arbitrantur, alij laborem et exercitationem, quae omnium humanorum bonorum habentur instrumenta. Vsque adeo vero auctae et promotae sunt aedificia, quae priores muros cingunt, vt caput hac vrbs esse coeperit. Et nunc etiam sit Catalonicae, vnaque sit ex pulcerioribus ditioribus amoenioribus ac potentioribus Hispaniae ciuitatibus. Hac Florianus de Campo
Cum Priuilegio.
EÇIIA
Depingebat Georgius Hoefnagle 1567.
Camino de Seuilla po? fuentes
Aqui se laua la lana
Rio chenil
Molino
El Rojilo de vna piedra
Camino para Cordua

CIVITAS BVRGENSIS.

BVRGOS, celebris admodum & antiquiſsima Galleciæ ciuitas, quam Burgenſem nunc vocant,& Masburgi dictũ fuiſſe quondam legimus. Quæ dicebatur & Auca, quod nomen mihi vero ſimilius eſſe videtur, propterea quòd etiam montes apud eandem vrbem nunc Ocani dicuntur, & Aucani melius dicerentur. Tametſi Plinius non Aucam, ſed Ceucam nominauit. Eſt autem Burgenſis ciuitas, vt diximus, antiquiſsima, multisq; rebus inſignis,& inter primarias vrbes totius Hiſpaniæ meritò referenda. Cuius incolæ non ocioſi, non circumforanei ſunt, ſed omnes,non modò viri,ſed etiam fœminæ labore manuũ ſuarum victum quærunt,& honeſtiſsimè viuunt,& alij diſciplinas liberales exercent. Mercatores, qui ciuitatem opulentam faciunt, fideles ſunt, & liberales. Sacerdotes diuini cultus, & rerum ſacrarum ſtudioſi, diuinis officijs & literarum ſtudijs diligenter incumbunt. Magiſtratus,& Reipublicæ gubernatores, communibus commodis rectiſsimè prudentiſsimeque proſpiciunt. Sic itaque cunctis ciuitatis ordinibus officium ſuum liberè rectéque facientibus, tota ciuitas indies augetur, indies magis illuſtratur. Equites,qui plures in ea ſunt & potentes,immunitates,leges,& priuilegia,quibus ciuitas gaudet,conſeruare ac tueri diligentiſsimè ſtudent. Eſt præterea ciuitas magnis & pulchris, nec minus commodis ædificijs adornata, Foris venalibus, plateis, vicis, pontibus, templis, cœnobijs, amnibus exculta: cuius eccleſia maior, intus & extra, opere eſt & ædificio mirabilis. In qua res diuina ſæpenumero celebratur, cantoribus & organis,in quinque ſacellis, inter ſe diſtantibus, nec alijs alios perturbantibus. Ex ſacellis verò & ſacrarijs, quæ multa ſunt,illud vnum Caſtellæ Comeſtabilis conſpicuum atque ditiſsmum, non Eccleſiæ ſolùm Burgenſis, ſed etiam cunctis ciuibus magno eſt ornamento. Sunt & extra vrbem domus hoſpitales, quæ regiæ dicuntur,inſignes & memorabiles, & maximi cenſus. Quarum inſtitutiones & ordines viuendi, qui ſancti ſunt, & maximè laudabiles, cauſa breuitatis omitto. Dicam tamen breuiter, de monaſterio monialium,& ſanctiſsima domo,quoniam res eſt inſignis & memorabilis. Quam domum Huelgas vocant Hiſpani, cuius maxima ſacerdos ſub imperio ſuo diligentique cuſtodia centum quinquaginta monialibus imperat, & ſanctiſsimè conſulit. Quæ quidem moniales ſunt omnes equitum nobiliumque principum filiæ, & familiæ generoſæ. Præeſt etiam hæc ſacerdos, quam Abadeſam vocant,alijs ſeptendecim monaſterijs,& oppidis quatuordecim non ignobilibus,atque alijs minoribus quinquaginta. Conſert præterea ſacerdotia multa ſacerdotibus, & cenſus commendatarios viris XII. contribuit,& alia beneficia & officia & ſuis populis magiſtratus & gubernatores eligit. Aedificauit autem hanc domum & opus ingens Rex Sancius, qui propter opera, quæ fecit mirabilia,cognomen Amati promeruit. Eſt itaque hæc vrbs multis magnisque rebus memorabilis, cuius homines ſunt humaniſsimi, & aduenas maximè diligunt. Sunt & fideliſsimi ſuis principibus,& hoſpites patientiſsimè tolerant, & honorificentiſsimè tractant. Hæc ex Lucio Marineo Siculo excerpſimus.

S. SEBASTIANI OPP.

OPpidum SANCTO SEBASTIANVM, quod patria lingua incolæ Donoſtien appellant, vnum eſt ex præcipuis oræ maritimæ oppidis regni Guipazcoæ, ſitum ad fluminis quoddam oſtium, quod à veteribus Menlaſcum dicebatur, non procul ab ipſius oppidi oppoſita mari crepidine. Hæc autem Guipazcoa Hiſpaniæ regio, diuerſa eſt ab ea quæ Biſcaia dicitur, quamuis vtriuſque incolæ, & iiſdem ſint moribus, & eadem ferè pronuntiatione vtantur in eo idiomate, quod à reliquis Hiſpaniæ populis diuerſum habent. hæc Florianus de Campo. Oppidum hoc porrò ampliſsimo portu nobilitatur, in quo naues à ſæuientibus vndis, & à parum propitijs ventorum flatibus, ſecuram & tutiſsimam ſtationem habent, eò quòd non induſtria arteq; humana, ſed ſagacis naturæ prouidentia factus ſit. Quamobrem multorum mercatorum Germanorum, potiſsimùm verò Cantabrorum frequentatione celeberrimum eſt, qui varia genera mercium aduehunt, & in alias mundi partes exportant. Archiepiſcopatui Burgenſi obtemperat, Agrum habet frumenti, vini, & lanæ feracem. Progredientibus vltra Sanctũ Sebaſtianum ad milliaria Hiſpanica quatuor, occurrunt iuga montium Pyrenorum, quæ iuga ſeu faſtigia in illis locis hodie vernaculo ſermone appellantur, La ſierra Lazquiucz.

BVRGOS celebris et antiqua Hispaniæ ciuitas, quæ Auca, Brauum, Masburgi, Liconitiurgis, nomina habet.

SANCT. SEBASTIANVM vulgo Donostien ad mare Oceanum insigne regni Guipuzcoa oppidum.

Depingebat Georgius Hoefnagle Antverpianus.

BVRGOS celebris et antiqua Hispaniæ ciuitas, quæ Auca, Brauum, Masburgi, Liconitiurgis, nomina habet

SANCT. SEBASTIANVM vulgo Donostien ad mare Oceanum insigne regni Guipuzcoa oppidum

Depingebat Georgius Hoefnagle Antverpianus.

LVTETIA PARISIORVM.

LVTETIA PARISIORVM fertiliſsimi regni Francici caput atque Metropolis, magnitudine incredibili, nobilium, mercatorum, ciuium, & ſtudioſorum frequentia, ædificiorum & publicorum & priuatorum ſplendore, non modò vniuerſæ Galliæ, ſed maximis totius Europæ ciuitatibus præfertur. Hanc à Paride, qui à Iapheť, filio Noe, ſucceſsiuè deſcendit, & XVIII. Celticæ Galliæ rex hiſtoriarum monumentis declaratur, primùm fundata, à quo & nomen ſortita fuit. Poſteaquam verò plateæ lapidum pauimento ſtratæ non eſſent, has autem ingens hominum multitudo contereret, ob magnitudinem luti, Lutetia denominata dicitur. Alij tamen ab albedine murorum, quam λευκοτίαν Græci, Lutetiam vocari exiſtimant. Eam Iulius Cæſar vſque adeo ædificijs adauxit, tamq̃ fortiter mœnibus cinxit, vt Iulij ciuitas à Boetio lib. de diſciplina ſcho. vocetur. Celeberrimam hanc ciuitatem, Sequana, duplici amne diuidens, tripartitam conſtituit, quarum prior Vniuerſitas, altera ciuitas, tertia vrbs nominatur. Illam Carolus Magnus Alcuini Præceptoris ſui inſtinctu, Anno à C. N. 796. ex Romana fundauit, & permultis prærogatiuis, priuilegijs, & immunitatibus ſplendidiſsimè exornauit. Quæ muſarum, diſciplinarumq̃ liberalium, & humanitatis, quaſi domicilium, fons, & origo omnium ſcientiarum, mater ac ſeminarium doctiſsimorum virorum ſemper fuit. Quatuor verò firmiſsimis columnis innititur: Theologiæ, Medicinæ, Iuris, & Artium facultatibus, quarum priores Decanum, & Pedellos binos, ſiue oſtiarios habent. Poſtrema autem Magnificum D. Rectorem tertio quoque menſe eligit, cui facultates omnes reliquæ, tanquam ſupremo capiti, parent. In hac vniuerſitate quatuor hominum nationibus ſingulares deſignantur Patroni, Franciæ, Picardiæ, Normandiæ atque Germaniæ, cui natio Anglicana iungitur. Vniuerſitas rei ſacræ dicatas ædes magnificè cultas continet XVII. Monaſteria XIIII. Xenodochia IIII. Sacella III. Collegia publica XX. Priuata (quæ ampliſsimorum hominum fundationibus, certis quibuſdam muſarum cultoribus victus & ſtudiorum neceſſaria elargiuntur) XXX.

Ciuitas inter Vniuerſitatem & vrbem media, huic quidem tribus, illi verò duobus coniungitur pontibus, qui vtrinq; ædium conſtructione, non pontium, ſed platearum formam referunt. In hac Pariſiorum parte, Palatium Regium à Philippo Pulchro ædificatum, & in eo Sacellum ſanctum, ſtupendo artificio conſtructum, Magnificumq; B. Virginis Fanum, continetur, quod quidem ob elegantiam formæ, magnitudinem, & artificioſiſsimorum ſignorum præſtantiam, totius Galliæ miraculum habetur. Crocodilus viuus in Palatij fundamento inuentus fuit, cuius exuuium hodierno etiam die in magna Palatij aula exhibetur. Reliqua ciuitatis templa numerantur XX. Xenodochium I. Sacella V.

Tertia, quæ & maxima Pariſiorum pars, vrbis nomen obtinet, habitatoribus & pulcherrimis ædificijs adeò frequens, vt ea ſola maximis totius Galliæ ciuitatibus annumerari queat. Templa habet XXXI. Monaſteria X. Xenodochia IIII. Sacella VI. Quamplurima autem tam ciuitatis, quàm vniuerſitatis, & vrbis fana Regum ac Ducum ornatiſsimis ſepulturis & epitaphijs, præſtantiſsimisq; ſanctorum reliquijs nitent. Quæ tam accuratè Aegidius Corrozet in ſuo de hac ciuitate libro annotauit, nihil vt ſtudioſus lector amplius deſiderare queat. Lutetia Pariſiorum portas habet XIV. Pontes V. Fontes XVI. Suburbia X. Vndiq; in hanc ciuitatem tanta annonæ defertur copia, nihil vt hîc infinitæ hominum multitudini ad vitæ neceſſaria deſit. Mirati ſunt frequenter Germani, qui ſtudiorum cauſa huc veniunt, omnium rerum, quæ hominũ neceſsitati deſeruiunt, ingentem abundantiam. Maxima & lata Lutetia habet Suburbia, vt pleraq; cum magnis Franciæ ciuitatibus certent. S. Dionyſius D. Pauli diſcipulus primus Pariſienſes Chriſtiana doctrina imbuit, quam non modò ſermone, ſed & ſanguinis effuſione fortiſsimè confirmauit. Irrigata innocentiſsimi viri ſanguine ciuitas, iucundiſsimos fidei fructus cœpit proferre. Pharamundus Galliæ Rex, Chriſtianam fidem profeſſus, inclytis & auguſtiſsimis fanis, ingenti ſumptu conſtructis, Pariſienſem ciuitatem illuſtrauit.

Euſtathius à Knobeldorf Prutenus Pariſiorum magnificentiam carmine conſcripſit. Idem ſingulari libello, Aegidius Corrozet. Pyrrhus verò & Iacobus Capellus, oratione præſtiterunt.

LVTETIA, vulgari nomine Paris, vrbs Galliæ maxima, Sequanâ nauigabili flumine irrigatur, nobili gente, mercatorum frequentia vniuersitate excellenti, stupendi operis templo B. Mariæ, Palatio Regio, alijsque præstantissimis ædificijs, tribunali æquissimorum Judicum, & pulcherrimis epitaphijs, florentissima
Riuiere de Saine
PARIS pour vray est la maison royalle,
Du dieu Phœbus en splendeur radiale
Cest Cyrrhea pleine de bons espritz,
Tresuiggureux, faisans diuers escriptz,
Cest Chrysea en metaulx habondante
Grece de pris en liures florissante
Inde en estude, & en poetes Romme,
Athenes lors en maint tresscauant homme,
Rozier mondain, baulme du firmament,
Vniuersel, de Sidon lornement
Tres habondante en viures et breuuaiges,
Riche en beaulx champs & fluuieux riuages
Fecunde en vin, doulce en ses Citoyens
Fertile en bled, & en maintz daultres biens.
Cum Priuilegio

MONS PESSVLANVS.

MONS Peſſulanus, Galliæ Narbonenſis oppidum, Agatho quondam, ſiue Agathopolis, nunc vulgo Montpeslier dicitur. In agro admodum fertili poſitum, decem milliaribus à mari Mediterraneo diſtat. Epiſcopatu, & Vniuerſitate celebratur. In qua olim Iuriſprudentia, nunc Medicinæ ſtudium floret. Ampliſſimo Medicorum Collegio nitet, quod ab Vrbano Pontifice Summo fundatum, & copioſiſsimis eſt exornatum reditibus. Aliud etiam, non minùs elegans, atque præclarum Collegium Regium, ab Henrico Gallorum Rege erectum, ibidem cernitur. Quin & tertium Collegium eſt, Duuergier, quod optimæ ſpei adoleſcentibus, ſtudiorum, victuſque neceſſaria, in decennium præbet. Scribit Rebuffus, tantam eſſe Rectoris in hac Vniuerſitate auctoritatem, vt Studioſi, quacunque etiam de cauſa egredientem, comitari honoris gratia cogantur. S. Rochus, ex huius oppidi moderatore ac domino natus, à tenera ætate religioni ac pietati deditus, ampliſsimum patrimonium in pauperum vſus conferens, atque paternum oppidum patruo donans, poſt multas ærumnas, ex hac ciuitate ad æthereas beatorum ſedes auocatur à Domino.

TVRO.

TVRO, vulgari idiomate Tours, Prouinciæ Turonenſis celebris metropolitico honore ciuitas, non modò opibus, ædificiorumque præſtantia, verùm etiam Ligeris, nobiliſsimi fluuij vicinitate, nobilitatur. Qui in Auernorum finibus oritur, Heduoſq; à Biturigibus diuidit, & ab Oceano ſurſum nauigabilis, varias merces, & vitæ neceſsitates in hanc ciuitatem inuehit, ac non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum delabitur. Mercatura & lanificio claret. Cumque multarum rerum opulentiſsima ſit habita, tum vel maximè ob incredibilem regionis amœnitatem, & ob placidiſsimam aëris conſtitutionem, totius Galliæ hortus atque pomarium ciuitas Turonenſis vocatur. Agrum etenim fertilem habet, atque iucundum, varijs herbarum & lætiſsimarum arborum generibus perornatum, qui non tantùm ea, quæ hominum brutorumque vſui, ſed & ea, quæ delicatulis ſatisfaciunt, ex ſe largiſsimè fundit. Huius fundationem Britannorum Chronica Troianis adſcribunt. Archiepiſcopalis in ea ſedes exiſtit, XI. Suffraganeos habens. In qua complures Antiſtites doctrina ac ſanctitate præſtantes, vixêre. Inter quos, S. Martinus vnicum Eccleſiaſticorum decus, lumen, atque exemplar fuit, quemadmodum Seuerus Sulpitius tribus de eo libris teſtatur. Celebris quoque pietatis fuit alter eiuſdem vrbis Antiſtes Perpetuus.

PICTAVIS.

SVmmam antiquitatis laudem meretur Pictauis, ſiue Pictauia, Ptolemæo Auguſtoritum. Sunt, qui Agathirſis atque Gelonis filiorum Herculis ſucceſſoribus (qui picti à Poëtis vocantur) eius fundationem attribuunt. Hi etenim ob concitatas ſeditiones domeſticas patria pulſi, in Angliam deuenerunt, inde numero & multitudine aucti, nouis quærendis ſedibus, in Galliam traiecêre, vbi à ſuo nomine Pictones populos hanc quoque ciuitatem condidiſſe feruntur. Aliter alij ſcribunt, cùm ex Pomponio Mela, & Plinio conſtet, antè etiam multò, quàm hi ex Anglia venerint, Pictonum extitiſſe memoriam. Vrbem circundat Clanus fluuius, qui in Viennam delabitur. Reflatam fortunæ auram, cùm ab alijs, tum ab Anglis maximè (vti annales perhibent) frequenter eſt perpeſſa. Epiſcopatus eam commendabilem reddit, cui maxima laude præfuit D. Hilarius, doctrina ac pietate ſingulari Antiſtes, qui Arrianæ factioni inuictum ſe antagoniſtam oppoſuit, ac præclaros illos & nunquam intermorituros de S. Trinitate libros XII. magno tum ingenio, tum eloquentia conſcripſit. Vniuerſitatem etiam Pictauis habet, in qua tum mitiores diſciplinæ, tum Iuriſprudentiæ ſtudia vigent. Huic Munſterus alterum locum poſt Academiam Pariſienſem attribuit.

MONSPESSVLANVS, MONTPELLIER.

TVRO. TOVRS.



Cum Priuilegio.



PICTAVIS, SIVE PICTAVIA, vernaculo idiomate Poitiers, Pictauorum aut Pictonum Metropolis, turis studio, ingentis theatri ruinis, ædificijs magnificis, tam diuino, quam humano vsui paratis, aliisque antiquitatis monumẽtis, orbis memorabilis.

ROTOMAGVS.

ROTOMAGVS, vulgò Rouan, Normandiæ metropolis, ab ea parte qua Orientem respicit, iucundissimis irrigatur riuulis duobus: Meridiem versus, Sequanam, celebre & nauigabile Galliæ flumen propinquitate decorat: Iuxta Septentrionem, altos habet montes, qui igni fomenta suppeditare solebant. A fundatore nomen habet Mago. II. Galliæ Rege, & Roth idolo, quondam hîc religioso numine celebri, cuius vsum & simulachrum Mello, primus Rotomagensis Episcopus, circa annum Domini CCLX. euertit, eiúsque delubrum, sanctissimæ Trinitatis venerationi dicauit, quemadmodum ex hymno ecclesiastico patet: Extirpato Roth idolo, fides est in limine &c. Agrum habet optimum, fœcundum, & herbidum, ita vt Iulius Cæsar opportunitate loci adductus, validis hanc vrbem muris cinxerit, & Romanorum præsidium, ad totius Prouinciæ defensionem, in ea reliquerit. Splendida Archiepiscopi domus, egregia monachorum cœnobia, palatium, curia, pons ex quadrato lapide ingeniosè constructus, Cathedralis Ecclesia tribus decorata turribus, cæteraque ornamenta, quæ ad absolutam & perfectam ciuitatis structuram requiruntur, Rotomagensium vrbem celeberrimam reddunt.

NEMAVSVM.

NEMAVSVM, communi idiomate Nismes, ciuitas est Narbonensis Galliæ, olim florentissima, vtputa quæ IIII. & XX. vicorum fuerit metropolis, octo milliaribus à Monte Pessulano distat, nomen atque originem à Nemauso Herculis filio, habere perhibetur. Eo est situ, quo ex Italia in Hispaniam itur, miram vndique vetustatem redolet. Aliquot siquidem perantiquæ in ea videntur statuæ, pulcherrima summorum hominum epitaphia, Amphitheatri spacioſi ruinæ, Hadriani basilica. Iuxta montis radicem est perennis & lympidissima aqua, quam specum aut lacum haud ineptè dixeris, cuius fundum nemo mortalium inuenit. Est & templum Cathedrale, D. Virgini sacrum, in quo pauimentum vermiculato emblemate tessellatum mira suauitate videndi sensum oblectat. Tribus milliaribus paruis à Nemauso, pons est, Du Gar, à fluuio Gardon, nomen habens, triplici serie, mira industria fornicatus, quarum prima hominibus atque iumentis transitum præbet, altera aquæductum sustinet. Antonini Pij Philosophi & Imperatoris, Domitiani, aliorumque natalibus claret, qui non modò Galliæ, sed & vniuerso propemodum mundo, ornamento fuêre. Peculiari libro hanc vrbem descripsit Ioannes Poldo.

BVRDEGALA.

BVRDEGALA, vniuersæ Aquitaniæ meritò constituitur caput, tum quia miram vetustatem ostentet, tum quia ædibus sit decorata magnificis, tum denique, quia situ munita, arx & propugnaculum Galliæ habeatur. Fatebuntur hoc Angli, qui graui obsidione eam presserunt, hac spe, vt fortissima Galliæ arce expugnata, reliquarum vrbium paruo negotio se fore victores. Quorum conatus fortis magnusque indigenarum animus, & benè munita ciuitatis mœnia, frequenter euerterunt, eosq; in insulam, quò marinis cincti limitibus, sua sorte contenti viuerent, remiserunt. Primam eius formam quadrangulam fuisse, ex muris antiquis conspici potest. Amplificata deinde ob hominum frequentiam vrbe, eam, quam nunc habet, consecuta est faciem. Antiquo palatio XIIII. innixo columnis, templo S. Andreæ, arce ex viuo saxo munita, & pulcherrimis ciuium ædibus perornata est. Ad portam S. Germani amphitheatri cernuntur reliquiæ. Portus multarum nauium capax, negotiationi idoneam opibusq; florentem Burdegalem efficit, quæ etiam ortu Ausonij Poëtæ nobilitatur. Qui ita de sua Burdegala loquitur: Clementia hîc cœli mitis, & irriguæ larga indulgentia terræ, &c.

ROAN.
ROTOMAGVS, VVLGO ROAN, NORMANDIAE METROPOLIS
Depingebat Georgius Hoefnagle.
Cum Priuilegio
NEMAVSVS, NISMES, CIVITAS NARBONENSIS GALLIÆ VETVSTISSIMA
PANS DE MVRAILLE
ANTIQVES.
La Tour Romaine, ou Tourre Maigne.
Le Pont du gar, ou gardon.
Dame de S. Clare.
Iacobins
Porte de la Couronne & Bouleuerd.
Augustins.
Carmes
CIVITATIS BVRDEGALENSIS IN AQVITANEA, GENVINA DESCRIP.
S. Seuerin.
Amphitheatre
Le Marche.
Palais.
Bouleuerd S. Leuien.

LVGDVNVM.

IOANNES METELLVS SEQVANVS, Eruditiſsimo viro Georgio Bruno, S. D. Periſti Brune, vt quæ de Lugduno vrbe adcepiſſem, vel ex libris, vel amicorum colloquiſs, quæ vera putarem, tibi paucis ego perſcriberem, quia præcipuas totius orbis vrbes litteris, ad veram earum effigiem accommodatis, complectare. Quo igitur, qua poſſum, tibi ſatisfaciam, tu à me, quem multis officiſs perpetuæ beneuolentiæ tibi deuinxiſti, ſic habeto.

LVGDVNVM, vrbs eſt Galliæ Celticæ, in Secuſianis ſita, hodie, vt olim, & emporio, & multis rebus aliis, celeberrima. Legibus, moribus, & inſtitutis, rectè antiquitus conſtitutam fuiſſe, cum alia multa, tum quod hactenus eius Galliæ tractus Metropolis fuerit. & Archiepiſcopi ſedes, eaq; talis, quæ primas teneat, & reliquarū Galliæ Eccleſiarū caput ſit, oſtendunt. Huic vrbi, quæ parti Galliæ à ſe nomen dedit, poſtquam ab Amadæo primo Sabaudiæ Duce, per teſtamentum ex legato Franciæ regibus ceſſit, Gubernator præficitur, qui & vrbem, & eius prouinciam, quæ ſatis latè patet, adminiſtrat. Fertur ſolum, & amœnum, commoduſq; ſitum habet. Nam fructiferis duobus collibus, ab vna parte cingitur: alteram duo præſtantes fluuij alluunt. Araris, qui quam leniſsimè ex Sequanis defluens, mediam interſecat, & Rhodanus, qui rapidiſsimo curſu, ex Alpibus per Allobroges, certis mœnibus ad orientem, adlabitur. Ædium elegantia, tum ſtructura, necnon hortis præſtat. Opibus autem ſic floret: vt nulli alij, ſaltem in Gallia, cedere videatur. Harum opum cauſſam, fluuijs illis præcipuam tribuunt. Quia cum multas vrbes illi obeant, ſeq; in Ligusticum maris ſinum exonerent: hæc verò vrbs, Europa prope in media, ſita ſit, & quaſi Franciæ cor putetur: facultatem quæcunque, qua libeat, exportandi, tum etiam importandi, præbent, etiam ex præcipuis Europæ nationibus, haud procul diſsitis. Sola enim Sabaudia interiecta, hæc vrbs & Italiam, & Germaniam attingit. Eo adcedit, quod quater annue eo vndique gentium mercatores, commeant, publicarum nundinarum, quæ variis ad negotiationem firmandam priuilegiis inſigniuntur, gratia. Quæ res ab exteris incredibile lucrum, atque decus, non ſolum huic vrbi, ſed etiam toti eius agro, reliquæq; etiam Galliæ, conciliat, & eam inſuper hominibus replet, omnis generis artificiorum peritis. Neque facilè alia vrbs reperietur, Trapezitis, librariiſq; refertior. Proximis annis, dum Gallia bellis à religionis ſtudio ciuilibus, ſurſum deorſumq; verſaretur, arx à Carolo Rege, motibus coërcendis, primùm huic vrbi iniecta. Quod ad eius antiquitatem pertinet: L. Munatius Plancus, nobilis Oraror & Prætorius, Marci Iulij auditor, dux deducendæ, vt ait Euſebius, Coloniæ, dum Galliam regeret, adlectus ab Auguſto dicitur: & vrbis, qua inſula eſt, fundamenta leciſſe. Ea inſula, trianguli formam exprimit. Duo enim illi, quos diximus, fluuij, oſculo quaſi mutuo ſeſe complectentes, duo eius latera conſtituunt, tertium difficilibus, aſperiſq; montibus, inter vtramq; clauditur, Multo tamen ante deductam eo coloniam vrbs erat, eaq; nobilis, nomenq; ei, Inſulæ Gallicæ, fuit. Eam Romani, non ſolum priuatis egregijs ædificijs, verum etiam publicis operibus, quorum ſingulis, vt ait Seneca, ſingulæ vrbes illuſtrari poſſint, ornarunt. In ea autem, argenteam, æreamq; monetam perpetuo cuderunt. Quin & Agrippa, Galliæ omnis itinera, ex hac diſtinxit. In ea quoque Galliæ totius tributa, ac vectigalia, tanquam loco commodiore, collegerunt. Quæ Galliæ tributa, tanti fuiſſe prouentus ac momenti narrantur, vt ab his vnicum Imperij robur penderet. Merito igitur immunis fuit. Nam Plinius lib. III. cap. XVIII. Secuſiani, inquit, liberi, in quorum agro, Colonia Lugdunum. Et Digeſtorum lib. L. Tit. XV. cap. vltimo Paulus Iuriſconſultus, Lugdunenſes Gallos, ſic enim ait, ac Viennenſes in Narbonenſi, iuris Italici facit. In inſula adhuc exſtant, haud obſura, tantæ vetuſtatis, veſtigia. Nempe forum Veneris, in Forulerum vulgo corruptum. In quo, quod etiam olim celeberrimum fuit, Veneris templum viſitur. Hoc in foro habitaſſe feruntur, ſexaginta Coloniæ diuerſarum ſexaginta prouinciarum, Lugdunenſi ſubiectæ. Ara itaque in ea erat, dignitatis eximiæ, gentium LX. numero, inſcriptum habens titulum, earumq; ſtatua vna, alia ſubinde quoque ingens locata eſt ara. Fuit idem locus, exercendis nundinis conſtitutus. Iſq; propter ipſarum, omnibus è locis lucri cauſſa, frequentiam, Forum Mercurij dictus eſt, ſupra eius Forniere montem, ſpeculum artis adeo admirabilis, ita fuiſſe collocatum referunt, vt vrbs ipſa Lugdunum, ex longinquis Sabaudiæ montibus, clare conſpiceretur. Itaque Romani Senatores Lugdunum, etiam propter amœnitatem loci, ſæpè conceſſerunt. Porrò autem, è regione Forniere, adſurgit antiquum illud Eſnaium Monaſterium, ſitum inter Rhodanum & Ararim. Eo loci qua hi fluuij confluunt, Templum ab vniuerſis Galliis, communi deſignatum impenſa, & Auguſto Cæſari dicatum eſt. Hîc Athenienſes: cum eorum non pauci, propter cædem filij Minois Cretenſium regis, bello vaſtata patria, ſedibus incertis vagarentur, ac randem in hanc inſulam migraſſent: Academiam pro more gentis, exſtruxêre. Cæſarem deinde Iulium, Galliæ victorem, ea fama permotum, Latinam in eadem vrbe quoque fieri iuſsiſſe, Suetonius ſcribit, quam à ſe, Cæſaris aram, adpellauit. Eo Oratores vndique, Druides in primis Arhenienſium æmuli, cæteri etiam docti viri, conueniebant, quo ſemel annis ſingulis, tam Græcè, quàm Latinè orationes certatim haberent, atque diſputarent. Conſtituta quidem lex iis erat, vt qui Græca Latinaq; lingua foret eloquentior, is, præmium laturus, magna auri vi, à deuicto, donaretur, atque laudaretur: qui vero, quid, vel præter rem, vel futile, orationi inſeruiſſet, pœnæ nomine, aut exceptam à notariis orationem ſuam ſpongia, vel lingua ipſe deleret, aut certè virgis cæderetur, vel ter in Ararim mergeretur. Quamobrem, falsè Iuuenalis, Satyra prima, eorum metum, terriſit. Palleat, inquit, vt nudis preſsit qui calcibus anguem, Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram. Sed & extra vrbis pomeria veteres illi Arcus, qui via in Secuſianos, quos vulgus Foreſtum modo nominat, conſpiciuntur. necnon antra, & perforatæ quinque milliarium longitudine, rupes, aquæ in vrbem ducendæ, vetera item multa numiſmata, inſcriptionesq; que lapidum, præclaram antiquitatem pleniſsimè teſtantur. Ante vero, quam hæc vrbs à Romanis Colonia deduceretur: quod ante deuictas Gallias fuit: quanta ciuitatis Lugdunenſis amplitudo, potentiaq; fuerit, libro tertio Polybius indicat, nempe, regni tum fuiſſe Metropolim. Hannibalem, ait, traiecto flumine Rhodano: id quod paullo ſupra Quiritum Delphinatus oppidum contigit: quoniam P. Africanus Scipio pedem retraxiſſe in Italiam, miſſo in Hiſpaniam fratre, ne quid tumultus oriretur, feſſum longiſsimis itineribus exercitum, Lugduni, tum ſeipſum etiam, reficere ſtatuiſſe. Poſtquam vero in Sebuſanos adpuliſſet: & certior factus eſſet, inter duos fratres, ad occupandum Lugdunenſe regnum, pugnam adparari: natu maiori petenti, opem tuliſſe, ipſumq; regno confirmaſſe. Quamobrem ab eo rege, propter tantum beneficium Hannibal non ſolum annona, verumetiam multis aliis neceſſariis rebus inſtructus fuit: numquam Hannibalis militem is rex lacerum veſtiuit. Et eundem Hannibalem, armatus proprio exercitu, per Allobroges, itinere dierum decem miliarium, ad Alpium vſque partem illam, quæ Bernardi nomen obtinet, deduxit. Sed fœlicitatem huius Vrbis, vt fit, magna eſt calamitas poſtea conſecuta. Centū enim annis, ab eo tempore quo eam Munatius condidit, fatalis ignis totam, intra vnam tantū noctem, abſumpſit, vt inter vrbem nullam, & vrbem longe nobiliſsimam: quam Strabo totius Galliæ, excepta Narbone, populoſiſsimā, ſuo etiam tempore fuiſſe narrat: ſola vna nox interfuerit. Id quod Seneca epiſtola ad Liberalem Lugdunenſem. XCII. deplorat. Hinc factum quidam putant: tum hortante quoque loci ſalubritate: vt ſupremo monte renouaretur. Statim enim Romani eam reſtituerunt. De eius vrbis Romanis Magiſtratibus, in adminiſtratione reip. conſtat Auguſtum Imperatorem cum Iulius pater Galliam, in Belgicam, Celticam, Aquitaniamq; diuiſiſſet: ex edicto lato, terrarum orbem, quod & ſacræ literæ tradunt, emenſum, latè patentes tres illas Galliæ partes, in quatuor, Narbonenſem, Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam ſq;, nempe totas ſub imperium Romanum redactas, confudiſſe Quam quadripartitam diuiſionem, Index Magiſtratuum ciuilium, & Militarium Occidentis, ſequens, ex ea, Galliæ prouincias omnes Septendecim, excepta tamen Britannia, vt & Marcellinus, & Rufus, conſtituit. Lugdunenſi igitur prouinciæ, is Index Conſularem, ſub ſeptem Prouinciarum vicario, attribuit. Hanc rurſum in Lugdunenſem Primam, Secundam, Tertiam, Hororicam, & Senonariam partitur: earumq; ſingulis, præterquam Primæ, Præſidem præficit. Videtur autem hic Index, circiter Theodoſii tempora collectus. Idem, de Magiſtris Militum Præſentialium, quos peditum adpellat præfectis, ſic ait. In Prouincia Lugdunenſi Prima, Præfectus claſsis Araricæ, Caballoduno. In Prouincia Lugdunenſi Senonia, Præfectus claſsis Anderecianorum, Pariſius. In Prouincia Tarraconenſi, Præfectus Lætorum Teutonicianorum: Cornuta, Senoniæ Lugdunenſis. Præfectus Lætorum Batauorum, & Gentilium Sueuorum, Boiacas: & Conſtantiæ Lugdunenſis Secundæ. Præfectus Lætorum Gentilium Sueuorum, & Genomannis, Lugdunenſis Tertiæ. Præfectus Lætorum Francorum Rhedonas, Lugdunenſis Tertiæ. Habuit hæc Vrbs, clariſſimos in literis viros. Nam, ne de cæteris dicam, vnus L. Plotius, in ea natus eſt, is, qui, Suetonio de claris Oratoribus teſte, Romæ primus, Rhetoricam Latinam, docuit longæuusq; fuit. Ab hoc, ſe puerum, cum Quincto fratre, Cicero primum eſſe inſtitutum commemorat. Suſcepta demum in ea Vrbe, per pios Fideles, Antonino vero Imperatore, Chriſtiana religione, edita fuit eorundem ſtrages loco Vrbis, qui Athanacus, adpellatur. Vbi Martini templum, Benedictinumq; cœnobium, exſtructum eſt, quà Rhodanus & Araris, coëunt. Quorum, quadraginta octo præcipui nominantur. His ſucceſsit Irenæus, Polycarpi martyris auditor, qui fuit Eccleſiæ ſuffectus. Sed ſecuta perſecutione, martyrio coronatur is, Anno Chriſti CLXXV. Marco Antonino Imperatore, claruiſſe dicitur. Omnem propè Vrbis populum, ea perſecutio gladio ſuſtulit. Refertur enim, nouendecim millium martyrum numerus fuiſſe. Itaq; Ararim fluuium, horum ſanguine: ex Gorguillone, hoc eſt, gurgite, ſicà re ipſa nuncupato vico, ex quo cæſorum ſanguis, vti torrens deſluebat: vſque prope Matiſconem, vrbem in Hæduis, rubuiſſe aiunt. Et hinc eidem Arari nomen Sagonæ, nimirum à ſanguine, fuit inditum. Fuere & alij multi Lugduni illuſtres, & vitæ ſanctimonia, litterisq; celebres Epiſcopi, tum alij: Baldomerus, Stephanus, Deſiderius, Nicetius, Hyppipodius, Alexander, Agobardus, Peregrinus, Iuſtus, Elpidius, Lupus, Annemundus, Eucherius, Antiochus, Sacerdos. Eugendius, Romanus Abbas, Aurelianus, Domitianus Abbas, & Fauſtus, poëta, æqualis Boëtij, Claudiani, Mamerci, & Calsidiori, doctiſsimorum virorum, qui Theodorico à ſecretis fuiſſe putatur. Fuit & celebris Hamutus Epiſcopus. De quibus, Symphorianus Champerius Lugdunenſis Medicus, in libello de antiquitate & origine vrbis Lugdunenſis, & viris eiuſdem illuſtribus.

LVGDVNVM

LA SAONE

LE ROSNE

Scripsit Strabo, LVGDVNVM suo tempore fuisse alteram omnium Galliæ vrbium nobilissimam, et populosissimam, Narbone excepta. Et hodie quidem non in minorem excreuit magnitudinē, cum tantus sit moenior ambitus, colles duos & vineta complectens, vt ei paucissimæ Gallarum vrbes anteponi possint. Magnus est ibi concursus externar gentium, quas in hac vrbe sedes collocasse videmus, vt transferre omne mercium genus in quamcunq; orbis partem cōmodissime possit. Loci cōmoditas & amnium decursu apparet, quod, in medio fere Europæ posita sit. Amnes autem sunt Rhodanus, et Arar (Sagonam hodie vocant) iuxta Lugdunum confluentes, simulque in mare Ligusticum decurrentes, mercib. importandis et exportandis, accōmodatiss.

Lyon. Qui de la France
Sers de forte & rempart,
Lyon, qui de plaisance
Reluis de toute part.
La Riuiere du Rhosne
doucement decoulant
Qui embrasse la Saone
Te rendent opulent.

PROSOPOPOEIA AVGVSTAE EBV-

RONVM SEV CIVITATIS LEODIENSIS, AD REVERENDVM IN CHRISTO PATREM

ac Dominum D. Gregorium Syluium Episcopum Tagastensem & Reuerendissimi Illustrissimique Leodiensis Ecclesiæ Antistitis D. Suffraganeum, ab Eximio & Venerabili viro ac Domino, D. Carolo Langio, Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonico dignissimo, conscripta.

PLeraque censentur Cerialibus oppida campis:
Sunt quæ vitiferis nobilitantur agris.
Aere Ephyre bimaris clara est, Noreia ferro,
Diuitias aliis pascua lata ferunt.
Illa situ speciesque decus famamque merentur,
Mœnibus hæc laxis, ædibus illa sacris.
Pluribus insignis nomẽ dedit amnis honestum,
Quo meat & remeat velificata ratis.
Hæc vrbes aliæ: & dum singula quæque potitur,
Pæne effert ipsis cornua sideribus.
Ast ego læta fruor simul omnibus: omnia Diui
In gremium quondam deposuêre meum.
Hic frugum omne genus, seu vis quæ falce putantur,
Siue colona auido quas legit vsta sinu.
Triticeæ in primis segetes, Ennæa quot olim
Quamuis diuina consita gleba manu,
Laserpitiferæ quot non videre Cyrenæ.
Tam sunt Hasbaniæ rura beata meæ.
Plurimus hic etiam Bacchus, gratissimus ori
Cum ferus arentes Sirius vrit agros.
Nemo mihi iactet fumnis quæ diuite vena
Visceribus terræ forte metalla trahit:
Hæc quoque dona mihi terræ pater vbere dextra
Et dedit, & magno fenore cincta dedit.
Eruitur pinguis circum mea mœnia carbo,
Asphaltum est venas sulphuris intus alens:
Quadringenta auri redeunt hinc milia in annos,
Qua ditat ciues vtilitate meos.
Nec ferri est vsura minor. Sed & vbera plumbi
Vectigal grande & marmora nostra ferunt.
Prætereo intuitus, quorum hic insigne macellum est,
Capreolos pingues, lanigerumque pecus.
Prætereo varijs pomaria fructibus aucta,
Alcinoi quantas non dedit hortus opes.
Labraque Nympharum, gelidos per compita fontes,
Quj mihi messe auras, grataque pocla ferunt.
Et te Mosa canam. Nam quò tot munera cæli,
Si mutare alijs non datur vlla mihi?
Ergo inter primos quos Gallia procreat amnes,
Non tibi postremus Mosa feretur honos.
Innumeris tua me felix beat vsibus ora,
Et tuus innumeras alueus edit opes.
Ora dat immensas siluas, tectisque focoque
Materiem: omnigenis lustraque tuta feris.
Prataque vel denso pascua læta boui.
Vel detondenti pascua læta boui.
Tu mihi squammigeri pecoris mille agmina nutris,
Vicinis etiam sæpe petita meis.
Hic Salar, hic Fario, gelidis quos Veseris vndis
Vtraque præcipites sub tua tecta vehunt:
Carne ambo solida: saxorum cultor vterque,
Tergora puniceis pictus vterque notis.
Hæc Vmbræ, & croceis Mustela interlita guttis,
Hæc annis melior flumina Barbus amat.
Lucius haud aliis vertit se suauior vndis,
Non alio Cyprinus dulcior amne natat.
Ille etiam cui curua dedit vetus Anchora nomen
Maximus, haud rara est gurgite præda tuo.
Vilia ne numerem vulgi solatia, quæ sic
Ausonia Gallus voce poëta vocat.
Sed dum ferre graues humero non abnuis alnos,
Quàm magna ciues commoditate iuuas?
Per te quæ deerant, largo dat Copia cornu:
Quæ superant, alijs mutua distribuunt.
Hac ferrum exportant, tinctasque bitumine glebas,
Et redeunt alia merce vel ære graues.
Hac Bacchum excipiunt venientem ab diuite Rheno,
Hac Bacchi florem, Gallica vina petunt.
Quid referam immenso quæ tenditur æquore vallem,
Quam tuus æternis diuidit amnis aquis?
Intercisa tamen paruis sine nomine riuis,
Tota viret pomis, gramine tota viret.
Perflata hac Euris, Zephyris genitalibus illac,
Non peste aut alia tangitur ægra lue.
Præcipuè iucunda, noui cum tempore veris
Malus odoratis purpurat alba rosis.
Perpetui cingunt colles viridante corona,
Nec, nisi qua medius laberis, vlla via est.
Græcia decantat mendax Phthiotica Tempe,
Sed regio non est æquiparanda tuæ.
Hanc defessa animum cum lumine sæpe pererro,
Vt iacet ante oculos obuia tota meos,
Non mihi tàm pulchro credis maiora theatro
Gaudia, maiorem surgere lætitiam,
Quàm Pompeiana si sim spectator arena?
Et videam quæ sit pæne referre nefas?
Hæc Genius mihi cuncta meus, cælumque dederunt:
Cætera virtutis munera & artis erunt.
Aspice: quæ læuo rutilat mihi pectore parma,
Hæc nota deuictis durat ab Ausonijs.
Qua claudor muris, qua mœnibus inclyta surgo,
Vallis & intactus vomere campus erat.
Hac valle, hoc campo cecidit Romana iuuentus,
Hæc arua infecit sanguine Cotta suo.
Ergo hoc posteritas virtutem ornauit auorum
Insigni, & portis hæc dedit arma nouis.
Ipsa etiam robur maiorum imitata decusque,
Non semel hostili sanguine tinxit agros.
Pontifices etiam qui primi hæc rura docendo
Imbuerunt veri cognitione Dei,
Quem purum induerant totoq; vmbone niuentem,
Tinxerunt clypeum sanguine quisque suo:
Dum Christi veneranda sui mandata serentes,
Romuleo ense sacrum suppositêre caput.
Quæ modo qui sanctumq; apicem gladiumq; seuerũ
Coniunxêre, manu tradita signa gerunt.
Et puto post Romam non est locus alter in orbe
Quo plura emineant templa dicata Deo.
Conuexis formosa tholis, miranda columnis,
Pleraque vel solo relligiosa sono.
Flaminibusq; habitata suis, quibus ampla recurrunt
Annua non dubio præmia nexa solo.
Hos inter genus omne virûm. Hic virtute parentum
Nobilis, ille suo notior ingenio.
Vis qui sensa Dei, cælique arcana reuelet?
Qui doceat quid fas, quid fierique nefas?
Sacrorum canonum quæris legumque peritos?
Siste, Sacerdotes res decet ista meos.
Vis Epidauræi doctum præcepta magistri?
Aut Pelusiaca qui subit arte polos?
Vis Heliconiadum sequitur qui castra sororum?
Flaminibus sunt hæc otia multa meis.
Mitto domos veterum veneranda palatia patrum,
Mitto opera artifici plurima ducta manu.
Mitto & pontificis, Marcanum opus, ardua nostri
Atria, duplicibus laxa peristylijs.
Sed vos cara boni mea pignora cara Quirites
Ne taceam, magno nomine iussit amor.
Martia gens semper duris exercita bellis,
Libertate calens, ingeniosa, proba.
Par tolerare famem & rebus præsentibus vti.
Felix, si posis abstinuisse foro.
Viue diu felix: morbisque orientibus obsta.
Difficiles morbi. Fastus & inuidia.
Te seruet Princepsque tuus, Dominique sodales:
Et tua ne præter iura Tribunus eat.

LEODII, Eburonum Augustæ prima auspicia, in Ambiorigen magnanimum Eburonum Regem Hubertus Thomas Leodius refert, eiq; a cæsa Legione Romana in ea valle, vbi nunc est Leodium, Legia, nomen inditum constanter affirmat. Corrupto deinde vocabulo, Germanis Luttich, alijs Leodium dicebatur. Vrbs est Germaniæ inferioris, quam et secundam vocant, maxima: ad tertiũ à Tungris miliare, qua meridiẽ spectant, quæ tanto murorum cingitur ambitu, vt altissimos complexetur montes vitibus pulcherrimè consitos. Deinde in latissimã excurrit, et apprehendit in valle planiciẽ, in qua ex Arduenna sylua tria flumina Vta, Vesa, et Ambluaria in Mosam exonerant, et multas amoenissimas efficiũt insulas, magnificis ædificijs exornatas, ita, vt ad voluptatẽ planè hic nihil desit. Exhibet hæc vrbs octo insignia Canonicorũ collegia, quattuor amplissimas abbatias, trignita duas ecclesias quas parrochiales vocãt, quatuor mendicantiũ ordinũ contubernia, et ex his nõnulla conduplicata, vt Frãciscanorũ. Quod si reliquas monachorũ et admirandarũ monialium ædes, conuenticula, et sacella recensere velim, integro ferè libro opus esset, vnde nõ mirum, si Franciscus Petrarcha scribat, se vidisse Leodium, insignẽ Clero locum. Habet ad meridiẽ Arduennam sylua totius Galliæ maximã. Ad alterũ latus Tungros, et Centrones versus, est ager Hesbanicus, vsq; adeo gleba fertili, ad hæc pomis, et nucibus ꝯ generis, abundans, vt cum Sicilia de præstantia certare possit. Juxta ciuitatẽ effodiũtur nigri lapides, qui modico ligno accensi, calidissimũ ignem præbent. Aër temperatissimꝰ est, et saluber. Mosa fluuio secatur per mediũ, et pontibꝰ arcuatis, solido cõstructis lapide conuingitur, ædificijs præstantissimis, et ãplissimo Reuerẽdissimi Palatio exornatur, cui si extremã manũ addidisset artifices, ex sentẽtia Caroli. V. Imperatoris, in orbe Christiano nullũ pulchrius futurũ erat. Vrbs ipsa limpidissimis irrigatꝰ, sõtibus; In qua tantũ floruerũt litterarũ studia, vt vno tempore nouẽ Regum; Ducum xx iiij. Comitũ xxix: Baronũ et ex prima nobilitate in numeri filij, apud Leodios instituti legantur. Reuerendissimum Episcopum, tam in Ecclesiastica, quam ciuili administratione dominũ, et gubernatorem agnoscit.

ITATIS IS
LEONSIS GE GENV
INA DEATIO, IO, CVIVS,
TYPVM ERALISLISSIME
NOBIS CVNICAVAVIT, RE
VERENDIVS ET IT ILLVSTRIS
SIMVS PRIPS AC DOMINVS
D. GERARDA GROEOESBECK,
EPISCOPVS ODIENENSIS, DVX
BVLLONES MARCHIO
FRANCIETENSISIS, CO
MES LONSIS B ETC.
SACRI MANI II IM
PER INCEPEPS.

1. S. Laurent
2. S. Gertruÿd
3. La Porte S. Martin
4. S. Martin
5. La Porte S. Walburch
6. S. Guilheaulme
7. S. Babeline
8. S. Seuerin
9. S. Hubert
10. Le Postis des Beggars
11. S. Croix
12. S. Jan Euangeliste
13. S. Seruaes
14. S. Pierre
15. Le Pallais de Leuesq;
16. S. Adalbert
17 S. Christofre
18 Les Frers Precheurs
19 L'ospital S. Mathieu a la chaine
20 L'egliese S. Lambert cathedrale
21 S. Andrieu
22 Les Frers Mineurs
23 Nr̃e dame aux fons
24 S. Gengoulphe
25 Le Pons dauerroit
26 S. Poul.
27 S. Martin en Isle
28 S. Denÿs
29 S Estienne
30 S Marie Magdalene
31 S Catharine
32 S Barthelmi
33 S. Ian Baptiste
34 S. George
35 La Porte de Vinenigie
36 La Porte S Leonard
38 S. Foid. 39. S. Leonard.
40 Le Baillair ou maisõ pour Les infectes de la peste
41 Le pons des Arches
42 S. Barbe
43 La Chambre des Abalestriers
44 Les frers Fratres
45 Les frers Croisiers
46 Les Chaimoines Reguliers de Beaurepart.
47 La Tour a Comims.
48 La Baÿe de S. Iaques.
49 S. Remÿ.
50 Les Grieses seurs.
51 Les Frers des Carmes.
52 Les Frers Augustins.
53 Les Escoliers C. Reguliers.
54 S. Phoÿn.
55 S. Nicolas.
56 Le Pont S. Nicolas.
57 La Thour de Beche.
58 Les Frers Pieddeschalz.
59 Le Pont Damercourt.
60 S. Remade.
61 En Cornilloing.
62 Les Frers Chaurtroux.
63 Fornaise ou Lon fait le fer.
64 S. Veronne.

AQVISGRANVM.

AQVISGRANVM, vrbs Imperialis, in Menapiorum finibus inter Rhenum & Mosam sita, Romanorum Imperatorum prima inauguratione ac coronatione, D. Caroli Magni sepultura, septennaliq́ue peregrinorum visitatione celebris. De cuius origine, D. Franciscus Fabritius Medicus Aquensis, hunc in modum: Romanos olim, dum bellum aduersus Germanos gererent his locis, inter Rhenum & Mosam consedisse, & munimenta habuisse, ex Iulij, Cæsaris, Cornelij Taciti, aliorumq́ue multorum historiis satis manifestum est, cuius rei fidem faciunt, quorundam locorum appellationes, & alia vetustatis monumenta. His igitur temporibus ferunt historiæ, quendam è Romanis Principibus, Granum nomine (quem & Neronis fratrem aiunt) aquas has calidas, inter montes syluasq́ue tunc abditas, inuenisse, iuxtaq́ue habitasse, atque arcem struxisse, cuius in hodiernum diem extat spectandæ vetustatis monumentum, turris Grani dicta: quam quidem arcem, Ptolemæo Cosmographiæ suæ libro 2. cap. 9. sunt, qui credant Vetterram dictam. Ab incolis certè, Aquæ Grani appellatæ sunt, cùm Thermæ, tum locus ipse, deducto scilicet nomine ab aquis calidis, & Grano, repertore, manstitq́ue appellatio postea & vrbi, nisi quòd quidam (non satis tamen aptè) immutata inflexione, Aquisgranum appellent. Post aliquot deinde sæcula, annos scilicet plus minus septingentos, Carolus, cognomento Magnus, Francorum Rex, cùm ad eum locum inter venandum errabundus venisset, delectatus loci amœnitate, simul & commoditate, ac Thermarum vsu, ipsas, vnà cum arce, à ruina vindicauit, regiamq́ue extruxit. Deinde, vt erat diligentissimus religionis cultor, eodem loco proximè regiam suam, insigne hoc templum maximo sumptu condidit, ac per Romanum Pontificem Leonem, in honorem Dei & B. Mariæ Virginis consecrari curauit, ampliſsimisq́ue donis ornauit, præcipuè autem, rarisſimis, sacrisq́ue Christianæ religionis monumentis. Quorum causa, septenis annis instituit peregrinationes, ad nostra vsque tempora obseruatas. Cumq́ue fortissimus pariter ac piissimus Rex, & Ecclesiæ defensor acerrimus, Romani Imperij habenas diuina dispensatione suscepisset moderandas, locum iam dictum mœnibus cinxit, vrbemq́ue ob dicti templi reuerentiam, condidit, quam sedem regni, & Transalpinæ Galliæ caput, constituit. Hæc vrbs, tametsi in valle sita, & montibus circumquaque septa sit, incredibili tamen gaudet aëris salubritate, quam præcipuè testantur mira hominum in ea ad decrepitam vsque senectam viuacitas, ac pestilenticorum morborum raritas. In proximo vrbis ambitu, lata ferè planities est, in qua & pascua sunt, alendo pecori commodissima, & agri pingues, omnisq́ue generis frugum feraces, hos ambiunt montes syluosi, igni alimenta præbentes, necnon ligneam saxeamq́ue materiam ædificijs abundè suppeditantes. Nec desunt fontes, tam foris pascua irrigantes, quàm intus diuersis vrbis locis, cùm publicè in plateis, tum priuatim in ædibus scaturientes: sed præcipua structura ac magnitudine insignis, qui in medio foro, è regione ampliſsimæ domus Senatoriæ, perpetuas aquas octo canalibus ex alto diffundit. Sunt & torrentes, mediam vrbem perlabentes, munditiæ, ac molis circumducendis seruientes. Extra montes, infra miliaris spacium ab vrbe, ad Hybernum occasum, effoditur cadmiæ genus, vulgus Lapidem calaminarem vocat, quo æs ad auri colorem tingitur. Haud procul inde, Meridiem versus, ferri, plumbiq́ue inueniuntur metalla. Ad Orientem ab vrbe, effoditur terra nigra, foco culinario admixta gleba aptissima. Adeò natura ipsa locum hunc varijs multisq́ue dotibus locupletauit, vt ad fœlicitatem nihil deesse videatur, quàm nauigabilis fluuius, quo tamen quamuis careat, cùm ad Orientem Rhenum, ad Occidentē Mosam habeat, tanta est ibi annonæ copia & facilitas, vt multas etiam riparias vrbes hoc nomine superet. Sed alias dotes omnes, meo quidem iudicio, vincunt aquarum calidarum vberrimi simul & saluberrimi fontes, nec calore, nec humore deficientes, tanta copia scaturientes, vt singuli plures balneorum alueos, eosq́ue magnos, noua quotidie aqua implere queant. Sunt autem eorum quidam intra mœnia, quidam non procul extra eadem, in vico suburbano. Intra vrbem duæ sunt præcipuæ Thermæ, quarum alteræ dicuntur Regiæ, alteræ Cornelianæ, quæ quidem, vt loci intercapedine distant, ita & aquarum qualitalibus ac facultatibus, cùm inter se, tum à subvrbanis nonnihil discrepant.

AQVISGRANVM.



MONTES.

MONTES, Hannoniæ vrbs potens & ampla, de qua hunc in modum Iacobus Leſſabæus in Hannoniæ deſcriptione: Iulium Cæſarem, rebus alioqui fœliciſsimè geſtis, tradunt obſidione Belgenſi multa clade fatigatum, aliquantiſper ſuperſediſſe, intereaque eo loci penetrauiſſe, vbi in edito colle Pani fanum erat. Ac mox eum montem vallis & ligneis propugnaculis, vti earum rerum materia ſuppetebat, velut præſidio futurum, inſtruxiſſe. Porrò Hunnis, Pannonijs (quibus à Pane nomen remanſerat) Rhetiis, & id genus fortunæ adiuratis viris, qui tum palantes ſuo quiſque more agebant, huc ſummum erat oraculi gratia confugium, donec nominatiſsimi terra marique Ducis Iulij aduentu, ex fano caſtrum haberi cœpit. Poſt ſupremum Brunulphi diem, qui eam arcem obtinuerat, traditæ rerum habenæ Alberico, Sigiberti Auſtraſiorum regis (Auſtraſiam intra Oceanum, Moſam, & Scalden tum poſuêre) ad recuperandas mortuo Dagoberto poſſeſſiones adiumento, vnde & filiam eius ſibi matrimonio copulauit. Alberico tandem libuit ocium arcis inſtauratione oblectare, maximè autem turris, cui ex ſuo nomine vocabulum indidit, quanquã aliis placet ad Albonem eam referri. Secus Caſtrum locus erat, quem ſanctæ habitationis gratia, Giſlenus Antiſtes Valdetrudi deſignarat, vbi iam miraculis quoq; conſpicua erat. In eo Sigibertus ædem Deiparæ conſtruxit, ſanctimonialesque ex Valdetrudis ædicula opima ſorte aſciuit. In arce Montana Prætor ex ordine Torquatorum Principem agens, ius dicit, noxios, & patria interdictos ciuitate donat. Penes eundem creandi in annos ſingulos Montani ſenatus, ſub ferias Ioannis præcidanias Menſe Iunio ius eſt. Tradunt Carolum Magnum donaſſe Montes Metropolitano munere, cæſareisque priuilegiis firmaſſe. Iam ex ipſa vrbis nomenclatura intellectum oportuit, præcipuam vrbis faciem nunc in colles aſſurgere, nunc vallibus deprimi. Ad fori crepidinem fons eſt, magno totius populi cõmodo procul ductus. Nam ſupra Dionyſij, in Broceria, paludes ortum habet, ligneis fiſtulis grauiſsima arte compactis, quæ fluuium Haniam, & citeriorem ſiluulam, tranſmittunt. Alluitur oppidum Trulla fl. paruo admodum vſui inuehendis, euehendisque mercibus, niſi huic ruſticana ex ſuperiori parte palus, ſuas aquas hebdomadatim fœneraret. Primo quàm Montes reliquit lapide, Trullæ immiſcetur Hania, hincque toto nomine ei Trulla cedit Condatum vſque. Vrbs paucis ſupra ſæculis, & virorum, & ædium frequentia, ad maximum numerum locupletata, opibus, quantum facies ipſa pollicetur, non inferiorib. Frequens ad Francfordianum & Anuerpianum mercatus profectio, idque ſagariæ negotiationis gratia, quare textrinarum ingens copia. Oppidum, ſi quod aliud natura & propugnaculis munitiſsimum, foſſa vndique circundatum, & vna haud temerè parte obſidionis impatiens. Gens ab huius ætatis vitiis, ne dicam, prorſus aliena, ſed tamen comitatis & beneuolentiæ magiſtra, in tractandis amicis, & excipiendis hoſpitibus, ſummam agnoſceres humanitatem. Imò mecum contenderes, quorundam ædes, muniſicentiæ ac liberalitatis officinas potiùs, quàm priuatas domos, optimo iure, cenſeri poſſe. Vt autem templorum Anacephalæoſin traham in compendium: Curiata ſunt, Valdetrudis, Germani, Nicolai, Elizabethæ, ac rurſum Nicolai in ſubvrbanis Bertæ montis appellatione, circumlatis cum eo, quod eſt Valdetrudis Xenodochio finitimũ, Beghinagium dicunt. Cæterùm habet S. Franciſcus ſodalitium virile, habet item fœmineum. Auguſtino ſacra eſt, quæ dicitur Vallis ſcholarium. Eidem Antiſtiti addictæ ſunt etiam virgines, quas à pullis veſtibus, vulgus Nigellas appellat, haud tamen nigris moribus: nam vita integra omnem ſiniſtram opinionem ſuſtulit. Magdalenæ Sacellum eſt, cum publicis ædibus, excipiendis puellis, quæ ſicut exhibuerunt membra ſua ſeruire immunditiæ ad iniquitatẽ, ita decreuêre impendere iuſtitiæ in ſanctificationem. Harum laboris ac ærumnarum hic ſcopus eſt, adſtare, ſuccurrere, inuigilare peſtilenti lue correptis. Qua in re ſtrenuam nauant operam, vbi malum, volentibus ſuperis, graſſari cœperit. Proximus eſt locus eorum, qui tertium Franciſcanorum ordinem indepti, Minimi vocantur. Egreſſus vrbe, offert ſe iucundiſsima deambulatio, & fermè quaquauerſum ornatiſsima ſuburbia, vt ne dicam de ſiluis, in quibus nec frondium virorem, nec auium garritum deſideres, cùm riget æſtiuis hirſutus campus ariſtis.

ATREBATVM.

ATREBATVM, Arteſiæ, cuius gens Iulio Cæſari Atrebates, vrbs eſt maxima, & metropolitica dignitate clara, & adeò, cùm naturali ſitu, tum propugnaculorum, murorum, & turrium præſidio munita, vt omnium ſententia, non niſi longiſsima obſidione expugnari facilè queat. Ea propter, non immeritò Iacobus Meyerus, Annalium Fland. lib. xv. ſcutum, vallum, & murum totius occidentalis Flandriæ, Atrebatum nominat. Vrbs ipſa duas in partes, peculiari murorum ambitu, eſt diuiſa: Quarum altera Epiſcopo, altera Principi adſcribitur. Illa pulchra aſpectu, ſed minor, magnifica Cathedrali Eccleſia, in honorem B. Mariæ virginis ædificata, conſpicua eſt. In qua permultis libris manuſcriptis inſtructa Theologica bibliotheca videtur. Hæc autem multo amplior, pulcherrimarum ædium nitore, platearum latitudine, & foro imprimis ſpatioſo, commendabilem ſe reddit. Quin etiam Abbatia S. Vaſto conſecrata, quæ opum magnificentia, reliquas monachorum ſocietates ſuperat, inclareſcit. Aedes, ciuium habitationi deſtinatæ, præter commoditates alias, vinarias cellas longè maximas & ampliſsimas habent, quæ obſidionis tempore, incolis latibulo ſunt. Si quis plura de hac vrbe deſiderabit, is abſolutiſsimam Guicciardini deſcriptionem conſulat, quæ auido lectori abunde ſatisfaciet.

MONS.

MONTES, HANNONIÆ METROPOLIS.

Cum Priuilegio.

ARRAS.

ATREBATVM, EPISCOPALIS ET METROPOLITICA ARTESIÆ CIVITAS.

BRVXELLA.

BRVXELLA, vrbs Brabantiæ celeberrima, nomen habere dicitur, vt Claudius Champerius, libro de vrbium oppidorumque origine, & Lodoicus Guiccardinus ex Iacobo Guisio referunt, ab arce quadam, olim à senonibus, ex Anglia ad Galliam infestandam profectis, illic ædificata. quæ Burgongenensium, vel Burgum Senensium appellata, paulatim contractius pronunciando, propter euphoniam, vel facilitatem, vt fere fit, Bruxellensium nomen suscepit, soni similitudine vtcunque seruata. Gemino, eoque amplissimo, murorum ambitu cincta est, adeò, vt magnitudine Louanio, quam à Cæcia respicit, parum cedat. Nam extremum pomerium, quod anno millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo ampliatum legitur, ducentis tantum passibus, Louanienſi minus est. Situ locum occupat amœnissimum, agro bene culto, nemoribus ac pratis vndique circundata. Intus partim in colles leniter assurgit, partim se in planitie pandit. Mediam Sena fluuiolus, interlabitur, quo, antè, quàm nouus ille alueus effossus esset, nauigia in Deliam descendebant, Antuerpiam peruentura. Paucis verò ab hinc annis ad commodiorem nauigationem, nouum aquæ ductum sibi Bruxellenſes fecére, quem vulgo, Die vaert vocant, fossa perpetua ab vrbe diuturnis operibus, atque incredibili sumptu, per quinque tota milliaria, recto ferè tramite in Deliam vsque flumen, perducta. Huc naues ab vrbe soluentes in Deliam primò, mox in Schaldim delapsæ, libero deinde cursu, si velint, vastum mare petunt, summa cum ciuium, tum vicinorum commoditate. Quatuor is alueus cataractas versutiles, quasi portas, habet, suis singulas locis commodè dispositas, quibus & tantum indies aquæ hauriunt retinentque, quantum ad quotidianam nauigationem satis est, &, ne in proximum amnem totus effundatur, facili negotio impediunt. Principium fossæad vrbem Bruxellenſem quadragenis duobus pedibus, ostium aquæ, altitudine superat. Opus profectò quouis Imperatore & principe dignum, non solum propter insuperabilem ferè difficultatem, quod etiam præter tam longum operis perducendi spatium montem obiectum penetrare cruendo operterit: sed etiam propter immensos sumptus, aliaque varia impedimenta obiecta, adeo, vt visum fuerit, vix fieri posse, vt perficeretur. Constitisse Bruxellenſibus vltra octingenta florenorum millia, affirmant. Præcipuus eius operis auctor ac promotor fuit, D. Ioannes Lockingenij & Cockelbergæ toparcha, vir equestri dignitate conspicuus, & Bruxellenſis Dictator, tametsi antea, Margarita, Caroli V. Imperatoris auia, Belgicam gubernante, maiores ipsius idem excogitârint. Magistratus hic annuus est. ex septem patritijs familijs, earumque posteritate, communi stirpe tam mulièbri, quàm virili paulatim permixta, deligi solitus, Hæ septem familiæ antiquitate illustriores, vnde reliquæ successu temporis descenderunt, insignes immunitates habent, hisce nominibus vernaculis appellatæ. Tserroeloloefs, Tserhuygs, Sleeux, Cauvvenbergs, Tsvverts, Roybeecs, Steenvveghe. Opificiorum in hac vrbe genera sunt duo & quinquaginta, in nouem tribus, quas nationes vulgò vocant, distributa. Primariæ ex his sunt, armifabrorum & polymitariorum. Hi aulæa & picturas textiles auro, argento, serico, & multiplici opere acu contextas, vniuersæ fere Europæ diuendunt. Illi adeo armorum vario genere fabricando præstant, vt Achyllis aut Herculis clypeo celitus petito, nihil cedant, non modo multifariam expoliendo, sed ea etiam subtilitate ferrum chalybe temperando, vt thoracas, galeas, scutaque illicinuenias scloperi ictu impenetrabilia. Delubra, ædes sacras, atque omnium ordinum sana, miro structuræ artificio, & ornatus varietate præclara ostentat, inter quæ Basilica D. Gudulæ (quæ ex Caroli Magni prosapia VVittardi Comitis, & Amelbergæ filia fuit) olim S. Michaeli Archangelo dicata, cùm propter insignem structuræ magnificentiam, tum etiam propter singularem sacrorum cultum, maximè excellit. Hic enim in peculiari sacello, aurea theca religiosissimè in hunc vsque diem asseruatur, hostia illa sacrata, quam admirandum, seu miraculosum sacramentum nuncupant. Rei stupendæ euentum interalios Iacobus Meyerus, rerum Flandricarum lib. X I I I. commemorat, annoque à nato Christo. M. CCC. LXIX. attribuit. Iudæos refert, ipso Parasceues die sacratam hostiam, à sacerdote fortè comparatam, mensæque affusam, cultris per ludibrium perfixisse, atque inde subitò, magna vi, sanguinem erupisse. vxorem tum Iudæi cuiusdam, miraculi magnitudine, commotam, facinus ilico prodidisse. quare Iudæos comprehensos in custodiam datos, & rediligenter perquisita, mox graui supplicio viuos exustos esse. In tanti miraculi perpetuam memoriam, VVincislaum, eo tempore Brabantinorum ducem, annua amburbalia, æuo duratura, instituisse. Sunt tamen qui negant annuam processionem illam generalem, quam nũc adhuc obseruari videmus (eas enim processiones Latino amburbalium nomine indicamus) à tanto tempore fuisse institutam: sed à publica calamitate, qua fudor Anglicus, subito hanc regionem forte obruerat, anno 1529. initium sumpsisse, aiunt. Aedificiorum operumque cùm publicorum, tum priuatorum, generatim Bruxellæ æquabilis est vndique symmetria, qua in primis præstat curia municipalis. Superba hic quoque videre est variorum heroum, Belgarumque magnatum tecta, qui huc interdum, vel priuatæ rei, vel publici muneris alicuius causa, commeare solent, rerumque domino præsenti, vel si absit, eius vicario, præsto esse. Omnium verò operum vniuersè longeque præstantissimum est Prætorium vel Palatium, ea magnificentia exædificatum, vt, licet ad antiquum exemplar vndique absolutum non sit, Regiæ tamen Maiestatis dignitatem satis præseferat, idonea Curialium sedes, & peropportuno loco posita. Huic hærer amplissimus circus, perpetuo muro clausus, ad extrema vsque vrbis mœnia extensus, qui omni delitiarum genere Regibus, principibusque & quauis nobilitate dignarum, copiosè abundat. Missas hic facimus varias & priuatorum ciuium & nobilium egregias domos, instructissimos item hortos, ijs, quasi villæ quædam, adiunctos: vnde non solum, quæ ad quotidianum vsum requiruntur, sed etiam quicquid ad voluptatem comparari solet, abundantissimè suppeditatur. Præterimus etiam tot limpidissimos fontes, quibus hinc inde per plateas purissima aqua, quibusuis ad necessitatem subministrata, gratum omnibus spectaculum præbet. Claret etiam Bruxella vicecomitatus titulo, æternaque sedes est summi totius Brabantiæ senatus, quem Cancellariam vocant. Nomophilacia dici posset. Ea regalia habet, ius abolitionis & potestatem nobilitandi. Huic vnus est præfectus, octodecim consiliarij ordinarij tantum: nulli extraordinarij. cũ antea, vt Guiccardinus scribit, essent ex ordine consiliarij quatuordecim, & extra ordinem tres Fisci, aduocatus vnus, qui etiam per se consiliarium agit, actor publicus vnus, duo scribæ, multi à secretis, ab Epistolis alijque munuscularij. Principi, consiliariorum cancellariæ numerum pro arbitratu suo, & rerũ necessitate augere, liberum est. vt patet iucundi regis introitus ca. V. & IX. Quondam constabat tantum ex septem senatoribus, quorum primus erat Cancellarius, quem ex patriæ legibus, natione Brabantum esse oportet, legitimo matrimonio prognatum, aut dignitate Baronem, vel per se, vel per vxoris dotem, Baroniæ alicuius, in ipsa Brabantia sitæ, trium ad minimum linguarum peritum, huic officio in primis necessariarum, Latinæ videlicet, Gallicæ, & Germanicæ Cæterorum, quatuor quoque natione Brabantos esse conueniebat, eosque Barones, aut hæreditate sua, aut per vxorem acquisita. Postremos duos ex cæteris senatoribus suis princeps, qui maximè videbantur idonei, Germanicæ saltem linguæ gnaros, adiungebat. Cancellarius est hoc tempore, clarissimus vir, D. Ioannes Scheiffius, equestri dignitate illustris, & Dominus ab S. Aechtenrode, Ottenborg, Nethene, &c. vtriusque Iuris Doctura, & Iustitiæ incorruptissima administratiõe spectatissimus, qui Antuerpiæ ex patricia Scheiffiorum familia ortus, istic Senator aliquandiu, pòst etiam Consul fuit. Inde ab Imperatore Carolo V. ad secretum suum consilium adscitus, legatione eiusdem Imperatoris nomine apud Angliæ Regem Eduardum, & Mariam Reginam eius sororem, summa cum laude sapientissimè perfunctus est, ac tandem ad fastigium omnium in Brabantia dignitatum, Cancellariatum videlicet, (quippe qui semper ipsius Brabantiæ ducis personam repræsentet) in quo nunc elucet, maximo gentis applausu euectus. Huc vniuersæ Brabantiæ ciuitates appellant, excepto exiguo solummodo tractu, quem Romanensem vocant. Hinc enim ad forum Gennapense prouocatur. Sic Lodoicus Guiccardinus, diligentissimus earum rerum inquisitor, tradit. Verum intelligo, inferiora tribunalia, quæ iurisdictioni Genapensi subsunt, optionem habere, appellandi quò velint. Præterea, de sententijs in curia Genapensi pronuntiatis, an ne etiam ad Cancellariam Brabantiæ liceat appellari, controuersum adhuc esse. Causam in eadem Brabantiæ Cancellaria quoque dicunt Lymburgi, Falckenburgij, Dalemij, & annexa municipia Transmosana, eatenus Nomophilaciæ Brabanticæ obnoxia. Hic etiam firmam sedem habet curia feudalis, suprema omnium, quæ in tota Brabantia existunt, ad quam, quasi patronam, reliquæ in toto Ducatu feudales curiæ, appellationibus suis confugiunt, præter Romanensem istum tractum, qui in feudalibus eodem modo se habet, quo in alijs causis, vt supra dictum est. Clientum causas Regius vicarius aut ipsemet præsens audit, aut vicariâ vtitur opera, idque cum sæpè aliàs, tum in primis decimaquinta quaque die, videlicet, sabbathi. Sunt & huius fori præter Nomophilaciæ studiosos, consiliarios, actoresque, certi quidam homines ad hanc præcipuè causam delecti. Quemadmodum verò Bruxellæ, ita singulis prouincijs suum est clientelarium controuersiarum forum aliquod singulare, quò, dum res ita postulant, clientelæ minores concurrunt. Habebat insuper Bruxella Ecclesiasticam curiam (quoniam extra territorium Brabantinos citare fas non est) in qua discutiebantur controuersiæ omnes eius Brabantiæ partis, quæ Diœcesi Cameracensi parebat. Nam tota Brabantia hic non comparebat, quia pars eius, quæ Leodiensem Episcopum agnoscebat, Louanij, coram tribunali istic ei constituto, litigabat. Nunc singulæ diœcæses, nouis, paucis abhinc annis episcopis creatis adscriptæ, singulis episcopis parent, vt Mechlinia cum suo territorio Archiepiscopo Mechliniensi, Antuerpia, Buscoducum, Namurcũ, Antuerpiensi, Buscoducensi & Namurcensi episcopis, &cæ. In his curijs de matrimonialibus & testamentarijs causis, deque ecclesiasticorum vitijs cognoscitur. Per multos etiam nunc annos Bruxellæ est consilium Regis priuatum, item consilium statuum, & cæ. de quibus huius loci non est dicere, quod ista huic vrbi, vt perpetuæ sedi, non sint alligata. In summa, omnia in hac vrbe talia sunt, vt præter cæteras, verè Regia dici & possit & debeat. Secundum prærogatiuæ dignitatis locum inter Brabanticas ciuitates obtinet. Doctos viros tulit, Aegidium Fabrum, Thomam Cantipatrum, Alberti illius Magni auditorem, Henricum & Ioannem canonicos, quos omnes Trithemius elogio celebrauit. Postea viciniore nobis ætate, Nomophylacas duos Brabantiæ, Hieronymum & Adolphum Vandernotos. Inter alios, qui hac nostra tempestate eruditione & virtute claruêre, sunt Carolus Tisnacus, doctura & equestribus insignibus honoratus, à sanctiore consilio Regis assectator, ac Regalis signi fidelissimus custos, iam nouissimè præses consilij priuati creatus; Iacobus Thaius, Goici herulus, vir vndequaque nobilis, & trium linguarum scientiâ præstans, item huius frater, Hadrianus VVemmelæ dominus, qui iam consulatum summa cum laude hic aliquoties gessit. Præterea, Andreas ille VVesalius, Regis Hispaniarum Philippi, eius nominis secundi, medicus, Physicus & Cheirurgus excellẽtissimus, & in anatomices omnium Europæorum facilè principis, id, quod eius monumenta, æternum duratura, abundè satis testãtur. Porro, Andreas Masius, Duci Cliuensium à consilijs, vir non tantum Latinè & Græcè doctissimus, sed etiam in Hebraica ita versatissimus, vt ipsis Iudæis admirationi sit. De his fidem faciunt quæ recenter iam ab ipso in lucem edita sunt. Hic quoque nobilissimo partu edita est heroïs illa egregia Maria, Caroli V. Cæsaris Germana soror, olim Lodoico Hungarorum Regi nupta, quo abs Turcis profligato atque in fuga amisso, quinquennio pòst ad fratrem reuersa, Belgicæ gubernatrix constituta est.



BRVXELLA, vrbs aulicorum frequentia, fontium copia, magnificentia principalis aulæ, Ciuicæ domus, ac plurium aliarũ splendore, nobilissima: Et, quod de sua Burdegala dixit Ausonius, clemẽtia hũc coeli mitis, et irriguæ larga indulgentia terræ. Huius incolę, vestitu opes suas ostẽtant prę cęteris, et maximè genus mulierũ. Templorũ omnium hoc loco magnificentissimum est. D. Gudulæ, Canonicorum Collegio insigne. Ha: Barlandus

GANDAVVM.

GANDAVVM Flandriæ Metropolis, ac totius penè orbis, inter vrbes miraculum, in hanc, quam vides Lector, magnitudinem, suis viribus paulatim excreuit, contraq; aliarum vrbium fata, inuictam æternitatem meruit. Coluere eam primùm indigenæ Gorduni, siue Gonduni, veteres Nericiorum clientes, teste Cæsare. Deinde Romani, quos ipse Cæsar Iulius, hic primùm præsidio collocasse, constanti annalium memoria refertur. His postremò accessêre Germani, quorum pars maxima Saxones, quos ad sexaginta millia Carolus Magnus, in hanc Belgicæ partem traduxit. Vrbs est, non amplitudine solùm & dignitate, sed amœnitate quoque loci, quam flumina, riui, prata, colles, & cælum deniq;, non alibi suauius afficit, conspicua. Cumque alijs rebus clarissima sit, multò tamen clariorem reddidit, fœlicissimus Caroli V. Imperatoris ortus, quem vt inuictissimum, nisi in inuicta vrbe nasci, non decuit. Hæc D. Antonius Schonhouius. Non arbitror (inquit Erasmus in Epist.) quaqua patet Christiana ditio, ciuitatem vllam reperiri, quæ cum hac conferri queat, siue spectes amplitudinẽ vrbis, ac potentiam, siue politiam, siue gentis indolem. Hactenus ille. Tria milliaria Germanica in ambitu continet. Insulæ habitatæ, quæ fluminibus, & aquæductibus eminent, sunt in hac vrbe XX. Pontes, quorum multi tribus fulciuntur fornicibus, plurimi duobus, nauesq; maximas (quas illi pleitas vocant) submittunt, LXXXVIII. Molæ ventis agitatæ plures C. quarum maxima pars frumenta frangit, aliæ ex semine contuso, oleum conficiunt. Vna aquam, ex vliginosis pratis, in flumina educit. Sex item, aquarũ impetu rapiuntur, ex quibus quatuor granis frangendis, quinta corticibus, sexta papyro conficiendæ seruit. Templa Parœciarum hæc vrbs tantùm VII. habet, quarum quæ S. Martini in Ackergem, neq; maxima, neq; minima perhibetur, ædium distinctarum V. M. XV. continet, quas plures nonnunquam familiæ incolunt. Abbatiæ intra mœnia sunt V. Canonicorum collegiata sodalitia II. Monasteria XXV. Publica peregrinorum Xenodochia VII. Nosocomium vnum amplissimum & ditissimum. Gerontotrophia vtriusq; sexus X. Pædotrophia, vbi etiam expositi infantes alũtur, II. Furiosorum ergastula II. Xenodochium item Leprosorum vnum, annuo prouentu ditissimum, vnde & nomen habet. His maiorum institutis, liberalitas, & pia benignitas ciuium huius quoq; temporis accessit, qui ære vicatim, & in concionibus collecto quotidie plus quàm IIII. M. familiarium pauperum, in omni re necessaria sustentant.

In loco nouæ Arcis, olim fuit pagus Gandensis, qui & vrbis, & nominis, initium fecit, habuitq; insigne Monasterium S. Bauonis, ordinis S. Benedicti, quod è vetustissima arce, cui nomen Oduea, conditum, nũc rursus Caroli V. auspicijs, Anno M. D. XL. in arcem longè ampliorẽ redactũ est, Cœnobitis (quiam paulò antè Canonici seculares euaserãt) in Aedem principẽ S. Ioannis Bap. cum reliquijs & ornamentis omnibus translatis. Erat & hic non incelebre templum, Parœciale S. Christi, quod funditus euersum, vnà cum Monasterio illo (cui proximum erat) arci cessit. Egregia etiam opificum collegia habet, inter quæ Laniorum, & Nautarum, primatum obtinent. Vnica etiam studiorum alumna, multis doctissimis viris prima literarum rudimenta, contulit. Vrbem hanc magnifica templa: Abbatiæ amplissimæ, S. Petri vna: altera verò S. Bauonis: Aër salubris: Rerum necessariarum abundantia: & vrbana ciuium humanitas commendabilem reddunt. Varia huius politiæ facies, pro diuersitate temporum, fuit. Politiam Gandensium sæpè, inquit Iacobus, Meierus, Annalium Flandr. lib. xvj. contigit mutari. Temporibus Balduini Hagnomensis, hoc est, sub annum Domini M. CC. à XIII. perpetuis senatoribus Resp. gubernabatur, quorum è numero, cum quis moreretur reliqui XII. alium mox in demortui locum sufficiebant. Anno autem M. CC. XII. Fernandus Comes legem tulit, vt XIII. illi Senatores, qui hactenus fuerant perpetui, fierent annui, annisq; singulis, habitis comitijs, in ferijs D. Laurentij Martyris innouarentur. Hoc institutum annos omnino tenuit XVI. Nam anno M. CC. XXVIII. postquàm Fernandus Comes ex captiuitate redijsset, instituit ordinem XXXIX. viratus Reip. multò vtilissimum. Anno autem M. CC. LXXV. Margarita Comes, & filius eius Guido, videntes per hunc ordinem ciuitatem nimis esse liberam, eum abrogârunt, statueruntq; Curatores Reipub. tantum XXX. Scabinos puta XIII. Consiliarios XIII. Et Aerarios IIII. Quos in annos singulos, pridie feriarum decollationis D. Ioannis Bap. innouari volebant, ea ratione, vt XXX. cedentes, alios XXX. in locum suum eligerent, ciues omnes Gandenses, ac socios seu fratres Collegij eius, quod Comanorum appellatur (teutonicè Comansguldæ.) Hi tertio gradu necessitudine contingere se non poterant. Verum in hanc nouationem non consentientes XXXIX. viri, appellabant mox Curiam Parisiensem, iudicatumq; est per arrestum XXXIX. viratum debere suum habere locũ, abolita noua constitutione. Dehinc anno M. CCC. I. Phil. Rex, cognomine pulcher, seruans in custodia Comitem Guidonem, Gandauum venit, nouam statuit politiam & senatum, qui per annos plus minus C. LXX. conseruatus est. Quanquam XXXIX. viratu longe esset vtilitate inferior. Comitia habebantur per hanc legem pridie Assumptionis Deiparæ virginis: Comes, aut eius legati, quatuor legebant ciues Gandenses. Ciuitas legebat totidem, qui octo creati electores XXVI. honoratos & idoneos eligebant Senatores, quem numerum Comes, aut eius Vicarij, in XIII. Scabinos ac totidem consiliarios diuidebant. Eoque cursu temporis introductum est, vt ciuitas in ternas partiretur partes, nempe ciues, opifices & textores. Introductus est & iste abusus, vt ex ternis illis tribubus ciuitatis XXVI. illi eligantur Senatores. Eo item tempore inuenta est creatio Decanorum, de quibus in eam vsque diem nulla fuerat memoria. Creatus Decanus ciuium: Decanus Quæstus, & Decanus Textrinulæ. Sed interea grandis & pernicios introductus abusus, vt quoties turbatio aliqua in ciuitate oriretur, Decani illi, perinde, ac componendi motus causa, cum vexillis, omnibusq; collegijs opificum armati prodirent in forum, classicumq; Senatus per campanam (Rolandus nomen) sonarent. Sic, vt primus Senator cum vexillis D. Georgij, Flandriæ, atque oppidi Gandensis, supremus verò Decanus cum LII. collegiorum vexillis, ad XXV. & amplius millia hominum sæpenumerò secum aggregarent. Eum abusum Philippus Dux, hoc anno LII. sustulit, & abrogauit, omniaq; illis vexilla ademit, eò, quòd ritus ille planè barbarus esset, & intollerabilis, seditionesq; ciuiles, cædes bonorum ac innocentium ciuium frequenter ex illo nascerentur. Sed oppidani ad pristinum ingenium, & ad eandem barbariem redierunt, donec à Diuo Carolo, inuictissimo Monarcha, grande, atque vtile illud acciperent priuilegium, nempè, omnium priuilegiorum abolitionem, quæ quidem abolitio, magnam quietem, atque salutem huic ciuitati attulit, &c. Hactenus Meierus.

GANDAVVM, Amplissima Flandriæ vrbs, à Julio Cæsare condita, et à suo nomine Caio, vt Chronici Brabantini loquuntur, dicta, fluminib⁹ nobilis, amoena, ãpla, spaciosa, nunq̃ concluso, rusq̃ suffocata. Innumeræ cultæq̃ dom: fæcunda virot, ingenia, antiqui mores, tum duplici muro amplificata loci species. Suos etiã habet, vt Louanium meditationi ac studijs aptos recess⁹. Habet et ludos litterarios aliquot multę celebritatis, magnifica tẽpla, coelib⁹ quam benignũ, oentẽ frugale magis dixeris, q̃ parcã. Est Gadauum et plurib⁹ sanctor, corporib⁹ et nobilib⁹ monasterijs duobus exornatũ, Petri Apostolorum principis, et Bauonis: Vtrumq̃ Abbatem habet, & annuos prouẽtus ampliss̃imos. Carolo V. Aug⁹. vitæ principium dedit. Hadria: Barl.

Cum Priuilegio

1 Walpoort	24 S Cuthert: sloss	55 Stadhuys	82 Steenpoort
2 S Elizabet	29 S Pharsen	56 S Ioris hof	83 Vijf wint gate
3 s Gas hoss	30 S Eloy	57 S Nicolaus	84 Keysersrijck
4 Trijck gasse	31 Sgraue steen	58 Cordaert	85 S Martis
5 Galileen	32 Geldmunte	59 Cleyaerde	86 Schippers Cap:
6 Turre port	33 Sluzekin	60 Grausest	87 Volders huys
7 Celle brouers	34 Gruupoort	61 Putters	88 S Moors huys
8 S Michiels	35 Nieulandt	62 Brugpoort	89 S Margrit g:
9 Pretecke	36 Minnemers	63 Cast: wand:	90 S Wale
10 Grauuest:	37 Mudelpoort	64 Watelport	91 den Driesch
11 Swartez:	38 Pharle plaets	65 Weuerijck	92 S Barbere
12 Bogarde	39 Vischmart	66 Cauldberg	93 Schuit: hof
13 Pasterne	40 Vridachma:	67 Cauter	94 Groen hoye
14 Zaid:	41 Verkenmart	68 Reteipoort	95 Rabbot
15 Cuupg:	42 Tylatelsken	69 Ebb: gast:	96 Tberau
16 Poorters ac:	43 S Iacobs	70 Pietvelp:	97 Sprieu hof
17 Weesenh:	44 Roos straat	71 Ouerport	98 Groene briel
18 Bus enfans	45 Grauuest:	72 Muurebr:	99 Poel
19 S Agneten	46 S Claren	73 Ons Vrou:	100 Ingelst gat
20 Nieuwe Cloff	47 Schuitbeff	74 S Pieters	101 S Annẽ gast
21 Merelbe	48 Ioris porte	75 S Quint: b:	102 Padde gat
22 S Iacobs b.	49 Roo porte	76 S Lieuin:	103 Nieuwe Calfeel
23 H. Cruist	50 Wine aerde	77 Keiser po:	
24 S Mary d. C.	51 S Ians Bu:	78 Tzandt	
25 Cornets	52 Randelbers	79 Bagijnhof	
26 Augustijn	53 Bessorde	80 S Ioris gast	
27 Temp: hs	54 Putte	81 S Cuthrine	

BRVGAE.

APontium multitudine, quorum frequens, in hac ciuitate, numerus inuenitur, hanc ciuitatem multitudinis numero, Brugas appellari, existimant: Germanicè enim pons, een Brugk, sonat. Huius autem vrbis, tantam esse celebritatem, tradit Georgius Cassander, vt nulla sit ora, quam non iam olim eius fama, cum maxima laude coniuncta, compleuerit. Ita enim huius vrbis, inter cæteras virtutes, eminet, & excellit morum ciuilitas & humanitas, vt si quis ea insigniter præditus videatur, continuò aut hîc natum, aut certè institutum, conijcere, aliarum etiam nationum homines soleant. Verissimè proindè Erasmus, in epistola quadam, ad eruditissimum virum, Leonardum Casmibrotium, huius vrbis ciuem ornatissimum, scriptum reliquit. Gignunt (inquit Brugæ tuæ) ingenia fæliciſsima, & Atticis simillima. Tanta est huius vrbis pulchritudo, vt omnium eorum iudicio, qui eam propius inspexerunt, non facilè aliam ei parem, in tota inferiori Germania, inuenias, quæ pulcherrimis mænibus, à Balduino Caluo, Anno à C. N. octingentesimo nonagesimo munitur & cingitur, quæ latissimis & amœnissimis viis tam perpetuis, quàm transuersis, venustissimè describitur: quæ forum habet, ædificiis pulcherrimis septum, ad quod sex latæ deducunt plateæ, totidem præcipuis portis respondentes. Quæ crepidinib. & pontibus, iisque plurimis ex lapide constructis, pulcherrimè exornatur: quæ magnificentissimis cùm publicis, tum priuatis ædibus, præcelsis turribus, diuorumque augustissimis templis, sexaginta numero, insignitur. Quorum præcipuum S. Donatiano sacrum, amplissimè Canonicorum est dotatum collegium, & Ludouici Viuis Hispani, monumento nobile. Cuius Præpositus Ecclesiasticæ Curiæ præses, & hæreditarius est, vniuersæ Flandriæ, Cancellarius. Adde his, quòd maximo ambitu contenta, & in orbem ferè decentissimè circumducta, frequentissimè tamen colitur, & habitatur. Canalem habet ad tria miliaria, ex mari deductum, aliorum riuulorũ influxu adauctum, qui se brachijs nauigabilibus, per multas ciuitatis plateas, transfundit. Et, vt paucis, omnia cum Hadriano Barlando dicam, totus hic locus, pascendis oculis, reficiendis animis dicatus est. Pulchra sunt oppida Gandauum, Anuerpia, Bruxella, Louanium, Mechlinia, sed nihil ad Brugas. Aeneam quoque Syluium ferunt, in tribus ciuitatibus, quas ætate sua longè cæteris antecellere putabat, etiam Brugas commemorasse. Eius incolæ suauissima pronunciandi ratione vtuntur. Est enim his vox adeò pressa, & flexilis, vt non alia gens, ad quas suis linguas addiscendas, easque aptissimè, & expeditissimè proferendas, magis sit idonea. In recipiendis, & in admittendis peregrinis, faciles, plurima benignitatis & liberalitatis officia in egenos & ægros impendunt. An non hoc (inquit Cassander) insignis cuiusdam & memorabilis humanitatis indicium est, quòd hæc ciuitas iam olim pueros egestate pressos, nec otio, situque marcescere, neque ad malas artes se conuertere permittit. Sed instituta in hoc est publica schola, animum bonis artibus excolendum, corpus necessarijs alimentis educandum, curat. Hanc humanitatem propè singularis morum ciuilitas, liberalitas, & in victu, amictuque splendor quidam, & elegantia comitatur. Opibus autem posteri, ac re lapsi sunt, cùm ob aquarum & vecturæ incommoditatem, mercatores & maximè quidem, de Hanseatica socitate, hanc vrbem deseruerunt.

Non tamen omnis mercatura hîc iacet. Lanificium enim, & lanæ distractionem retinuerunt.

BRVGÆ, FLANDRICARVM VRBIVM ORNAMENTA.

BRVGÆ, vulgo Brugk, Teutonicæ Flandriæ vrbs omnium pulcherrima, nitidissimaquè, publicarum siquidem, priuatarumquè ædium in hac vrbe splendor et magnificentia, omnem rationem, omnem dicendi facultatem superat. Optimam vrbium formam, hoc est, orbicularem, situ obtinet, aquis probè instructa, duplici fossa ambitur; florentissimum quòdam emporium fuit.

ANVERPIA.

ALEXANDER GRAPHEVS, vir summus, Poëta, atq; Orator insignis, omnibus scientiarũ splendoribus perpolitus, de suauissimæ Patriæ suæ origine & nomine, familiarib. ad me literis, hunc in modum, doctissimè scripsit. Neminẽ præterit quàm omnia sint incerta, quæ de prima, Anuerpiæ origine, quæ de nomine traduntur, quanta inter plurimos de ea, versetur contentio, & disceptatio: cum alij, Atuacut autumentũ, alij à iactu manuũ, Hantuuerpiã dici velint, quã meram esse fabulam, nemo est tam rationis expers, qui nõ iudicet, alij alias coniecturas adferant. At ego potius, Patris mei sententiæ adstipulor, qui ab adiectu, Adiectam vocatã maluit, quod nostra lingua, rectissimè dici potest, Anuuerp. Neq; Adiectam nuncupandam existimo, quòd prioribus vetustioribus mœnibus ter adiecta sint mœnia, itaq; in eam, qua nunc est, magnitudinẽ atque amplitudinẽ excreuerit: quod quidem, & in alijs pluribus Ciuitatibus, accrescentibus Rebus pub. factitatũ esse, videmus: Sed, cum longè, lateq; Scaldis, qui nullis coërcebatur aggeribus, nullo certo cõtinebatur alueo, per loca paludosa, vliginosa, atq; arundineta, liberè exspaciaretur, effectum esse, vt & crebro æstu, & quotidiano accessu, atq; recessu maris, crebrisq; alluuionibus, paulatim ea editiora fierent, vt hinc nomẽ sortitam esse, sit verisimile. Videmus enim quotidie, dum ædificij alicuius fundamẽta iaciuntur, q̃ variè sit distinctus fundus: mox arenosus, mox argillosus, mox cœnosus, mox concharũ marinarũ, varijs generibus constitus. Sic etiam, vt ex recentioribꝰ. quædam perpetuæ memoria digna, hic adferamus, nostris his oculis vidimus, cum ædis Prætoriæ Antuerp. fundamẽta in ea parte, quæ ad Circium vergit, vbi & primus lapis, Henrico Berchemio, & Nicolao Rococcio Conss. Equ. Aur. iactus est, ponerentur, q̃ plurimos palos, cum annulis ferreis, de quibus olim lintres, scaphæ, cymbæ, aliaq; id genus nauigia religari solent, immotos adhuc in imo fundo, stetisse, sed neq; eiusmodi palos tantum, verũ etiã & portus quosdam quos Cothonas vocant: ex illigneis trabibus, fistucis, imæ tum fluminis arenæ impactis, viminibusq; contextis, ac virgultorũ fascibus, satis adhuc recentibus, super ingestis-manu factas, in maxime cœnoso fundo & stantes, vidimus. Quin & nõ procul inde, puteus limpidissima aqua scaturiens, vnica tantum cupa, plane adhuc integra, constans, æreis circulis contectus, fundamẽto (quod tamen erat altitudinis viginti. & amplius pedum) subiectus, visu mirabile, inuẽtus est. Proinde, dum anno quadragesimo tertio, fossæ apud portã Kipdorpiam ducerẽtur, muroq; vrbs, in ea parte, vallaretur, piscium marinorũ, quædam immania ossa, quæ plane saxeam speciem, tantamq; referrẽt duritiem, vt percussa, clarissimũ sonitum ederent, in fundo reperta fuisse, vidimus. Huc etiam accedit, dum flumen Varus, sunt anni plus minus nonaginta, in ea vrbis parte, quæ Merana dicitur, foderetur, viam saxis stratam, quæ decliuis ad putei aquas duceret, inuentã fuisse, certo proborũ virorum testimonio, qui se hoc vidisse, mihi sæpenumero affirmarunt, nobis probatũ est. Vt etiã non præteream, non procul à ciuitate Anuuerpiensi, ad Septentrionẽ, altos quosdam arenarios tumulos, quales in Batauia, maris limites cõstitutos, videmus, hodierno adhuc die, longo tractu exstantes, conspici. Qua ex re, certissimis, ac firmissimis argumẽtis, perspicue cõstat, vrbis situm, vndiq; fuisse humilem, paludosum, vliginosum, eãq;, vt ante dictum est, ex quotidianis alluuionibus incrementũ, ab incremento autẽ, nomen accepisse. Quis porrò ciuitatẽ hanc, sæculorũ multorũ facile principem, florentissimorũ hominũ, fortissimorũ virorum, optimorũ ciuium multitudine redundantem, cæteris omnibus, totius orbis terrarum vrbibus, nominis celebritate, ac famæ, magnificentia, amplitudine, pompa, ædificiorũ sumptuosissimorũ splendore, excellere nescit? Et, quæ tantum alias inter caput extulit vrbes, quantũ lenta solent inter viburna cupressi? Quid de populorũ omnium externorũ, ac mercatorũ, ex omnibus mundi partibus, cum varijs mercium, rerumq; omnigenũ generibus, eo cateruatim confluentiũ maxima, & quotidiana frequentia, dicam? Quis quæso, maximopere, ad stuporem vsque, non est admiratus, rerum vniuersarũ, quæ excogitari, aut desiderari queant, copiã vberrimam? vt, quæ vndique ab omnibus omnia reciperet, eadem illa, non tantum in vicina, sed & in quæcunque alia orbis, licet longe, latéque dissita loca, velut è sinu, largissime deprompta, refunderet. Hinc non immerito, dum anno quadragesimò nono, Inuictissimus, ac Clemẽtissimus Rex Philippus, maximis cum totius populi acclamationibus, incomparabilibus impensarũ sumptibus, exciperetur Anuerpiæ, ea ciuitas potissimum inter cætera, elogio longe iustissimo, FONTIS IRRIGANTIS OMNIA, exornata fuit. Vt interim taceam, quanta illius semper in Principes suos extiterit fides, obsequium, liberalitas, beneuolentia: Quàm alacri animo, in rebus etiam desperatis, quodammodo fortunas suas, in rem sui Principis exposuerit semper: Quàm incredibili promptitudine, vbi vsus poscceret, argenti, atque auri vim incõparabilem, bellorum scilicet neruos, vel minimo negotio, & quasi momento deprompserit. Hinc Franciscum Galliarum Regem, eius nominis I. quod ad Monarchiæ fastigium peruenire minus posset, tria tantum obstare, sæpenumero testari solitum intelleximus. Perpetuam, nimirum, ac mirificam, in Imp. Carolo vigilantiam: populi sui, erga eum fidem spectatissimam, & quod caput erat, Anuerpianæ Ciuitatis Emporium, totius orbis celeberrimum, atque nobilissimum. Hactenus omni scientiarum gloria præstantissimus D. Alexander Grapheus.

Rebus omnibus, & necessitati, & voluptati, delitysq; inseruientibus abundat Anuerpia, vt summã in admirationem extraneos mercatores, tanta annonæ abundantia, rapiat. Hispanica, Gallica & Rhenensia vina, summa hic inueniuntur copia. Piscarium forum, marini, fluuiatiles, & sale conditi pisces, incredibili multitudine complent. Adeo, vt si præter opinionem gratus, & amicus quispiam, tibi hospes aduenat, Sybaritica eum mensa, quouis etiam tempore, excipere possis. Amplissimus huius vrbis Senatus, hoc potissimũ nomine fœlix est, atque beatus, quia Philosophi, præstantesq; viri, optimarũ artium disciplinis egregie culti, publica in eo administrent officia. Splendidissima & plane regia, tam priuatorũ hominũ, quam publica sunt in hac vrbe, ædificia. Inter pub. autem, prætoriæ ædes, primũ se offerunt, quæ ex marmareo viuo, sectoq; lapide, ex regionibus longissimè dissitis, comportato, tantis sumptibus, tantoque artificio. IIII. annorum tempore, constructæ videntur, vt materia operis formam, & forma materiã ipsam superet. In ipso fere ciuitatis vmbelico, area ampla, quadrata (Borsam vulgo nuncupant) panditur, vndique septa columnis, quibus ambulacrum, tecto concluſum sustinetur, tam accurate fornicatum, vt non testudo, sed tabulatum, videatur, in quo pulcherrima quæque videndi sensum oblectantia, venum exponuntur. Subter, negotiatores, negotiorũ tractandorũ causa, quotidie, certis horis conueniunt. Tum etiam amplissimæ in hac vrbe sunt ædes, perpetuis à magnificis viris, admodum liberaliter, dotatæ reditibus, in quibus pueri, qui otiosi alioqui, victum in plateis quæritantes, ad omnem nequitiam enutriuntur, ijs exercentur artibus, quæ ad necessarios hominum vsus, conducunt. Idem in puellarum institutione, magna quoque diligentia, obseruatur. Habetur deinde augustissimũ fanum, D. Virgini sacrum, turri, ex candido marmore, admirandæ altitudinis, celeberrimum. In ea ciuitatis parte, qua Anuerpia, postremùm est amplificata, maximis Hanseaticarũ ciuitatum, & huius Reipub. sumptibus, amplissima est domus constructa, in quam Hanseæ Teutonicæ confœderati mercatores, ex quatuor, quæ in Europa habent, Emporijs id, quod quondam Brugis fuit, transtulerunt. Domus ista, seu verius palatium, decus & ornamentũ, ciuitatis adauctæ, ingenue fatentur, quotquot eam conspexerũt, mira siquidem eius pulchritudo, omnium oculos in se nõ immerito conuertit. Situ excellit, vtrinque enim euripis, ad maximas recipiendas naues, opportunis, clauditur, quæ huic domui prymnæsio iunctæ, merces percommode exinanire, & in eam trajicere, possunt. Splendidissima etiam structura nitet. Menianæ siue ambulacra bina, quadratis innixa columnis, spatiosam intus aream cingunt. Æstiuas cœnationes, & hypocausta amplissima, venustissimis picturis, & tapetibus scite admodum vestita, continet. Chartophylacia, & cubicula sua priuata, mercatores exornando decertant. Turrim quoque ex viuo, quadratoq; saxo, admirabili venustate erectam, Hanseatica hæc domus ostentat, cum alata, & versatili, summo in apice aquila, ventorum indice, quæ quauis circumagitur aura.

ANVERPIA.
PARS FLANDRIAE
SCALDIS FLV.
Osters hauss
Die Nieuwe Stadt
Die oude Vesten
1 Onser Vrouwe Ker.
2 S. Iacobs Kerck.
3 S. Andries Kerck.
4 S. Ioris Kerck.
5 Die Borcht Ker.
6 Groot gasthuys.
7 Die Vrouwe
8 Die Prechtijn
9 Die Mijnpoort
10 S. Michiel
11 Die Nieu
12 Die Engelsche
Grote Marct.
Ossemarct.
Veermarct.
Vlamarct.
Vlaschmarct.
19 Die Keysers Port.
20 Kipdorp Port.
21 Die Roy Port.
22 Custerne Port.
23 Cronenborch P.
24 Stathuys.
Les noms des Bouleuerts & rapars.
A. Buluardo del Duc.
B. Buluardo de Ernãdo
C. Buluardo de Toledo
D. Buluardo de Alua
E. Buluardo de Paciotto
ANVERPIA, nobile in Brabantia oppidum, partim maritimum, Galli, Germanis, Hispanis, Britannis Italis frequentatu, mercimonijs mirum in modum floret. Sumptuosis tam publicis, quam priuatis ædificijs nitet, nimirum Augustissimo D. Virginis templo, cum turri, ex candido lapide altissima; Cuiuca, Hanseatica, Anglica, ac Portugalensium domo: Monasterio Præmonstratensium, monumento Isabelæ Caroli Ducis Burgundionum Coniugis, nobili. Anno à Christo nato, CIↃ. IↃ. LXVII. Die V. Nouemb. munitissima Anuerpiensium moenia, à Cronenburgio, vsq; ad Cæsaream portam diuulsa, soloq; æquata fuêre: Et Ex vallo cincta, fossa & aqua circundata, quinq; propugnaculis ex viuo saxo munita, construitur, habens in circumferentia inter propugnacula superne eminentes decem et tres formas planas, quas alij Pastillos nuncupant, ad hostium propellendos insultus, fortissimas. Intus, late patentem aream, percomodæ claudunt ædes, quas presidiarij milites incolunt. In areæ medio, statua ænea deaurata, maximis sumtib. fusa Serenissimi Hispaniæ Regis iussu, Illustriss. Duci Albano cuius vniuersæ corporis faciem apprime refert, beneuolentiæ et gratitudinis ergo pacificatoris habitu, posita est. Hanc in collossi pede inscriptionem habens.
FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBÆ DVC. PHILIPPI. II. HISP. A PVD BELGAS PRÆFEC. QVOD EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIR PVLSIS RELIGIONE PROCVRATA, IVSTITIA CVLTA, PROVINCIÆ PACE FIRMARIT REGIS OPTIMI MINIST. FIDELISS. POSITVM.

BVSCVMDVCIS.

BVSCVMDVCIS, à syluis atque nemoribus, quæ hoc loci quondam Brabantiæ Duci fuerunt, appellationem obtinet, vna ex quatuor præcipuis Brabantiæ ciuitatibus: Ludo literario, magna ciuium, & præstantium ædificiorum frequentia, pugnacij populo, ciuili tamen ac blando, nobilis. Hic multis ornamentis percelebris videtur Ecclesia cum artificioso horologio: vbi mercatura, lanificium, cæteræq; mechanicæ artes florent. Natus est in hac ciuitate Georgius Macropedius, excellens trium linguarum professor.

LOVANIVM.

LOVANIVM, caput est vrbium Brabanticarum, cæli & aëris benignitate nulli cedens aliarum, cuius amœnus & iucundissimus situs, meritò inuitauit maiores, vt Louaniũ sedem ac domicilium Musarũ deligerent. Habet enim Vniuersitatem, qua non sit alia secundũ Parisiacam numerosior, neque ornatior, ex Colonensi nata filia, magnificẽtior matre. Habet hæc vrbs sacras ædes quamplurimas, vnam D. Petri structurã tam elegãti, vt Architectorum iudicio, nullam pluribus locis inuenias pari politura. Huius è conspectu visitur domus ciuica operosissima, & quæ non vna re teiterur olim florentissimam vrbem fuisse Louanium. Xenodochium amplissimum, Carthusianorum quoque cœnobium intra mœnia, loco ab omni tumultu & frequentia semotissimo est. Ad muros vrbis, qua Machliniam itur, arx est insigni vetustate, ad otium, rerumque vrbanarum vacationem Principibus accommodata. E regione turris est, ea altitudine, vt inde videri sereno cœlo Antuerpia possit, octo magnis milliarijs Louanio disitum oppidum: vulgò, Impensa perdita, vocitata. Ager Louanienſis, præterquam rerum omnium, quæ conseruandæ hominis vitæ peropportunæ sunt, etiam vini ferax, sed temperati, & studiosorum cerebro, quos sobrios esse decet, conuenientissimi.

MACHLINIA.

MACHLINIAM perueterem, ac præclaram vrbem, excussis cùm antiquis, tum nouis auctoribus, comperimus, priscum nomen adhuc dum seruare. Ea, non male, naturæ beneficio, sita, salubri aere, in primis vtitur, cæteris omnibus affluit rebus, quæ ad hominum consuetudinem sunt necessariæ. Mediam secat, perluitque flumen Delia. Hanc non ineptè meditullium vocaueris Brabantiæ, Louanio, Bruxella, Antuerpiaque tot clarissimis simul vrbibus, interclusum, & vndique quatuor milliaribus distans, quam tetrapolim qui circumspexerit, is iustissimam trianguli formam efficiet. Interim Machlinia singulari iurisdictione valet, suisque, & proprijs legibus vtitur, quo loci, ante alia notandum hoc est: Grauidæ matres, dum pariendi instat tempus, relicta vrbe, in interioris Brabantiæ municipium quodpiam se conferunt, inibi onerosæ alui pondus, deposituræ, eo consilio, vt liberi, in partem immunitatum Brabantinarum, itidem veniant. Vrbs alioqui, per se non tantum ædificiorum, tam priuatorum, quàm publicorum descriptione nobilis, verum etiam operibus, molibusque firmissima existit. eoque magis, quod dum supra caput est hostis, patefactis ostijs, viciniam omnem, diffusis aquis, instar vasti lacus, ciues complere soleant, atque hoc pacto, hostem intercludant. Cunctis autem vrbanis operibus, splendore, artificio, structuraque antecellit: Basilica D. Rumberto dicata, cui vasta, & præalta imminet turris, qua in speculæ loco, ad remotissimarum cùm ciuitatum, tum amœnissimarum circumstantium possessionum prospectum, vtuntur. Secundum autem, cùm dignitatis, tum magnificentiæ locum, illic obtinent septa Pizemburgica, in quibus commorantur Teutonico ex illo ordine procreati religiosi milites. Sed huic vrbi dies ille septimus (vti ipsi vidimus) ante idus Sextiles, exeunte anno, M. D. XLVI. funestus existit, hoc ferè initio. Cum horrenda tempestas cæli esset orta, ecce vasta turris portæ arenariæ vicina, qua maxima, pulueris illius nitrati vis asseruabatur, fulminis iactu, non modo conflagrauit, verùm etiam à fundamentis frustulatim disiecta, lacerata, reuulsaque est, vt ne vestigium quidem vllum prioris fabricæ, supereſſet, quodque magis admirère, subitum istud, & inopinatùm incendium, vrbanam fossam, aquæ plenam, altam & sexcentis amplius passibus latam, ex ea parte, non tantum siccauit, sed etiam arefecit, piscibus partim coctis, partim verò tostis, quaque versus remotissimè sparsis. Quinetiam mœnia flammâ deflagrata, ac eo vlterius. Circunstantium domorum parietes ter centenùm amplius passuum interuallo, labefactati, aut deformati, vacillare, simulque vno, & eodem temporis puncto, malum insolens manare, non solum per vrbem, verum etiam suburbanam viciniam transcendere. At ne dum modus infortunio positus, quantopere enim lapidum iactus, quo instar tonitru, cælum contremuit, totam ciuitatem permiscuerit, quantumque ruinarum passim ediderit, nisi ipse præsensq; viderit, non facilè credat vnusquisq;, & multi nobiscum superant, etiamnum oculati testes. Huc accedit, hominum magna clades, quorum amplius ducentos perijsse, ac triplo plures vulneratos, accepimus, à fide dignis ciuibus. Fulgurum, ac tonitruum tanta vis fuit, vt vsque ab Antuerpia, Bruxellaque, sonus iste miserabilis, multis credentibus terræmotum, in vicinitate factum, audiretur. Indigenæ verò ipsi, vsque aliquo videre videbantur cælum ruere, ac vniuersum mundum inuerti, quippe, cum inter cæteros quidam in hypogeo concamerato, sed labefactato triduum inediam ferens, semiscpultus iaceret, ruderibusq; fortè latitans, à circumstantibus extraheretur, attonito consternatoque homini, animo similis, sciscitatus est, Num qua vniuersi supereſt species? Quod igitur Machlinia de cœlo tacta, incredibilem suarum rerum iacturam fecerit, id infelicitatis eius fuit, quod verò deinceps, non ex eâ tantum parte, instaurata, sed multis præterea locis, ornata, honoris est hoc eiusdem. Vbi septendecim opificum collegia, exceptis cohærarijs, ad senatum admittuntur, quoties de re quapiam graui, deliberatio suscipitur. quorum præcise sex, tanta apud suos gratia & auctoritate valent, (hi sunt Pictores, Ichthyopolæ, Infectores, Coriarij, Cereuliarij ac Lanij) vt ex ijs quotannis singuli legantur Senatores. itaque summus magistratus vniuerse duodecim, sex Patricijs, ac totidem plebeijs constat Senatoribus. Lanificij laus, id quod pace cæterorum Belgarum dictum sit, Machlinienſibus, in quantum diligentissima perquisitione didicimus, prima tribuitur. quod tamen illic olim, sine comparatione, multo fuit huberius & copiosius exercitium. Intra eius enim territorium, supra ter mille ducenas textrinas exstitisse, compertissimum habemus. quippe, legimus quemadmodum olim textores tribus multitudine freti vsqueadeo insolescere, animis efferri, neque se continere, vt coorto de repente tumultu, & correptis armis, cæteros ciues inuaderent: sed tumultuario isto prælio, inferiores multos, suorum amiserunt, itaque temeritatis & superbiæ pœnam, iuremerito luerunt, nec eo contentus senatus, immunitatum, munerumque prærogatiua, huiusmodi auctores turbarum, priuauit. à quo vsque tempore, & numero opificum, & existimatione sunt deminuti, licet ad hanc diem textorum collegium audiat, nunc amplum, nunc omnium reliquorum primum. Hæc vrbs vti telarum, & quidem optimarum, ita cortinarum multiplicium plena est: Tormenta, tintinnabula, denique instrumenta, ac vasa quæuis, ambigam an alibi terrarum maiore artificio, dexterius, faciliusque ære conflentur. Reperias hic itidem, omnis generis nauium architectos, & fabricatores. Instructissimum in ea vrbe ad quoſuis casus semper rerum dominus referuat armamentarium, tot tormentis æreis, ac ferreis, tot machinis bellicisque instrumentis, puta, nauibus, pontibus, carris, postremò, tanta re castrensi, & militari suppellectile affluens, ac nouissimè tot operarijs fabrisque plenum semper, vt spectatoribus admirationem copia pariat. Hominum memoria celebrantur Machlinea oriundi duo, Ioannes Goechus, & Arundineus Grauis, vterque auctor. item Nicasius Vordæus, is, qui licet visus vsuram ei casus, trimo eripuerit, in literis tamen vsque eo profecit, tantosque fecit progressus, vt vtriusque Iuris professione, Docturæq; dignitate claruerit, ac iccirco abs Trithemio, inter naturæ miracula adnumeratur. Louauij enim, ac Coloniæ, iura publicè docuit, interpretatusq; est, discipulisq; nonnulla theoremata dictauit, quæ typis impressa, etiamdum extant, æternum alioqui duratura. Obijt rarus ille vir anno M. CCCC. LXXXXII. Hinc ibidem editus est, (quemadmodum ipse in oratione ad Senatum Machlinienſem apertè fatetur) Christophorus Longolius, vir cum propter raritatem doctrinæ, tum propter virtutum cumulum, omni Europæ notissimus, quem non modò summo semper honore, priuati quiuis homines, sed etiam principes viri coluerunt, quemque certatim multi, multis honorarijs muneribus donare voluerunt, sibiq; ita eius consuetudinem conciliare, vel potius emere. Sed omnium vniuersè ordinum dona aspernatus, vnius Reipub. Florentinæ, cuius aliquamdiu officiosus, studiosusque exstitit, pensione annua contentus, multorum auctor operum, Patauij anno M. D. XXII. libris immoritur. Contrà, D. Erasmus ille Roterodamus, in quadam familiarium epistolarum, ad Damianum suum Goesanum data, scribit, Longolium reuera fuisse Hollandinum, Sconhouia oriundum. At ipsi auctori, patriam professo, citius fides ponenda videtur, quam cuiuis peregrino. Scitum enim illud est: Cuique suus imperat affectus. Superant hac tempestate inter literatos, & claros homines, ciueisq; Machlinienſes, Rembertus Dodonæus, insignis medicus, idẽ Mathematices peritissimus, à quo multa, nec ea parua opera, subciſiuo tempore lucubrata, accepimus. Deinde Philibertus ille Bruxellenſis, albo geniorũ regiorũ adscriptus. vir cæteroqui litteratissimus, & excellens orator. Iacobus Vuastelius, in sanctum illud Machlinieſe consilium, cooptatus, vir vndeque eruditus, & honoratus, cuius F. Petrus, patre dignissimus, vt doctrinã, sic eloquentia valet. Adeo, vt eius ore indigena Senatus grauioribus quæstionibus; postulatisq; respondeat. Pereruditorum illustriumq; cæterorum virorum, quibus aliqua scientiæ laus datur, multitudine, breuitatis studio supersedere malumus in præsentia, quàm ieiunè sobrieque de singulis dicere. Hæc vrbs, alma nutrix, altrixque fuit, Philippi I. Caroliq; illius ter maximi Imp. Ph. illius Belgarum heri cum patris, tum aui, quod illic tunc temporis, vt plurimum, curia hærebat. Cuius ampliſſimæ prouinciæ vsuram, dum iam modo dictus Carolus, auiæ Margaritæ Austriadi, quoad vita frueretur, daret, sedem Machliniæ fixit, illa ipsa Herois, quæ etiam in ea vrbe, sui semper cupida, & gratiosa, anno M. D. XXX. obijt. Beneficiorum verò omnium, quibus olim aliquando, ab Hero ornati sunt, Machlinienſes, par pulcerrimum hoc est. Primum omnium portoriorum, quæ in singulas merces iustis loeis exiguntur, sunt immunes. Secundo, bona eorum firma fixaque Belgicæ territorio circumscripta, per se libera existunt, nec obligatione sunt obligata (vti cæteræ popularium res:) opt. iure prædijs comparanda, quam immunitatem ex Caroli illius omnium nouissimi Aeduorum Reguli Belgarumque domini gratia, ac liberalitate, officijs, studio, opera, sunt demeriti. quod enim eum summa virtute, ac fortitudine, bello laborantem, semper subleuassent, vix vlli alij clientum, aut magis fidere, aut plus tribuere solebat, ac ea propter, ampliſſimum illum Senatum (vulgo Consilium Regium) illic anno M. CCCC. LXXIII. instituit, cuius ipse princeps esset, cæteroqui triginta quatuor viralem, puta Cancellario, cohærario, binis præsidibus, quatuor equitibus, sex supplicum libellorum magistris, initiatis consiliarijs octo, profanis verò duodecim, partim Doctoribus, partim prolytis constantem. Hic Senatus, primo rerum dominum quocunque isset, comitabatur, assequebaturque. absente verò principe, aut hero, Archigrammateus, cunctis præerat. Eo autem, ab omnis pœnè Belgicæ tribunalibus, ius erat receptitium. Porrò, cum vxoris Ioannæ beneficio Philippus. I. ad ampliſſimam, Hispanienſium, & annexorum regnorum possessionem vocatus, necessario transmitteret, ejus iussu, nouissimè anno M. D. III. ad eam vrbem, in medio prope Belgio sitam, itaque apprimè opportunam, sedeis fixit ille ipse senatus, eius tamen forma, & auctoritate, nec non Consiliariorum numero, antea nonnihil immutato, qui, vti nunc est, vno præside, sedecim consiliarijs, duobus scribis, ab epistolis, siue à secretis, octo, & cætera munuscularum turba. Huc generatim, post ciueis & tribuleis Flandris, Atrebatibus, Hollandinis, Middelburgenſibus, Namurtibus Lucæpyrgenſibus, Valencinenſibus, postremò illis, qui litigiosa illa prædia colunt, in Flandria, Hannoniæque confinijs, collocata (de quorum iurisdictione ac iudicatu, Flandri & Hannonienſes valde pertinaciter inter se contendunt) ex domestico foro, prouocare, appellareue licet. Frisij item, Occidentem solem versus qui spectant, ac Vltraiectini, paucis ab hinc annis, hunc ipsum agnoscunt Senatum, tanquã recognitorem ciuilium causarum, quas ipsi ante iudicassent. Huic ex formula Prætoria thyasus Torquatorum item sistitur. Liteis, controuersiasque omnes, tam ciuiles, quàm criminosas, semel iudex definit, nulla prouocationis prorogatione aut gratia, stante interim semper sua Curiæ Bruxellanæ, in caussarum recognitione, prærogatiua auctoritate. Illo ipso in foro, in gratiam maximè peregrinorum, Gallicè litigatur, &c. Cætera, quæ heic, ob loci angustiam omissa sunt, suppeditat index.

TSHERTOGENBOSCH

BVSCVM DOCIS oppidum ludo literario, & pugnaci populo nobile. Horum arma superioribus annis haud semel Geldrij sensere, cum qua gente vario certatum est euentu nostris hominibus. In hac vrbe templum est D. Deiparæ sacrum, opus visendo apparatu. Hadrianus Barlandius.

LOEVEN.

Cum Priuilegio.

MACHELEN.

TRAIECTVM.

TRAIECTVM INFERIVS, firmiſsimo murorum ambitu, propugnaculis, multisque ad hoſtium furorem arcendum peridoneis turribus vrbs inclyta & memorabilis, Hollandiæ, quorundam ſententia, adſcribitur, quod tamen AEneæ Syluio diſplicet, qui eam Friſiæ vrbem nominat, habetq; ſententiæ ſuæ riualem Ottonem Friſingenſem lib. 1. cap. 15. vernaculo idiomate Vtericht: Agrum multarum rerum vbertate præſtantem, & Hollandico ſolo paulò altiorem, ſitu obtinet. Quo accedit, quòd exiguo ſpacio, permulta oppida, benè & eleganter culta, muro cincta & haud contemnenda magnitudine vicina habeat, ad quæ omnia, breuiſsimo tempore, Traiecto perueniri poteſt: Quæ cùm eorum moderator, Sereniſsimus Hiſpaniarum Rex Philippus, ex alta quadam ſpecula conſpexiſſet, ingenti perfuſus gaudio dicitur, quia tantam vrbium oppidorumque frequentiam, vnicum territorij ſui benè culti indicium, ſingulare quoq; decus & ornamentum eſſe putabat. Aſſerunt ij quos ſtudium Geographicum delectat, Traiectenſem hanc vrbem quondam Antoninam appellatam fuiſſe, vel ab Antonio Senatore Romano, qui immanem Neronis tyrannidem Roma fugiens, hanc vrbem ædificaſſe putatur: vel à M. Antonio Iulij Cæſaris legato, belli Gallici tempore, initium ac nomen accepiſſe perhibetur, vel denique à M. Antonino Pio Auguſto. Quicunque tandem horum præcipuus Traiecti fundator extiterit, antiquiſsimæ originis vrbem eſſe conſtat, quippe cuius Antoninus in Itinerario mentionem faciat, & plurima Romanorũ numiſmata, aliaque antiquitatis monumenta, certa vetuſtatis indicia, frequenter hoc loci inueniantur. Nunc Traiecti nomen à traijciendo vulgò obtinet, ob frequentem nimirum (vt plerique exiſtimant) mercatorum per hanc vrbem tranſitum, vel quia hic veteris Rheni traiectus fuit. Is enim hanc vrbem ſolebat alluere, quæ nunc per foſsas & canales artificioſè ex Rheno deductos, aquam conſequitur, adeò vt à pleriſque minùs accuratè hoc conſiderantibus, Rheno adiacere putetur. Eſt autem dives & populoſa ciuitas, & priuatarum ædium nitore, & magnificis Canonicorum Collegijs præſtans, quorum præcipuum eſt S. Martino ſacrum, Fanum ornatum & ſumptuoſum. Quia porrò ſecunda fortuna eos plerunque, quibus clementius fauet, paululum erigere, & cæteris anteferre ſoleat, vnde aliorum deinde inuidentia oritur, ſimultas quædam inter hanc ciuitatem, vicinumque populum orta eſt, adeò quidem vt ad arma progreſſum, & Traiectum expugnatum, ac dirutum ab eis fuerit, qui præſidiario milite, & conſtructa ilico arce VVilltenbergh nomine, hanc Traiectenſem Rempub. aliquanto tempore ſuis habenis moderati fuêre. Ab horum autem incondito & tumultuante dominio, Clodouei Lotharij filij opera, & auxilio, tandem hoc oppidum liberatur. Regium eſt Traiecti concilium, in quo vicinarum vrbium lites dirimuntur. Arx etiam pulchra, & valdè munita iuſſu Caroli V. conſtructa, cui Vredenburch nomen inditum. Præpotenti inſuper Epiſcopatu commendatur, cuius Antiſtes in ſacris latiſsimè imperat, qui & Archiepiſcopi conſecutus dignitatem, plurimum ab ea amiſit, ob innocentiſsimi Bonefacij cædem, quæ in hac ciuitate fuit patrata, cui deinde Pipini & Caroli Magni, Epiſcopatuum & Monaſteriorum liberaliſsimorum benefactorum auctoritate, reſtitutus fuit. Prodijt ex hac vrbe Hadrianus eius nominis Papa Sextus Anno Domini M. D. XXII.

TRAIECTVM
Den bemuerde werdt.
Den Dom.
S. Cornelis capel.
Den Wech na Amsterdam
S. Anna capel
TRAIECTVM CLARA ET VETVS EST EPISCOPALIS CIVITAS, ANTONINO MEMORATA, ITA DICTA, QVOD HIC ESSET TRAIECTVS VETERIS RHENI, AVCTORE IACOBO MEYERO, IN ANNALIB: FLAND: DICITVR AVTEM TRAIECTVM INFERIVS, AD EIVS DIFFERENTIAM CIVITATIS, QVÆ EST TRAIECTVM MOSÆ, SEDES ALIQVANDO EPISCOPORVM TVNGRICORVM, QVÆ IAM EST LEODII. QVI PLVRA DE HAC VRBE DESIDERAT, IS LEGAT ÆNEAM SYL: OTTONEM FRISIN: LIB. I. CAP: XV. VOLATERRANVM LIB: VII. ET LAMBERTI HORTENSII HISTORIAM.
CHANC VRBEM ALII ATTRIBVVNT HOLLANDIÆ, ALII PHRISIÆ: SIVE IN HOLLANDICO SOLO, SIVE IN PHRISIA SITA, HAVD DVBIO NOBILISSIMA EST ET PRIVATARVM ÆDIVM PVLCHRITVDINE ET CLERO. HABET ENIM CELEBERRIMA CANONICORVM COLLEGIA IN QVIBVS PRINCIPEM TENET LOCVM, QVOD EST D. MARTINI, HABET ET ANTISTITEM, QVI IN SACRIS LATISSIME IMPERAT, HIC TAM DIVES AC POTENS, VT SI QVANDO SIT NECESSE, QVADRAGINTA HOIVM MILLIA AD BELLVM POSSIT ARMARE. HADRIANVS BARLANDVS.

AMSTELRE-
DAMVM.

HOllandia,feraciſsima Inferioris Germaniæ Regio, piſcoſis interluitur amnibus, & paſcuis abundat vberrimis,neque regio creditur eſſe alia in orbe,quæ ſimili ſpacio,tot habeat oppida, mediocriter quidem magna, ſed apprimè polita & concinna.Inter quæ quidē ſummā obtinet dignitatem AMSTELREDAMVM in longitudinem gradibus XXVII. ac XXXIII. minutis, in latitudinem verò,gradibus LII.& XXXX.m.patens,ciuitas ad ſinum Thyum poſita eſt, vnde foſſæ plures intra mœnia deductæ,quarum omniū maxima eſt,quæ mediā ſecat, Ambraceq; dicitur, qua parte ſol oritur,nauibus peruiæ ſunt,quas ab Oceano,ingēs ille ſinus Auſtralis excipit,quæq; vndeuis gētiū copioſe huc appellunt.Nam bis anno ex cūctis ferè Europæ partibus, maximè ex populari Belgica,ex Frācia,Anglia,Hiſpania,Lituania,Germania,Polonia,Luſitania, Noruegia,ex Oſterlingorum ore Suecia,& Septentrionali cælo, nunc ducentarū,nunc trecentarū corbitarum onerariarum claſſem eò confluere videas,quarū maior pars Dantiſci, Rigæ, Reuelæ,& Neruæ, omniū mercium generibus oneratur.Stupidos plerunq; aduenas iſta detinet nauium tam ampla ſtatio,ex qua diuerſo ex orbe huc profectas quingentis plures interdum cōſpicere liceat. Sed longe maxima omnium pars domeſtica & vrbana,quarum adſpectu nihil iucundius. Cui conſectarium eſt,luculenter,& in remotiſsimis terris ciues negotiari, ad eosq; in horas peregrinos mercatores cōmeare. Portus ſumma commoditas hoc præſtat, ideoque poſt Anuerpiam, ſecundum eſt Amſtelredamum,Belgicæ Emporium,quod ditiſsimos homines incolere,pro multis vnicum hoc ſatis manifeſtum fuerit argumentum: ſiquidem ducentarum,trecentarumque nauium claſſe, (de qua modò diximus,quæq; iuſtis temporibus,quotannis eò bis confluit) importatas merces ſuis facultatibus redimunt incolæ, ſic,vt quinque,aut ſummum ſex dierum interuallo,exoneratæ tot corbitæ,vnde ſoluerint,aut quoquo nauicularijs viſum eſt,referantur. Sunt etiam hîc fabricandarum nauium probatiſsimi architecti. Nihilo ſegnius interim,lanificium inibi tractatur,quippe,duodena millia,& amplius,pannorum textrinæ vrbanæ conficiunt. Fiſtucis fundata ciuitas vniuerſa, perpetuis tignis inſidet. Idcirco non ſine ſale & lepore amicus quidam noſter, modo fiſtucatum illud pauimentum liceret contemplari,non eſſe,cur videndi amœnioris nemoris deſiderio quis teneatur,ac propterea ferunt,inſanas ſubſtructiones,infraq; aquam latentes moles,propter materiæ copiam, laborum, operisq; difficultatem,multo pluris conſtare, quàm ipſa ædificia, & vniuerſas fabricas,quæ à ſolo eminent. Ciuitas omnium generatim operum & ædificiorum cùm publicorum, tum priuatorum deſcriptione nobilis,præpotens,numeroque ciuium,& fortunarum amplitudine,valens, per ſe firma, naturaque & ſitu loci,inuicta, vix expugnari humanis viribus queat,eoq; magis,quod vrgente neceſsitate occultis quibuſdam rationibus,& eo comparatis machinamentis, continentem diffuſis aquis inſtar vaſti lacus complere ciues latiſsimè poſsint.Itaque ſi aerē,ſi circumfuſum aquarum æquor, ſi deniq; loci ſitum,ſi chomata,incilia,(quæ omnia penè compita ſectant)& his ſimilia ſpectes,Venetijs haud adeò diſsimilis ciuitas, cæteroqui fortunata, fœlix, & quam orbis immenſi circulator hoſpes ſummè admiretur adſpiciens. Qua de re gratus ciuis Nicolaus Cannius, lepidum imprimis hexaſtichon carmen condidit.Id,quod nos in ſtudioſorum gratiam,huc intertexere voluimus.

Hæc illa Batauæ,non vltima gloria gentis,
Amnis cui nomen,cui catharacta dedit.
(Dicta prius Damum)raris habitata colonis,
Cum contenta caſis,ruſtica vita fuit.
Hinc Amſterdamum iam facta celebrior, atque
Fortunæ,creuit tempore nomen item.
Vrbs benè nota prope,atque procul diſtantibus oris,
Dotibus innumeris ſuſpicienda bonis.
Dines agri,dines pretioſi veſtis,& auri,
Vt pleno cornu copia larga beet.
Quod Tagus atque Hermus vehit, & Pactolus in vnum
Vere huc congeſtum,dixeris eſſe locum.

AMSTELREDAMVM, nobile Inferioris Germaniæ oppidum, ad recipiendos, ex omnib. mundi partibus, mercatores, recenter natum, genus hominum incolit mercimonijs deditum quæ quidem, tum blanda populi comitate, ac sedula diligentiq; industria; tum portus cõmoditate permagna, vsq; adeo incrementa sumpserunt, vt vix vllum mercaturæ genus excogitari possit, quod hẽc non exerceatur. Hinc fit, vt opum lucriqué cupiditas, ex remotissimis etiam terris, negotiatores, in hanc ciuitatẽ inuitet, qui varia hinc bona, & maximè, rem frumentariã, in Brabantiam, cæteraq; longè dissita, totius vniuersi loca, transferentes; ingentes ex eiuscemodi commertio opes consequuntur.
DEN AEMSTEL
Le Proesse
Die Lastage
Die Klock
Die Braeck
1. Clarissen.
2. S. Ioeris
3. Dẽ Amstel.
4. Niewenõnen.
5. Oudenõnen.
6. Vij Mach:
7. Paul: Broes.
8. Die Raemẽ.
9. Beghijnhof.
10. De Heiligerste.
11. S. Maria.
12. S. Claeren.
13. Selle Broes.
14. S. Barberen.
15. S. Madalenen.
16. S. Maergrietẽ.
17. S. Anghenieten.
18. S. Liscijen.
19. Houtmart.
20. Die Plaets.
21. Stathuys.
22. Oude Kerck.
23. Nieue Kerck.
24. Lievrowẽ kap:
25. Tgasthuis
26. S. Jakob kap:
27. Minnebroes.
28. Selle susters.

GRONINGA.

FRISIA Regio quondã latissimè patens, hodie angustioribus contenta limitibus, Amisia flumine, in orientalem & occidentalẽ diuiditur. Hæc Groningam inclytam vrbẽ metropolim complectitur, quam alij Gruningam, à fundatore Gruno, nuncupant. Eumque alij Troianum, alij Francum Anthenoris Regis Franciæ fratrem fuisse existimant, qui domestici dissidij causa fratrẽ relinquens, in occidẽtalem Frisiam deuenit, & ibidem ciuitatẽ hanc, suo nomine insignem, ædificauit, annis CCC.LXXVII. ante salutarẽ Christi natiuitatem. Nullis tunc muris cincta, sed propugnaculis ligneis, immissis in terram palis fistucationibus, quasi consepta fuit. Mœnibus autẽ, fossis, ac turribus contra hostiles insultus validè munita est anno salutis M.C.X. Ciuitas nunc est opulenta, & frequenti populo instructissima, multis abundans aquis, arte in ciuitatem per canales deductis. Habet status, leges, dominium, & iurisdictionem peculiarem, cum multorum pagorum confœderatione, vnde Regiæ Maiestatis titulo decori, ornamentoq; existit. Præcelsis templorũ turribus, & magnificis priuatorum hominum ædificijs inclarescit. Vrbem hanc ortu doctissimus ille Rodolphus Agricola illustrauit, cuius accuratissimis scriptis, potissimùm ijs, quæ de Inuentione rerum posteritati commisit, Colonensis Vniuersitatis studiosi adolescentes eruditiuntur. Qui summus in Vniuersitate Heidelbergensi Professor, in fata ibidem concesit: cuius sepulturã eleganti tumba ornauit Brabantici Concilij Præses D. Viglius, cum his Hermolai Barbari Veneti versibus:

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Phrisy spemq; decusq; soli.
Scilicet hoc viuo meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Vix vllam ciuitatem esse crediderim, quæ toties Bellonam sæuientem perceperit, atque Groninga, quemadmodum eius annales ostendunt. Nunc sub dominio hæreditario Ducum Burgundiæ fœliciter florescit.

BROVERSAVIA.

ZELANDIA, Mattiaca Tacito, regio maritima, multis discreta insulis, quarum tres magnitudine, dignitate, & pagorum ciuitatumque frequentia reliquis præferuntur, Valachria, Suydtbeuelandia, & Scaldia, à præterlabente Scalde flumine nominata, quæ cùm multis populosis pagis ac colonijs distincta plurimas exhibet rusticanas villas, pleraque vrbana, atque antiquæ nobilitatis prædia ac palatia, vt Haemstedium, & Renissæ affinem Moermondam, & præter pulchram ciuitatem Zirizæam, BROVERSAVIAM non ignobile municipium, vulgò Brouuershauen, Oppidum nitidè & eleganter constructum, quod rei maritimæ peritos & exercitatos naucleros suppeditat, & piscatores strenuos, vnde Brouersauia ingentem piscium copiam varijs mundi partibus communicat.

GORICVM.

GORICVM, Hollandiæ ciuitas, eleganti castro insignis, situ amœno, rerumque omnium affluentia, nomen, laudemq; meretur, trium miliarium interuallo à Schonhouio distat, VVahalim fluuium, ex tribus alterum, quibus Rhenus in Oceanum effunditur, præterlabentem habet. Huc ex altissima turri, duę supra viginti vrbes, muris septæ, conspici possunt, cum rusticorum villis, & non paucis nobilium habitationibus. Lætissimis abundat pascuis, vnde in butiro, lacte, caseo, ferè tota incolarum negotiatio consistit, quæ Anuerpiam, & ad alia loca, non sine maximo emolumento exportant. Hæc ex Guicciardini absolutissima Inferioris Germaniæ enarratione, dictione mutata, desumpsimus.

GROENINGA, siue vt alij, Gruninga, Frisiæ vrbs inclyta, probeque contra hostiles insultus munita, metropolitica dignitate percelebris.

GROENINGA.

Cum Priuilegio.

BROVERSAVIA.

BROVERSAVIA, eius Insulæ in Zelandia oppidum, quæ à Scalde flumine, Scaldia cognominatur.

GORICVM.

GORICVM, NOBILE HOLLANDIÆ OPPIDVM.

MONASTERIVM.

WESTPHALIA, Saxoniæ limitibus inclyta, Monasterium, Peutingero & alijs Mediolanum, Metropolim habet, munitissimam amplissimamque vrbem. Quæ quidem etsi destructa esset per Anabaptistas, mœnia lacerata, turresq; mirum in modum ruptæ ictibus bombardicis, deniq; nihil esset sanum in templis omnibus vrbis, tamen ita omnia sunt nunc restaurata, vt hodie sit pulcherrima & munitissima ex reliquis vrbibus VVestphaliæ, quæ se ex varijs mercaturis & officijs exercet, & campis abundat. In qua floruerunt literæ, & puritas Romanæ linguæ ante annos LX. Coquunt hîc cereuisiam, quam patauicam, vulgo Keut, dicimus, bonam & Hamburgensi similem. Sunt ibi quinque amplissima Collegia, & eius vrbis encomium descripsit Sapphico versu Murmellius ante annos sexaginta. Hæc Hammelmannus in descriptione vrbium VVestphalicarum. Episcopatui appellationem vrbs Monasterienſis præbet, de quo ita in Cosmographia sua Munsterus scribit: Carolus Magnus tertiam episcopalem Ecclesiam erexit in Mediterraneis Saxoniæ, nunc VVestphaliæ, in Mymingrode, loco, qui postea ab insigni ibi fundato monasterio, Monasterium fuit denominatum, ordinauitq; ibi episcopum Ludgerum, natione Phrysium, fratrem Hildegrini episcopi Halberstadensis. Cuius successor Hermannus, dedicauit, & consecrauit monasterium, & ecclesiam trans aquas, in titulum & honorem beatæ Mariæ virginis. Quod breui monasterium ita excreuit, adeoq; factum est celebre, vt nomen dederit & ciuitati, & episcopo, ita, vt paulatim abolito veteri Mimigardeuordensi vocabulo, inceperit dici ciuitas & ecclesia Monasterienſis, quod nomen præualuit in hodiernum vsque diem. Hæc ille. Consule etiam Saxoniam Alberti Crantij.

OSSENBVRGVM.

OSSENBVRGVM, siue Osnabrugum, insignis Saxoniæ ciuitas, à Comitibus de Engern erigebatur, auctore Hermanno. Alij à Iulio Cæsare hanc vrbẽ inceptam esse perhibent, vt Annales Saxonum. Carolus illic Ecclesiam in honorem S. Petri, Crispini, ac Crispiniani condidit. Ferunt hanc à pelle bouina dictam, quibus vrbs hæc fuerat circumdata. Hæc Franciscus Irenicus. Duobus porrò Canonicorum Collegijs celebris, multum sibi lucri ex griseo & lineo panno comparat, sub paucis annis munitior facta, situ amœnam obtinet vallem amniq; Hasa irrigatur. Pinguem in ea coquunt cereuisiam, Buse vocatam. Carolus Magnus Saxonibus triginta trium annorum bello edomitis, Widekindi etiam arce, huic vrbi vicina, expugnata, eaq; imposito præsidio firmata, decem in Saxonia Episcopatus instituit, quorum præcipuum Osnaburgensem esse voluit. Summè etenim hanc vrbem præ cæteris coluit, cui priuilegium nouæ scholæ concessit, in qua Græcæ & Latinæ literæ à viris doctis traderentur. Hæc Munsterus, Hammelmannus, & Argentinensium Chronica.

VVESALIA.

WESALIA inferior, Ciuitas Cliuensis est, clara opibus, dignitate, ædificijs, & mercatura, ad eius mœnia Lupia Rheno coniungitur, inde non longè Teutoburgum situm est, hodie Deusburg vocatur, oppidum iustæ magnitudinis & vetustatis. Cui vicinum est oppidum, vulgo Dinslaken appellatum, quod Arnoldus VVesalienſis, Martis lacum, interpretatur. Nam Martis diem, Dinsdach vocamus, & Dingen, litigare significat, quod proprium Martis est. Coluisse autẽ Germanos Martem, Tacitus & Plinius authores sunt. Sed iam ad VVesaliam redeo, quæ magnas ex Rheno præterlabente cõmoditates percipit, qui sæpius ab origine sua tramitem varians, ab hac demùm vrbe, ad occidentem, vbi & mare ingreditur, cursum instituit. Est item VVesaliæ memorabilis misericordiæ ara, à Clarissimi viri ac D. D. Henrici Oliferij, cognomento Baers, D. Cancellarij Cliuensis &c. parentibus consecrata & posita: Gerontocomion nimirum, vbi senio & ætate confectis viris vitæ necessaria liberalissimè suppeditantur: cuius annuos prouentus filius, paternæ pietatis memor, adauxit.

MONASTERIVM, Vrbs in media Westphalia celeberrimi nominis, metropolitana dignitate, & Episcopatu clara; De quo Albertus Krantzius, in Sua Saxonia lib. 2. cap. 10.

OSNABRVGVM ELEGANS SAXONIAE OPP.

WESALIA INFERIOR.

WESEL.

BRVNSVICVM.

BRVNSVICVM, quondam à conditore Brunopolis, Ptolemæo, Tubiſurgium, ex Franciſci Irenici ſententia, hodie totius Saxoniæ Metropolis, cuius ferè centrum obtinet, ciuitas eſt permagna & populoſa, duo millia paſſuum ambitu ſuo complectitur, à duobus fratribus, Brunone, ac Theodoro, ab alijs Theomaro dicto, Lutolphi Ducis Saxoniæ filijs, condita, ſalutis anno D. CCC. LXI, vt eorum hiſtoricus Hermannus, teſtatur. Hanc vrbem Onacra amnis perlabitur, cui origo Hartonica ſylua, duasque in partes ciuitatem ſcindit, omnem immunditiem ſecum trahens, varijs vndique pontibus coopertus, Viſurgo tandem coniungitur. Tota vrbs in plano ſedet, mœnibus ac foſſato duplici profundiſſ. & aliquot in locis triplici, ac quolibet aquis ſtagnante munita. Vallum etiam inter foſſata craſsiſsimum ductum per circuitum, varijs arborum conſitum generibus. Non habet ciuitas aquam potabilem, ſed communiter bibunt cereuiſiam. Vini autem vſus charior eſt, & rarior. Quinq; hîc fora, quinque prætoria, & totidem magiſtratus. Huius ciuitatis p arua primùm initia, multas per tempora acceſsiones habuit, vt per vices amplificata, nunc in eas excreuerit vires atquè opes, vt facilè principibus ſuis titulum indiderit, qui inde Duces Brunſuicenſes vocantur. Munſterus.

LVNEBVRGVM.

LVNEBVRGVM, nobilis Saxoniæ vrbs, olim villa, in ciuitatem redacta, ex ruderibus Bardeuigi, aut Bardovvick, oppido, mercaturâ quondam celebri, quod Henricus Leo, propterea, quòd à ciuibus non intromitteretur, Anno Domini 1188. funditùs euertit. Hæc autem villa, à Iulio Cæſare condita eſt, & à Luna dicta, Lunæ enim ſimulachrum, vſque ad Caroli Magni tempora illic remanſerat, quod ipſe deinde, pietatis zelo commotus, ſuſtulit: Irenicus. At Albertus Krantzius, in ſua ſcribit Saxonia, ſub Henrico IIII. arcem Luneburgenſem, ſed non oppidum extitiſſe. Otto primus erexit locum iſtum in comitatum, adiunctis ei prædijs, de terra Meckelburgenſi. Deinde circa annum Chriſti M. CC. XXXV. Fridericus II. ex comitatu fecit ducatum. Hanc ditionem, vnà cum dominio Brunſuicenſi, poſſederunt tres Ottones Imp. atque poſteri eorum, vſque ad Henricum Leonem, qui exutus Bauariâ, Saxonia, & omni ditione ſua, Brunſuicum & Luneburgum retinuit. Quæ nunc munitiſsima eſt ciuitas, cincta foſsis & vallis, habet figuram ferè quadratam, patens in longum paſsibus circiter M. CCCC. L. & in latum nongentis. Sunt tres parochiales Eccleſiæ in vrbe, inter quas S. Ioannis primatum habet, tria item monaſteria. Occupantur ciues & mercatores potiſsimùm negotiatione ſalis, quod ibi in magna copia coquitur, atque terra, & aqua Hamburgum, Lubecam, & ad alia loca per circuitum diſtrahendum, defertur. Amnis Elmenovv, hodie per hanc ciuitatem fluit, molas agit, atque multas vrbi commoditates affert, tandemque in Albim exoneratur. Sebaſtianus Munſterus.

BREMA.

BREMA, à Ptolemæo Fabiramum, vrbs VVeſtphaliæ Epiſcopalis, ac elegans, quæ ab Hamburgenſibus huc tranſlata eſt, vbi olim Archiepiſcopatus fuit omnium Aquilonarium prouinciarum, Phriſiæ orientali vicina, ad VVeſerum, ſiue Viſurgum fluuium poſita, ex quo admirandæ altitudinis rota, aquam, ad incolarum neceſsitates in hanc vrbem per canales ſubterraneos artificiosè transfundit: ligneum habet pontem, ſub quo molæ frumento frangendo, & tormentario puluери tundendo deſtinatæ, complures ex ordine hærent. Ex mercatura primarij in hac vrbe viuunt, vino carent, cereuiſiam proinde coquunt optimam, quæ in vicinas regiones defertur. Anno Chriſti M. D. LXIIII. florens Bremenſis Reipub. ſtatus, inteſtina ſeditione grauiter læſus, priſtinæ integritati nondum abſolutè reſtitutus eſt. Eius controuerſiæ cauſas atque initia, Ditmarus Kenckelus prudentiſsimus Bremenſium conſul, eleganti ſcripto, complexus eſt.

OLDENBVRGVM.

ALDENBVRGVM, vel ſecundum alios Oldenburgum, duplex inuenitur, vnum in Holſatia Epiſcopatu inſigne, alterum in finibus Friſiæ. In hoc Holſatiæ Oldenburgo habitauerunt olim ſuæ gentis reguli, tantæ fidutiæ, vt Regi Danorum inferre bella, & inde expectare non dubitarent. Sed quid non edax conſumit vetuſtas? Olim ad mare poſita ciuitas, portum habebat tutiſsimum, nunc in mediterranea videtur abijſſe, quod à mari æſtus exaggerans arenas, excluſit vrbem à portu, vt importuoſa eſſet, indeque & per Sclauorum bella defluxit ſplendor eius, vt iam diu ruſticum, nec clauſum habeatur oppidulum. Præfuit ei Gotſcalcus, primùm tyrannus contra Chriſtianos, ſed conuerſus ad Chriſtum, infinitam Gentilium multitudinem ad baptiſmi gratiam pertraxit.



BRVNOPOLIS VVLGO BRVNSVICVM, BRAVNSCHWICH. VRBS MAXIMA, VNIVERSÆ SAXONIÆ METROPOLIS.

LVNEBVRGVM, NOBILIS SAXONIÆ VRBS, SALINIS CELEBERRIMA.



LVBECA.

LVBECA emporium celebre,& Vandalicarum ciuitatum præcipua,antè iniquis irati Martis atque Vulcani casibus est labefactata,quàm hunc inter Trauenam & Vaceniſsam flumina ſitum conſequeretur, donec tandē ope atque auxilio Adolphi à Schauvvenburgo,Holſati Comitis,hoſtium ſuppreſſa tyrannide, pacificè exædificari cœpta eſt, Anno à Chriſto nato M. C. XL. Ac deinde quidem, vindice Frederico Imperatore Auguſto, libera Imperij vrbs efficitur,& Inſignia, bicipitem,partim auream,partim nigram aquilam conſequitur. Idem etiam Cæſar, primus auguſtam illam & inclytam Hanſeaticam ſocietatem,multis exemptionibus & priuilegijs in varijs mundi partibus ornatam , confirmauit,eiusque caput, dominam, atq; reginam,florentiſsimam Lubecenſium Rempub.conſtituit,circa annum ſalutis M. C. LXXXII. (quemadmodum Chronica Argentoratenſia cōmemorant.) Quare etiam Hanſeatici conuentus vt plurimum ibidem celebrantur, in quibus de communibus ciuitatum negotijs agitur, eoque in controuerſijs quatuor Reſidentiarū (quarum nomina in cælata Londini deſcriptione inuenies) appellationes deducuntur. Hanſeatici fœderis Syndicus nunc eſt Clariſsimus vir D.Henricus Sudermannus, I.V. Doctor,ex nobili & Patritia Colonienſium familia oriundus, qui frequenti rerum vſu, multisque legationibus ad Reges & Principes exercitatus,non modò Emporio Anuerpiano,ſed & vniuerſæ Hanſeaticæ ſocietati, percelebri dignitatis commendatione in XVIII. annum præeſt. Nunc ſitu & opere fortiſsima eſt Lubeca, propugnaculis validis admodum munita, quæ palis ac tignis fiſtucationibus in aquam immiſsis,peringentem ſuſtinent molem. Binæ ſunt ciuitatis plateæ,longis extenſæ ſpatijs,quas reliquæ cruciatim interſecant,& cliuoſo deſcenſu, ad Trauenam & Vaceniſsā flumina exiliter deprimuntur, vnde grata vicorum mundicies, qui ſordes in flumina tranſmittunt. Mirifico nitore conſpicua ſunt templa, præcelſis ornata turribus, quæ cupro & plumbo tecta,apicibus aureis nitent. Summa artificum induſtria, ex flumine, aqua vi molæ in altam transfunditur turrim, quæ per occultos terræ meatus, latentesque ſiphones, ad ciuium ædes, eo modo delabitur,vt huius rei ignarus, naturalibus fontibus Lubecam abundare exiſtimet. De reliquo huius vrbis ſplendore,de bellorum ſæuitia,quibus ſæpius ab Hollandis,Holſatis,Danis & Sueco attrita fuit,quomodo item tertio igni conflagrata,breuitatis ſtudio nihil adijcio: Illud interim ſilentio inuoluere nequeo, incredibilem huius Reipub. potentiam arguere, quòd vnà cum Daniæ Rege,non alieno, ſed ſui ærarij præſidio, contra potentem Sueciæ Regem,priuilegiorum cauſa,in octennium terra, marique ſociale bellum ſuſtinuerit,& pacificationis tandem media, inrercedente Imperatore, alijsque Imperij proceribus,admiſerit.

HAMBVRGA.

HAMBVRGA, maxima inferioris Saxoniæ vrbs, nomen habet ab Hammone,qui eam inſtauravit, vnde Latinè Hammonis Burgum Franciſco Irenico dicitur. At Albertus Krantzius, Hamburgum ab Hama, inſigni pugile ,nomen accepiſſe exiſtimat, qui à Starcatero Dano, monſtroſæ magnitudinis & roboris homine, hoc loci ante vrbis ædificationem occiſus perhibetur. Lubeca decem miliarium interuallo diſtat, aquis eſt inſtructiſſima, & ad mercaturam ſitu admodum opportuno: Quare Angli, quos iam Brabantia non tolerat,merces ſuas hîc diſtrahunt. Mœnibus, foſſis,vallo, diuitijs & incolis,nihil Hamburga cultius, nihil munitius vidi. Aedes habet eximiæ venuſtatis,quæ ductis per vrbem euripis alluuntur.Ex quibus,ob vini inopiam,potum cereuiſiam coquunt,quæ non ab Hamburgenſibus tantùm, ſed & in alijs Saxoniæ partibus, auidiſſimè bibitur , adeò vt dictu mirum ſit , quanta cereuiſia hæc gens ſeſe ingurgitet, laudem meretur,& gloriam,qui fortiùs potitarit. Carolus Pipini pater hîc vicarium habuit, quem Dani, expugnantes vrbem, igneque vaſtantes, eiecerunt. Inter ſeptem Vandalicas Hanſeatici fœderis vrbes non infimum dignitatis gradum Hamburga obtinet.

LVBEC.
S. Peter
De Dom
S. Tillien
Dat Hipter dor
Dat Molen dor
De oldest karck
S. Anna
Vnse Lefrowen karck
S. Kattrin
S. Iacob
Tum Hilge Geist
S. Clemēs
S. Maria Magdalena
Dat borch dor
LVBECA VRBS IMPERIALIS LIBERA, CIVITATVM WANDALICARVM, ET INCLYTÆ HANSEATICÆ SOCIETATIS CAPVT.

HAMBVRCH VORNĒLICHE HANSTAT
S. Nicolaus
Der Heilig Geist
Miller dorff
Die Schaer kirch
Die Nieder bruck
S. Joannes
Der Thuem
Sanct Peter
S. Iacob
S Gerdrut
Der Winser Port
Das Stein Tor
Hamburga, Florentissimum inferioris Saxoniæ emporium, Anglorum frequētatione hoc tēpore celeberrimum Aº Dñi: M. D. LXXII.

VVEIMARIA.

VVEIMARIA pulchrum eſt in Thuringia oppidum, quondam peculiari comitatui nomen, iam verò inclytam Saxoniæ Ducibus ſedem & domicilium præbet, qui magnificum in eo palatium habent ex quadratis & formatis ad lineam ſaxis nitidè ædificatum, & pomarium omni arborum genere ſumma induſtria conſitum, quod Ilma fluuio irrigatur, qui in Salam tandem ſe recipit.

ERDFORDIA.

ERDFORDIA, memorabilis & maxima Germaniæ vrbs, Thuringiæ Metropolis, à priſcis Erphesfurt appellata, à molitore quodam, Erpf, & tranſitu, quem Furdt, Germani vocant, denominatur. Eam Gera fluuius illabitur, & mediam fermè præterfluit, cuius commoditate tota purgatur. Montem habet excelſum, qui nunc S. Petri vocatur, vbi olim fuit arx conſtructa, quæ poſtea rurſum eſt deſolata, regnanteque apud Francos Dagoberto monaſterium D. Petro ſacrum ibidem ædificatum eſt. Cui Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus D. Virginis templum coniunxit. Huius Vrbis ager optimus eſt, & herbæ fullonum, quæ ſandix ac ſaponaria dicitur, pro tingendis veſtibus ac pannis feraciſsimus, & pecorum paſcuis abundat. Eſt hîc vniuerſitas à Dagoberto Francorum Rege Anno Domini 1391. fundata, & à Bonifacio IX. & Pio II. varijs priuilegijs honorata. Vide Munſterum, Annales Argent. & Georgium Rithaimerũ in orbis deſcriptione, & Pij II. Europam.

IENA.

IENAE Thuringiæ vrbis nomen, vt quidam à Iano deducant, non video quanam ratione fieri queat, cùm hic deus in Teutonico ſolo cultus non legatur. Probabilius itaque Stigelius ſcribit:

Hinc placet Hebræo nobis hanc nomine dici,
Vt vetus à Iaijn nomen IENA tenet.
Cur ita crediderim, niſi mentem vocula fallit,
Certa huius ratio nominis eſſe poteſt.
Quippe vocat Iaijn Solyma pius incola terræ,
Huc quod nos Latio dicimus ore merum.
Quæ caput in medijs vrbs fertilis erigit vuis,
Hanc quiſque à vino nomen habere neget?

Hæc ille. Ima iacet valle, muris & turribus firma, ponte lapideo vtramque Salæ ripam coniungens, gitur. Schola etiam triuiali inſignis.

GOTHA.

THVRINGOS à Gothis Rithaimerus in ſua orbis deſcriptione originem traxiſſe ſcribit, eo, quòd Gothi in hac regione gentis ſuæ vocabulo GOTHAM vrbem condiderunt circa annum Chriſti, vt Iobſteinio placet, 923. Admirandæ fortitudinis caſtrum habuit Grimmenſtein, quod nunc ſolo æquatũ iacet. Eius rei cauſa hæc fuit. Guilhelmus Grumbachius ſtirpe magis, quàm virtute nobilis, ob varia & enormia flagitia, quibus Principes in ordinẽ redigere, Cæſarem ex imperij faſtigio deturbare, nouamq; imperij formam moliebatur, à Ferdinando Imp. Aug. tum à Maximiliano Imp. eius filio, reus declaratus & cognitus, cum omnibus verè Catilinariæ coniurationis ſocijs, condemnatur atque proſcribitur, atque Illuſtriſsimo Principi Electori Saxoniæ Auguſto, ſententiæ promulgatæ executio, ab Imperatore, ac cæteris Imperij ordinibus vno conſenſu demandatur. Quã ipſi proſcriptionem, fiducia ſui receptus, & protectoris Ioannis Friderici ſecũdi Saxoniæ Ducis, contemnuit. Qui cùm poſt multas Principum admonitiones, à pertinaci ſeditioſorum defenſione non abſtineret, Illuſtriſsimus Saxoniæ Dux Princeps Elector Auguſtus, extrema neceſsitate coactus, ne mandata Imperij detrectare videretur, vrbem pridie natalis Domini obſidione aggreditur, eamque XIII. Aprilis, Anno Domini 1567. deditione capit. Tum Grumbachius, & cum eo quatuor ex coniuratis, ob violatæ Cæſariæ Maieſtatis crimen commiſſum, XVIII. Aprilis iuſto ſupplicio afficiuntur, caſtrum diruitur, Dux Ioannes Fridericus, captiuus Viennam abducitur.

FVLDA.

FVLDA Metropolis eſt eius in Germania regionis, quam olim Bucconiã, alij Buchoniæ ſyluam ſeu ſolitudinem appellabant, quæ inter Thuingiam, Franciam, VVederaugiam, & Heſsiam ſita eſt. Inter ripas alias habet Fuldam, quæ præterlabens ciuitati nomen dedit. Cuius præcipuum decus atque ornamẽtum eſt peruetuſta illa & planè auguſta baſilica S. Saluatoris, quam longè lateq; celeberrimã memoria D. Bonifacij reddidit, & cuius auſpicio diuino Fuldana ciuitas primum & cõdita, & aucta, vaſta ante ſolitudo. Baſilica enim hæc antiquiſsimi monaſterij prior oppido cõſtructa fuit, anno nimirum ſalutis 755. Imperatore Pipino Caroli magni patre. Quo fermè tempore VVonfridus, pòſt Agathopœus ſiue Bonifacius dictus, è Britannia in Germaniam venit Apoſtolus Chriſti, qua de re magnus eſt conſenſus annalium, &c.

Ampliorem huius regionis & vrbis chorographiam Georgij
VVicelij vide in Munſtero Coſmographo.

WEIMARIA.



WEIMARIA NOBILE THV
RINGIÆ OPP. ILLVST. SAX
ONIÆ DVCVM SAEDES.

IENA *Thuringiæ vrbs, cum propter Musas, tum vineta clara et celebris.*

ERDFORDIA, *magnifica atq; celeberrima Thuringorum vrbs.*



GOTHA.



GOTHA, *perelebri muro, amnium p*
pugnaculis, formis planis, et arce, omnium
munitiss. Thuringiæ oppidum, Eius cultrum a
à Sacro Romano Imperio proscriptis, latro
fuit, funditus euersum est [illegible]

Cum priuilegio.

FVLDENSIS CIVITATIS, & *celeberrimæ abbatiæ eiusdem imago.*

MARTPVRGVM.

TERRA quæ à Mœno versus septentrionem extenditur, à prædiscessoribus nostris adscribitur Teutoniæ inferiori, complectiturque in primis Hassoniam, Thuringiam, & Missiam. Hassonia ab occasu contingit Rhenum, & ab ortu Thuringiam atque Saxoniam, versus aquilonem verò confinis est terræ Brunsuicensium, & pro parte VVestphaliæ. Huius autem regionis duo præcipua oppida sunt MARTPVRGVM ET CASSVLA. Quorum illud prouinciæ Metropolim statuunt, putantque quidam sic dictum, à Deo Marte: alij autem à Marcomiro Marcomiri vicesimisexti Regis Francorum filio, nominatum & erectum fuisse colligunt. Ptolemæo, authore Francisco Irenico, Amisia dicitur. Ciuitatem hanc olim villam fuisse historiæ produnt. Eam Lona præterfluit, insignis in comitatu VVitgenstein fluuius (*An dem Horberg* oritur) olim VVedekindi Anglorum Principis castrum præterfluens. Lasphe eiusdem Comitatus oppidum alluit, inde Beidenkap, Martpurgensem hanc vrbem, Steiffenberg, Giessen Cattorum, nunc Hessorum oppida allabens, VVetzphalar, Limpurg præterfluens, multis receptis amnibus infra Lonstein oppidum in Rhenum euoluitur. In præcelso montis culmine Principis sedes est cum Sacello, opus Lodouici Episcopi Monasterienſis, Henrici tertij Lantgrauij Thuringiæ filij. Liberalium artium studium vniuersale in hac ciuitate Martpurgensi habetur, institutum anno Christi 1526. & Anno 1535. à Philippo Principe instauratum.

CASSVLA.

CASSVLA præcipuarum Hassiæ ciuitatum altera, dicta quasi Castellum, olim enim tantùm illic arcem extitisse perhibent. Illic lilium aureum è Roma per Lantgrauium delatum videtur. Nuncupatur autem à Ptolemæo Stereontium. Hæc Franciscus Irenicus. Fulda, Ana, & Trusula fluminibus irrigua. Aquis igitur instructa ciuitas, agrum fœcundum atque compascuum habet, & arua pecoribus nutriendis idonea. Vnde in vellerum lanæque venditione, horum potissimum negotiatio consistit. Has siquidem merces, lanam præcipuè, partim ex Buonia, regione Thuringiæ vicina allatam, partim patrio in solo natam, in maximum Brabantiæ Emporium Anuerpianam vrbem exportant, & inde Londinum transmittitur, quò Anglis (qui licet ouibus abundent, tantam tamen lanæ copiam, quantam ipsi consumunt, textrinis suis suppeditare nequeunt) à nostris Germanis medium offeratur atque materia maxima lucri, & ex mercibus nostris in Germania natis, pecuniam colligendi, dum confectum ex nostra lana pannum, ante aliquot annos Anuerpiæ, nunc Hamburgi, & Francofordiæ ad Mœnum, parata pecunia comparamus.


MARTPVRGVM VRBS HASSIÆ METROPOLIS, VNIVERSITATE CLARA.
MARPVRG.
Der Keuselberg
Der Geine.
Die Pharr kirch
Das Fürstlich Schloß.
Das deutsche hauß.


CASSVLA, communiter Caßel, florentißimũ lanigeræ Haßiæ oppidum, aquis, arce, & propugnaculis fortiter instructum, Ptolemęo Stereontium dicitur.
CASSEL.
Die Stat kirch
Der alte lustgarte
Der neu lustgarte

VVITTENBERGA.

VVITTENBERGA Oppidum, temporibus noſtris domicilium Ducum Saxoniæ ſuperioris, à VVitikindo I. Saxonum Chriſtiano Principe, vt quidam putãt, VVittenberga nuncupatũ. In quo Dux Fredricus Elector, Ernesti Electoris filius, inſtituit anno Domini 1502. vniuerſale ſtudiũ ex Lipſenſi & Tubingenſi vniuerſitate. Quam academiam alter Fridericus ita ornauit, vt ex frigida, teſte Eraſmo celebris euaderet: Petrus Moſellanus, Fridericus, inquit, VVittenbergam ſuam, omnigenarum artium, maximè trium linguarũ Profeſſoribus ſic inſtituit, ſic adornauit, vt optimè conſtituti Gymnaſij exemplar hinc petere poſsis. In quo Heningus, Oldendorpius Iuriſconſulti, ſcriptis apud Germanos celebres, floruerunt. Memorabile eſt, quod de purgatione per ferrum candens in hac ciuitate accidiſſe, Albertus Krantzius in ſua VVandalia commemorat, lib. VIII. cap. XXX. Incendium ædium furtim procuratum, imponebatur in hoc oppido innocenti: ille ſanctè iurans eius ſe culpæ non eſſe affinem, purgationem afferebat vulgarem de ignito ferro, quam iuribus interdictam, aut ignorauêre, aut contempſêre, qui iudicio præerant laici. Ferrum ergo ignitum ille deportat itinere nõ paruo: tum manibus excutiens nihil læſionis præferebat. Euanuit ferrũ ex oculis mirantiũ omniũ. Annus penè totus interceſſerat, cùm alius iam ſilicibus viã ſtraturus in oppido publicã, in arena loci manũ vertit, & inuento ferro adhuc igneſcente, dexterã adurit. Mirati qui aſtiterũt, rem perferunt loci præfecto. Illi mox incidit ſuſpicio illum eſſe hominẽ criminis reum, quod innoxio imponebatur: mox iubet ad quæſtionẽ abripi, confitetur crimen, & vltimo ſupplicio, fractis rota cruribus, interimitur: ita diuino iudicio eſt proditus noxius.

FRANCFORDIA AD ODERAM.

FRANCFORDIA In Marchia Brandeburgenſi, ſitu excellit. Ab ortu etenim interlabitur Viadrus fluuius, hodie Odera dictus, piſcium copia abundans: ab occaſu verò, meridie & borea, ſunt vineta innumera, collectaque vina per Viadrum in Pomeraniam, Daniam, Boruſsiam, & vicinas partes diſtrahuntur. Diceres hîc Bacchum, Cererem, Naiades & Dryadas habitare. Deſunt tantùm metalla & aromata, alioqui multarum rerum eſt Cornucopiæ. Habet ſatis fœni & lignorum. Tradunt annales eorum, ciuitatem primùm fundatam & extructam Anno Chriſti 1253. per Gedinum ab Hertzberch, commiſsione Ioannis I. Marchionis Brandeburgenſis, atque ordinatam pro mercibus deponendis, quæ terra & fluuio illuc deferuntur. Plerique ciues de ſua negotiatione, præſertim piſcium, vini, & annonæ, quorum maxima ibi eſt copia, ſolliciti ſunt. Publicum in hac ciuitate Gymnaſium inſtitutum fuit ab Illuſtriſſimo Principe Electore Ioachimo ex Lipſenſi anno Domini 1506. Ab Alexandro VI. & Iulio II. & Maximiliano I. Imperatore varijs priuilegiis ornatum. In quo iam inde ab initio, in omni artium & diſciplinarum atque linguarum genere præſtantiſsimi doctores fuerunt, quorum aliqui à Sebaſt. Munſtero recenſentur.

VVISMARIA.

WISMARIA in Ducatu Megapolenſi clari nominis ciuitas, circa annum Chriſti CCC.XL. ædificata perhibetur, quemadmodum his verbis Albertus Krantzius in Wandalia ſua teſtatur. Guncelinus, patri cognominus, Zvverinenſem comitatum tenet poſt patrem, quem ille ab Henrico Leone promeruit, hic ergo filius, cùm Mekelnborg pro ſui magnitudine oppidum cerneret immunitũ, quod diſtenſum in longum, nullis vallis ac muris potuit firmari, vicino loco ad mare contiguum, vrbem cœpit moliri, quam Wiſmariam, incertum vnde ducto nomine, appellauit. Si Latini rem geſsiſſent, ſuſpicarer Ciſmariam vocitatam. Nunc, cùm Saxones fundamenta iecerint, in obſcuro manet, vnde ſit nomen deductum. Wiſmariam tamen nomen eſſe Wandali cum, ex alijs meminimus. Potuit ergo vir in gente nobilis ibi habitans, loco relinquere nomen, vt ex Wiſmaro Wiſmaria, quomodo ex Romulo Roma diceretur. &c. Anno ſalutis 1262. tota incendio perijt, ac tum multò, quàm antè, magnificentius extructa, lapideis ædibus condecoratur. Deplorandus in hac vrbe caſus, Medææ fabellas ſuperans, accidit. Faber erat lignarius, qui per interualla miſerabili phreneſi vexaretur: correptus aliquãdo furore, vbi ſtabat in ſolito labore ſecurim prehendit, domum repetit, liberos duos per medium ſecuit: tertium cùm ſimili furia eſſet conſumpturus, mater iam prægnans cum eiulatu miſero, virum à tergo comprehendit. Ille vlnis fœminæ excuſſus in eam vertit ictum, ſternens vno impetu duos. Ita cruentus prodit in publicum, laboris ſocios quo reliquit loco adit: Rogatus ab illis, quid ita cruentus videretur, horrore verbi cœpit reſipiſcere, & in ſe reuerſus, recordatur, quid fecerit: domum ilico repetit, ſparſos vidit paruulos, & in medio matrem, crudeliter confectos. Territus ſuo facto, cultrum proprio ſuo defixit in pectore. Quid hoc parricidio horrendius? Quid miſerabilius poteſt excogitari?

ROSTOCHIVM.

ROSTOCHIVM vrbs maritima Saxoniam attingens, λαχιβούργιον à Ptolemæo, Duci Melburgenſi ſubditur, populis ac diuitijs opulentiſsima, primum arx fuit ruſticorum caſellis ſepta, tum circa annum ſalutis M.C.LXX. communiri cœpit, & vallo cingi atque in oppidi formam conſurgere. Frequentibus ſeditionum motibus, incendio, alijsq; calamitatibus adeò deuaſtatum frequenter fuit, vt fuit ſub eo ſydere fundatum Krantzius dicat, quod vix vnam Saturni reuolutionem, ſine manifeſta purgatione tranſeat. Vniuerſitatem habet, Anno Domini 1419. Illuſtrium Principum Megapolitanorum Ioannis & Alberti, & Senatus (qui ſtipendia Profeſſoribus tribuit) & vicini populi liberalitate inſtitutam.

WITTENBVRGA
Saxoniæ oppidum, Vniuersali litterarũ studio celebre.

CIVITAS FRANCFORDIENSIS In Marchionatu Brandeburgensi, sita ad Oderam fl. optimorum studiorum Gymnasio, & Emporio mercatorum celebris.



Cum Priuilegio.

WISMARIA, natura loci populi frequentia, & ædificijs in Ducatu Megapolensi, nobile Oppidum.

ROSTOCHIVM, Megapolensis Ducatus vrbs nominis celebritate, & Academiâ præstans.





DRESA.

MISNIA regio Superiori Saxoniæ insita, inter Salam & Albim posita est, & à Mesia lacu, ad quem olim fortassè eius incolæ habitarunt, aut à Misna vrbe, nomen accepit, cui opinioni Georgius Rithaimerus in sua orbis descriptione libentius accedit. Inter alias vrbes DRESAM habet, aspectu, situque amœnissimam, quæ firmissimo murorum circuitu, foueis, propugnaculis ad hostium propellendos insultus probè munita, tum etiam publicorum ædificiorum, aliarumque priuatarum ædium singulari nitore, cum præcipuis Misniæ vrbibus decertat. Eam Albis inclytus Saxoniæ fluuius, Rheno conferendus, allabitur, cuius margines pons, stupenda, ob longitudinem, serie, ex saxo durissimo fornicatus, coniungit, habens in citeriore latere Dresam antiquam, frequenti habitatione celebrem. Quod ad loci aërisque salubritatem attinet, eam quidem exuberans soli fertilitas, gratáque cœli clementia, tantam suppeditat, vt Illustrissimi Saxoniæ Duces Principes Electores ad hanc posimùm vrbem commigrarint, multisque alijs florentissimis ditionis suæ ciuitatibus relictis, in hac perpetuam vitæ sedem, & domicilium fixerint. Qua occasione, arx, omnium sanè iudicio, qui eam viderunt, magnifica, Dresam exornat, quadrato & recto ad regulam saxo, ingenti sumptu constructa, & opportunis ad defensionem muris machinisque mirè exculta, atque conspicua. Est & hîc Armamentarium Illust. Saxoniæ Ducis, omni armorum ac machinarum genere, globorum item, ac pulueris maxima copia, instructissimum. In quo thoraces ferrei, & permulta cataphractorum corpora, cæteraque bello necessaria, singulari diligentia ac cura asseruantur. quibus benè plenus amplissimusque exercitus, contra quoscunque motus, subitò armari, ac instrui potest. Quòd si hoc loci, Scorpiones, Falcones, Mortarios, Ruptores, aliaque stupendæ magnitudinis, ac ponderis tormenta muralia, eorumque nitorem ac formas, enodatè recensere voluero, vereor, ne veritatis me limites egressum ij existiment qui tantum, tamque magnificum rerum bellicarum apparatum nunquam viderunt. Illud interim constanter affirmo, non vllum, in vniuersa Germania, armamentarium reperiri, quod huic Dresensi non deferat palmam. Territorium huic vrbi vicinum, ob lætam agrorum fertilitatem, quocunque oculos verteris, amœnissimi horti, arboribus herbisque generosis culti, exornant, in quibus parietes reticulati, variorum fructuum vbertate, magna cum voluptate spectantium, latissimas consitasque areas cingunt.

LIPSIA.

LIPSENSIS ciuitas, asserente Munstero, in Ositia, vulgo Ostland, aut, vt alij volunt, in Misnia posita (est enim hoc posterius vocabulum laxius priori, & vtraque terra vni paret domino) non est vrbs admodum ampla, sed tamen talis, quæ sua angustia etiam amplas Germaniæ, maximè Principum exuperat ciuitates. Abundant ibi mercatores, qui varia & continua exercent commercia, idq; ter per annum in ipsa ciuitate, sicut quidem de nundinis eius loci, hunc in modum scripsit: Mercibus augetur ter Lipsia magna quotannis. Est ornata magnificis ædibus, quæ in vniuersum lapideæ sunt, intus tabulatæ, & foris miro artificio ac maiestate depictæ, atque ob æqualitatem structurarum & pulchrum ordinem, miram inter se habentes concordiæ rationem. Habet Senatum, qui non ex opificum indocta turba, sed ex doctis collectus est viris, è quorum autoritate & iudicio, Misnensium, Duringorum, & Inferioris Saxoniæ ius pendet: Nam mittunt hi ad eos dubias quasque extricandas causas. Passum est hoc oppidum anno Christi M.D.XLVII. grauem iacturam, quando sexta die Ianuarij cœptum fuit oppugnari per Ioannem Ducem Saxoniæ, Principem Electorem. Tunc enim exusta fuerunt suburbia, bombardarum ictibus deiecta mœnia, turres concussæ, domorum tecta dissoluta, castrum ciuitatis multum deformatum, obsidio in magno frigore continuata ad viginti dies, & tunc hostis re infecta coactus fuit discedere. Vniuersitate, quæ ex Pragensi anno Salutis M. CCCC. VIII. initium sumpsit, Lipsia claret. Quia enim Germani, nouam Hussitarum doctrinam, quæ Pragæ in Bohemia oriebatur, repudiabant, vno die supra duo milia discipulorum magistros secuti, apud Lipsiam Misniæ vrbem, trium dierum itinere à Praga distantem, vniuersale studium erexère. Cuius initium atque progressum Aeneas Syluius, pòst Pius eius nominis Secundus, prolixius tractat cap. 35. lib. historiæ Bohemicæ. Hanc vniuersitatem Erasmus in Epistola ad Georgium Saxoniæ Ducem, inquit eius auspicijs, ac munificentia solennibus studijs & politioris litteraturæ ac linguarum accessione florere. Eam Petrus Mosellanus Græcarum litterarum professione illustrauit.

Scribit Aeneas Syluius: Cùm Leonardus quidam eques & nobilis, cognatum suum, qui Lipsiæ bonis litteris operam dabat, salutaturus aduenisset, quæsisset q; vti valeret, & quem in bonis litteris progressum feciisset, vnus è commilitonibus respondit: Optimè quidem se amicus tuus gerit, quia inter mille & quingentos, hic vnus bibendi palmam obtinet.

DRESDEN.

DRESA FLORENTISSIMVM MISNIÆ OPP. ILLVST. SAXONIAE DVCVM SEDES.



Cum Priuilegio.

LEIPSIA

LIPSIA LITTERARVM STVDIIS ET MERCATVRA CELEBRE MISNÆ OPPIDVM.

BZIGK



PRAGA.

PRAGA, Regni Bohemiæ metropolis, vrbs ampliſsima, Præſulum, Principum, & Regum inclyta ſædes, Imperatoris Caroli Quarti patria, ad ripam Muldauiæ fluminis, in amœniſsima & patentiſsima valle, inter colles & vineta, cælo ſaluberrimo ſita, in tres diuiſa eſt partes, ſeu ciuitates, nempe, Pragam veterem, Nouam, & Paruam, quæ ſingulæ ſuam peculiarem habent iuriſdictionem, ſuumque proprium Senatum. Praga vetus dextrum latus Muldauiæ occupat: in ipſa vallis planicie, vniuerſa magnificis adornata operibus, inter quæ celebriora habentur, Prætorium, ſeu Senatoria domus, cum turri: Læta curia, cum templo Deiparæ virginis: Academia Imperatoris Caroli Quarti, cum alijs nonnullis Collegijs: Emporium Pannicidarum & pellionum: Curia vetus, vulgò, Rychta: Duæ domus, quondam regiæ, in quarum vna iam cuditur moneta: Xenodochium apud pontem. Taceo multa templa, ſuos habentia parochos: Scholas, quæ in huius libri typo, ſuis inſignita nominibus, ſe ſe lectori diligenti, ob oculos ſtatuunt. In turri Prætoriana, eſt inſigne horologium, cui par vix in toto orbe terrarum reperiri, multi, & quidem præſtantes artifices putant, quantum ad artis excellentiam attinet: nam, ſi externa ſpectetur forma, elegantiora multa alia inueniri non negant. Continet autem hoc horologium reuolutionem totius anni, cum recto curſu Solis & Lunæ, numeroq; certo menſium atque dierum, & aſsignatione calendarij, ſeu feſtorum integri anni, habens item ortum & occaſum, meridiemq;, altitudinem ſolis, & Lunæ, ſolſtitia, æquationes, quadrates dierum ac noctium, incenſiones, oppoſitiones, & quadras lunæ, cum cæleſti curſu congruentes, iuxta motum non ſolum naturalem, ſed violentum quoq;, ſimiliter ortum, atq; occaſum 12. ſignorum Zodiaci, numerum item horarum triplicium, videlicet, integri, & dimidij horologij, atque horarum inæqualium, ſeu planetariarum omni tempore concordantium, quas horas oſtendit, vna & eadem manus, ſeu index, qui mobilis exiſtens, cum ipſo ſole, de vno ſigno Zodiaci in aliud, per vnum gradum ſingulis totius anni diebus, tranſit. Infra ſphæram horologij, ſorinſecus eſt alia grandis ſphæra, cui inſcriptum eſt diarium, ſeu calendarium, vbi angelus à latere collocatus, quotidie præſentem diem, virgula longa demonſtrat. Parte ea, quæ magis vergit ad flumen inflexum, verſus Septentrionem, Iudæi ſuas fixerunt ædes, quæ magnitudine iuſtum oppidum æquare poſſunt. Nouam Pragam à veteri, diſtinguit foſſa quædam, olim quidem profunda, & vtrinq; munita muro, ſed, quæ iam labefactatis mœnibus, magna ex parte complanata, in areas, & hortos ceſsit. Hæc quoq; ciuitas, ampla eſt, & vltra aliquot nobiles colles protenditur, quorum vnũ S. Caroli, Alterum S. Catharinæ, illum Monachorum, hunc monialium ſædem, tertium S. Appollinaris, quartum Monaſterium Slauorum: quintum Viſſehradum appellant, in quo ruinæ veteris Arcis hodie conſpiciuntur. Habet quoq; inſignem Curiam, & ſacras ædes multas, vt in hac vrbis effigie, huic libro inſerta, conſpici poteſt. Parua Praga, ſiniſtrum Muldauiæ latus, tenet. Eſt autem à veteri Praga, in minorem, pons ampliſsimis, ſupra Muldauiam quadrato ſaxo conſtructus, in ſedecim magnos arcus, ſeu fornices porrectus, habens in aditu, & in exitu duas inſignes turres peruias, quo ponte, in tota Europa vix eſt celebrior alter, ſi robur ſpectes. Longitudo huius eſt 872. cubitorum Pragenſium, latitudo, quantum quatuor currus, iuxta ſe collocati, occupare poſſunt. Minori Pragæ ab vna parte coniungitur oppidulum Augezd: ab altera parte collis, in quo, præter oppidum Hradezan, ſita eſt arx, S. Venceſlai, hodie Regum domicilium, pallatio magnificẽtiſsimo, & templo B. Viti auguſtiſsimo, maximè conſpicua. Pallatium eſt ampliſsimum, in longitudine 212. in latitudine 30. pedes continens: Supernè miro artificio eſt cameratum, nulla interim columnari baſi, ſeu fulcro ſuſtentatum. Infernè pauimentum tam firmum habet, vt aliquot centuriæ equitum in eo conſiſtere, & haſtis concurrere poſsint, quale certamen, ſeu torneamen, eo in loco exercebatur anno 1549. præſente Mauritio, Saxoniæ Electore. E ſublimi, pendent quatuor candelabra, ex Aurichalco fabrefacta, magnitudine & opere illuſtria, Senatus Nurimburgenſis ad Cæſarem Ferdinandum honorarium munus. In templi adyto, hæc habetur inſcriptio. Anno Ieſu Chriſt. ſalu. 923. Sanctus Venceſlaus martyr, & Dux patriæ, poſt martyrium auiæ ſuæ, Ludmillæ, primum hic Beato Vito Martyri templum ædificauit: quod S. VVolffgangus, Epiſcopus Ratiſponenſis, conſecrauit, & anno 968. Boleſlaus Pius, Epiſcopi ſedem fecit, cuius ſecundus Epiſcopus S. Adelbertus Anno 996. apud Prutenos martyrio coronatus, & ex Gneſna ciuitate huc trãſlatus, peculiare ſacellum adeptus eſt. Atqui Spitigneus II. Dux, Anno 1060. poſt S. Procopij obitum, annis ſeptem, è templo S. Viti, ac item S. Adalberti vnum, idq; auguſtum, conſtruxit, ſed cum hæc omnia, Anno 1142. hoſtili arcis direptione corruiſſent, Rex Ioannes primus, anno 1344. chori huius fundamenta iecit, atque in Metropolitanam Eccleſiam erexit. Filius autem Carolus 4. Rom. Imperator, etiam S. Sigiſmundi Regis & martyris, multorumq; ſanctorum reliquijs, anno 1366. ditauit, & muneribus auxit. Quibus Rex Venceſlaus, eiuſdem Caroli filius, Anno 1392. poſteriorem templi huius partem adiecit, deinde caſu publico, Anno 1541. exuſta, Ferdinãdus I. Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Anno 1555. eadem hæc & inſtaurauit, & ornauit: Hactenus inſcriptio. In hoc templo videre eſt buſta regia, in quibus iacent, Imperator Carolus 4. eiuſque coniuges, Blanca, Anna vna, & altera, Eliſabet, & filius Venceslaus, Romanorum, ac Bohemiæ Rex, nec non Ladiſlaus, & Georgius, Bohemiæ Reges: deniq; Regina Anna, inuictiſsimi Cæſaris Ferdinandi coniunx. Et hæc conditoria ſunt contigua. In alijs autem ſacellis, & diuerſis locis, eiuſdem templi, extant varia monumenta Epiſcoporum, Principum, & Regum, & in his quoq; Ottagari Regis, qui cum Imperatore Rodolpho prælio decertans, victus, & trucidatus eſt. Animoſus ſanè Rex, qui maluit cadere, quàm cedere illi, quem antea habuit miniſtrum aulæ ſuæ præfectum. Adde tumulum Barbaræ, coniugis Sigiſmundi Cæſaris, iuxta quem viſitur ſacellum, memoratu dignum, ab Imperatore Carolo, 4. munitiſsimè extructum, lapidibus viridibus, & puniceis, inſtar gemmarum, relucentibus, & auro intertexto, ornatiſsimè variegatum, in quo ſacello corpus S. Venceſlai, Bohemiæ Ducis, & martyris tumulatum, quieſcit. Et tanta priſcorum regum in hunc Diuum tutelarem fuit obſeruantia, & religio, vt corona Regni, non alio loco, quàm in ſepulchro, & ſuper capite huius ſancti Martyris repoſita ſeruaretur. Atq; hæc conſuetudo, ab aliquot ſæculorũ ſerie, perſtitit immota, vſq; ad turbulentiſsima Ziſcæ tempora, vbi cum propter ciuiles factiones, tumultus tumultu cumularetur, corona in arcẽ Karlſtein, vtpote in tutiorẽ cuſtodiam, trãſlata eſt.

EGRA.

EGRA, inter alias Bohemiæ vrbes, neutiquam infima, ad initium ſyluæ in veteri Nariſcorum patria maximè fertili, & longè amœniſsimo agro ſita eſt, quondam Imperij ciuitatibus annumerabatur, deinde Imperij deſeruit ordinem, & Bohemiæ Regi obtemperat, non aliam ob cauſam, quàm quòd hypotheca eſt regno Bohemico facta. Sita eſt in amœniſsima valle, ad collem, cuius decliui maior ciuitatis pars ſuperædificata incumbit. Eſt duplici muro fortiſsimo circumquaq;, aliquibus etiam locis, præſertim à flumine non ambitis, triplici: ampliſsima item, ac muro concluſa foſſa, turribus verò plurimis, magnificè cincta & communita. Fluuium eiuſdẽ nominis, ex monte Piniſero ortum, habet ampliſsimum, ac nauigabilem ad meridiem ferè, verſus quam plagam arx etiam vrbis condita eſt, quæ ſuas quoq; ſingulares munitiones, muros, foſſas, ac turres habet. Eſt in vrbe magnificum templum S. Nicolai, cum duabus altis, ac orienti Soli obuerſis turribus, ſunt & alia pari elegantiã templa & monaſteria. Integrum & magnum Senatum conſtituunt veteri Rom. more viri centum, ex quibus XIX. de antiquiſsimis ſunt vrbis familijs, patricio ſanguine nati: Ex quibus ſolent eligi IIII. Conſules. XIII. alij vocantur iudices & Scabini: & hi ius dicunt, non ex ſcriptis legibus, ſed ex receptis ac longo vſu cõprobatis Reipub. Egranæ conſuetudinibus. Reliquos LXVIII. Senatores, plebeios vocant. Ab huius Senatus conſtitutionibus nemini liberum eſt, ad ſuperiorem magiſtratum prouocare. Habet quoq; frumentarias ædes, omni frumentorũ genere refertiſsimas: Armamentarium item, bellicorum inſtrumentorum apparatu, inſtructiſsimum, molendinas, Xenodochia, balnea publica, portas maiores tres & totidem paruas, quæ conſulibus tantùm publicorum negotiorum cauſa, nocturno tempore patent: habet ſuburbia lata, iuxta portam acidi ſaporis fontem, Arces XII. pagos inſignes plurimos, ac aliud oppidum Revvitzium, tribus lapidibus ab vrbe ad Coſſenium montem ac fluuiolum ſitum, & propriam denique monetam, quæ in Egrana tantùm ditione valet. Hæc Gaſparus Bruſchius.

PRAGA, BOHEMIAE METROPOLIS ACCVRATISSIME EXPRESSA.

P R A G A.

E G R A.

EGRA urbs à fluuio, cui adiacet, dicta, olim imperio Romano, hodie verò Bohemiæ regno subiecta: Ptolemæo Nisogada vocatur.

Cum Priuilegio

PARTHENOPOLIS MAGDEBVRGVM.

MAGDEBVRGVM, olim Parthenopolis, à Venere Parthenia, quæ ibi colebatur, ſic dicta, Metropolis ac primaria eſt vrbs Saxoniæ, ſita ad Albim Huuium. Venetis ſimulachrum in curru ſtantis, cum tribus Gratijs hîc colebatur, vnde nomen natum eſt loco, vt Parthenopolis, id eſt, puellarum vrbs, diceretur, quod & Magdeborg, vox Germanica, ſonat. A Ioanne Capnione viro vndecunque doctiſsimo, Dmoadum Pyrgum dictum: dicitur autem à Græca dictione, Dmoades enim puellas ancillares Græci ferunt, quas per Aphæreſim, ſeu Endiam, prima litera ſublata, Maid dicimus, & πύργον pyrgum Burgum, vt πύξος buxus. Hæc ille. Aeneas Syluius Magdenburgenſem vocat, & Virginopolim metropoliticam inſignem vrbem inter Saxones, opibus & authoritate memorabilem ſcribit. Liguriuus Virginis vrbem dixit, ἀπὸ τῆς παρθενικῆς, ἢ παρθένε, id eſt, à virgine, ἢ ἀπὸ τῶ παρθενῶνος virginum habitatione, ἢ τῆς πόλιος ciuitate. Ptolemæus μοεμίον, ſi litera non eſt falſa, libro ſecundo, hanc vrbem Moeuium dixit. Hanc ciuitatem Otto primus condidit, ductu eius coniugis Edithæ reginæ, regis Echtmundi Anglorum filiæ, quæ ibi & ſepulta eſt, inquit Lupoldus cap. XIII. Otto Magdeburgum auxit, & ibi requieſcit, vt ſcribit Otto Friſingenſis lib. 6. cap. 20. Hactenus Franciſcus Irenicus. Hæc inclyta vrbs, Imperatorum Pontificumque honeſta ſedes, tres in partes diuiditur, eſtque munita mœnibus, ac propugnaculis, turribus quoque ac foſsis excellit. Sunt in ea magnificæ domus, perpolitæ plateæ, ampla & ornatiſsima templa. Imprimis verò nobile illud D. Mauritij fanum, ex quadrato lapide ſtructuræ magnificentia conſpicuum, Ottonum Cæſarum inſigne opus. Magiſtratus ius ciuile Romanorum, Saxonica lingua conſcriptum, non ſine reuerentia cuſtodit, quod Caroli magni auctoritate firmatum tradunt, eoq; in deciſione cauſarum vicinæ gentes recurrunt, magna & venerabilis earum legum auctoritas habetur. Eſt in hac ciuitate ſummo ingenio elaborata Rolandi imago, qui Caroli ex ſorore nepos fuit, præſtans fortitudine vir, & poſt ingentem hoſtium cædem in prælio, cùm de Hiſpania victa exercitum in Galliam reduceret, à Vaſconibus interijſſe dicitur. Hic eſt Rolandus, qui (vti fama eſt) tempeſtate ſua corporis robore & animi magnitudine longè alijs præſtitit, cuius fortia facta per vniuerſum orbem celebrantur. Carolus Magnus celebrem hîc Epiſcopatum inſtituit. Confecto enim Longobardorum bello, potentiſsimo Rege capto, nullam moram interponendam putauit, quin in Galliam confeſtim rediret. Saxonicum quippe intermiſſum bellum eum domum reuocabat. Saxonum gens longè maxima erat, ac etiam bellicoſiſsimâ penè Germanorum omnium. Hi falſos colentes Deos, cùm neq; diuini, neq; humani iuris quicquam penſi haberent, nihil æquè ac religionem Chriſtianam, hominesq; ei deditos, oderunt. Proximi erant Francis, cum quibus continenter bella gerebant. Hæc palma, cùm quaſi diuino munere, Carolo Magno reſeruata videretur, ſic renouatum eſt cum Saxonibus bellum, quo nec maius vllum, nec grauius diuturniusque à Carolo geſtum fertur. Tres enim & triginta annos cum ferociſsimis gentibus certatum conſtat. Tandem penitus Saxones victi, ſe, ſuaq; omnia poteſtati Caroli permiſere. Victis, impoſitæ leges, vt patrijs cæremonijs, falſisq; dijs poſthabitis, Chriſtianam fidem profiterentur, magnum numerum obſidum darent, modicis terminis ſepti. Et ita tota reformata Saxonia, decem Epiſcopatus in ea inſtituit, quorum omnium celeberrimus fuit Magdeburgenſis, cuius ſedes ex primitiua fundatione in Styde fuit, tum ad Valersleue, tertiò in Vreſe tranſlata. Tandem per Ottonem primum, Anno ſalutis triceſimo ſupra nongenteſimum ad Magdeburgum mutata, eiusque auſpicio in primatum Germaniæ ſublimata. (Hæc ex magno Chronicorum codice anonymo) Quanquam tamen Saltzburgenſis, cæteriſque Archiepiſcopi Electores, primam hanc dignitatem Antiſtiti Magdeburgenſi non tribuant, vt Krantzius in Metropoli tradit. Fuit primùm in Magdenburch munitiſsimum arcis receptaculum, circumpoſitis caſalibus piſcatorum, in morem vici, aut oppidi non clauſi. Arci præerat nobilitas Burggrauiorum, qui origine Saxones, an VVandali fuerint, incompertum eſt.

Hoc conſtat, poſt Ottonem, iuſſu Imperatorum, erectum ibi Burggrauiatum, numeratumque inter quatuor Burggrauiatus Imperij.

MAGDEBVRGVM.

MAGDEBVRGVM,
A VENERE QVÆ
HIC QVONDAM COLE:
BATVR PARTHENO
POLIS DICTA, *metropo*
litica Saxoniæ vrbs, opibus &
authoritate memorabilis, perau:
guſto murorum ambitu, & Al:
bis fluuij vicinitate,
illuſtris &c.

Cum Priuilegio

NVRNBERGA.

NVRNBERGA, vrbs tota Germania & Europa celeberrima, Emporium Germaniæ ampliſsimum, magnificisque operibus publicis & priuatis ornata. Arcem habet Regiam in colle vrbi imminenti ſitam vetuſtiſsimam, ex qua in vrbem & extra patet proſpectus, à qua ciuitati nomen inditum putatur. Vetuſti codices eam arcem Caſtrum Noricum appellant, quod vrbs hucvſque pro cuſtodia habuit. Pius. II. in Europæ deſcriptione, dubium eſſe inquit, Norimberga Franconiæ an Baioariæ cedat. Interluit vrbem amnis Pegnicius, cum multis pontibus lapideis duas vrbis partes coniungentibus. Eſt autem in agro ſterili & arenoſo condita, atq; ob eam rem induſtrioſo gaudet populo. Omnes enim plebei homines ſunt opifices ingenioſiſsimi, aut plerunque negotiatores prudentiſsimi, repertores & magiſtri ſubtilium operum, quæ hominibus non parum conducunt. Et licet hæc ciuitas non ſit peruetuſta, cùm nulla in ea antiquitatis inueniantur veſtigia, nec à veteribus mentio de ea fiat, tamen caſtrum eius eſt antiquum. Hæc Munſterus. Vide etiam Chronica Argentoratenſia, Celtem Poëtam, qui Nurnbergam eleganter deſcripſit, & Aeneæ Syluij Europam.

VLMA.

VLMA inſignis Sueuiæ ciuitas, ad vlteriorem Danubij ripam ſita, vbi Hylerus & Blauus amnes Danubio miſcétur, redditurque inde idem Danubius nauigabilis. Putatur autem ab vlmis ſeu vlmetis hoc nomen adepta, quòd ſcilicet conſtructa ſit in terra vligine plena, & apta vlmetis. Olim Abbati Augiæ maioris parebat, ad quem Caroli Magni donatione peruenerat Anno ſalutis D.CCC.XIII. Sed ab iſta iuriſdictione circa tempora Friderici tertij, libertatis amore, Vlmenſes ſeſe exemerunt. Magnificum eſt in hac vrbe templum, tanto ſumptu ædificatum, vt eius impenſæ nonies centena millia aureorum ſuperaſſe dicantur. Incolæ partim ex mercatura, partim ex opificijs viuunt. Panni genus faciunt, cuius tela linea eſt, intextum bombycinum, ſeu goſſapinum, Barchat illud vocantes: faciunt & totum lineum, quod Golſch appellant. Compertum eſt apud Vlmenſes, vtriuſque generis pannos parari quotannis centum millia, qui ad remotiſsimas nationes tranſuehuntur, & maximè bis in anno ad Emporium Francfordenſe. Hæc ex Munſtero delibauimus.

SALTZBVRGVM.

IVVAVIA Saltzburch dicitur à iuuando. Nam Germanos Iulius Cæſar aggreſſurus, in faucibus montium arcem munitiſsimam extrui curauit, vt milites ex ea refugium, & ſatellites iuuamen haberent: & inde Caſtrum iuuauenſe, Germanicè Helffenberch, appellatum eſt. Fluuius quoque cui adiacet, Iuuarius dictus, arci nomen dediſſe à quibuſdam putatur, à quo & ciuitas Iuuauia dicta eſt. Ptolemæo ex ſententia Auentini Poedicum appellatur. Habet paludes, planiciem, colles, & montes. Paludes præbent paſcua, montes aucupia, & venationes. Eam Attila Hunnorũ Rex deſtruxit, & à Roberto Saltzburgenſi Epiſcopo reſtaurata eſt, Anno Domini D.LXXX. Franciſcus Irenicus ex quinque Epiſcopatibus Bauariæ, Saltzburgenſem primum vocat, eiusq; vrbem Cathedralem: quam Aeneas Syluius Metropoliticam vrbem opibus & auctoritate memorabilem dicit. Vide Munſterum, Irenicum, & Annales Argentoratenſium.

LINDOIA.

LINDAVIVM, ſeu Lindoia, oppidum Imperiale, ſitum in inſula Acromi lacus, aquis vndique & fluctibus circumdatum, nulla ſui parte continentem tangit, niſi vbi lapideo ponte, qui ducentos nonaginta paſſus in longitudine habet, terræ annectitur. Locus eſt admodùm amœnus & ſalubris, ventis omnibus peruius, aquam fontanam & viuam, agrum circumcirca fertilem, necnon omnia quæ ad victum pertinent facile comparatu habẽs, adhæc ædificijs ſatis ſplendidis ornatus, nulli non negotiatorum generi opportunus exiſtens, natura firmus, aduerſus inopinatas hoſtium incurſiones tutus: in cuius Occidentaliori lateri haud minor ambitus, adhuc magna vinearum copia colitur: & ſpatium illud mœnijs & foſſa, duabuſq; tum portis tum ſublicijs pontibus à præfato oppido diſcretum, Inſulæ nomen ex antiquo, etiam apud vulgus, obtinet, in quo hodie piſcatores ſolum, nauiumq; architectones cum paucis aliquot textoribus habitant. &c.
Achilles Gaſſarus Medicus fusè hoc oppidum apud Munſterum deſcribit.

NVRNBERGA florentißmum Germaniæ Emporium, Rempub. optima politia illustrẽ, & in Burgonatior. S. Impeij ordine, alter. dignitatis locũ habet.





TYGVRVM.

TYGVRVM proximis aliquot seculis Thuregum dictum, vulgò Zurch, Heluetiæ vetustissima est vrbs, sita in amœno loco ad exitum lacus magni, qui hic desinit, excluditque amnem Lindmagum vulgo Limmat dictum, quem haud procul à Glarona recipit, & diuidit vrbem in duas ciuitates, maiorem & minorem, quæ tamen tribus coniunguntur amœnis pontibus, in quibus frequentes ciuium fiunt deambulationes. Solum per circuitum ciuitatis est valde fœcundum feraxque vini, & frumẽti plurimi. Frumentarium habet forum amplissimum, in quo ingens frumẽti copia hebdomadatim diuenditur. Incredibilem piscium copiam Lacus Tygurinus huic vrbi suppeditat.

VRSINA.

VRSINA ciuitas, vulgo Berna Heluetiæ, si annos numeres non admodum vetus est, si situm & cultum, si mores & ciuilitatem, si leges & instituta, si potentiam ac virtutem cognoscas, nulli vrbium cedit. Eam Bartholdus dux Zeringensis construxit, & ab vrso in venatione capto denominauit. Huius ciuitatis situs est in peninsula, quã facit Arola amnis nauigabilis, solum habet omniũ rerum, præterquam vini, ferax. Tres item plateas ab Oriente in Occidentem decenti ordine perpetuas. & quia hæc vrbs ab vrso nomen accepit, solet perpetuo aliquot vrsos nutrire.

LVCERNA.

LVCERNA ratione monasterij in formam oppidi paulatim excreuit, nomenque quorundam opinione obtinuit à magna turri in exitu lacus, ex qua olim nocturni ignes nauigantibus præluxerunt. Ciuitas est satis amœna & elegans, cõmune emporium Suetensium Vranorum & Transiluanorum. In ipsa Lucerna Vrsula fluuius manat ex lacu, haud secus, quàm Constantiæ Rhenus ex lacu Podamico.

VRSELLA.

VRSELLA quartum in syluanorum fœdere obtinet locum, situ & natura loci oppidum munitissimũ. Habet enim à meridie Gothardi montem, ab ortu Crispaltum, ab occasu frigidissimum illum, & ascensu difficilem, Furcam, hoc est, montem bicornum, à septentrione lacum Lucerinum respicit. Celebri Heluetiæ fluuio Vrsa, vulgo Russ, alluitur.

SVICIA.

SVITIA oppidum vniuersæ Heluetiæ nomen communicat, nam ab ijs primum ædificatum est, qui nouis quærendis sedibus ex Sueciæ regno, huc profugerant. Ex tribus pagis est vnus, qui contra nobilium insolentiam fœdere coniuncti fuerunt, robustos belloque potentes homines edit, qui frequenter hostibus incusserunt terrorem. Ex ijs rebus quæ terra compascua ex se fundit, fere omnes vitam sustentant.

SYLVANIA.

SYLVANIA liberæ conditionis pagus, mutuo societatis fœdere Suiciæ & Vraniæ iunctus, Anno salutis M.CCC.XV. Naturali Alpium vallo circumseptus, pascua habet amœna, pecoribus alendis perquam idonea, vnde magnas opes Syluaniæ incolæ percipiunt. F. Nicolaus summæ pietatis eremi cultor hic vixit, cuius vitã Ioannes Stumpfius, Henricus VVœlfe, & alij descripserũt.

TVGIVM.

TVGIVM vulgo ZVG ciuitas eiusdemque nominis regio versus septentrionẽ, Suitiam vicinitate attingens. Lacui adiacet cui à ciuitate nomen Lacus Tuginus, qui ad Meridiem versus Artense oppidum extenditur, vnde Miconio lacus Artensis dicitur, bellicosos producit, quos Glareanus ob singularem animi constantiam Camillos nominat. Agrum compascuum, vini, frumentique feracem habet, Eius cultores Tugini, Strabone vero lib. 7. Toygeni dicuntur, qui cum Tygurinis & Cimbris inito fœdere Romanis se opposuere. Plutarchus in vita Marij, & Eutropius lib. 5.

GLARONA.

VAllis ista atque regio Latinè GLARONA vulgo Glaris dicitur. Eius regionis caput Glarona altissimis cingitur montibus, Vranorum montana, ab occasu autem Suicerorum montes attingit. A Septentrione olim clausa fuit muro extenso per transuersum vallis à monte ad montem. Confœderauit se reliquis Heluetijs anno Christi M.CC.LII. Viuunt incolæ lacte, caseo, butyro & carnibus, pisces lacus, aues & carnes ferinas, syluarũ montes subministrant. Natus hic est Henricus Glareanus Laureatus Poëta & Mathematicus insignis.

BASILEA.

BASILEA vrbs inclyta, ex Augustæ cineribus instar Phœnicis orta, vtramque Rheni complectens ripam, maiore Basilea in littore Gallico, minore vero in Germanico sita. Maior vallem occupat à Meridie versus Septentrionẽ inter duos colles ad Rhenum desinentes extensam, fluuiolóque Byrseca irrigatam, minor vero fundum habet planum, liberrimo recreatur Basilea aëre, solum fœcundum, scaturigines multorum fontium, concursus multorũ amnium Rheni, Byrsæ & VViese. Pio II. institutore celebrem habet vniuersitatem. Accuratè hanc vrbem descripsit Ioannes Stumpfius.

FRIBVRGVM.

FRIBVRGENSIS ciuitas apud Nuitones sita, vulgo Nuchtland, qui terræ tractus hodie Vchtland appellatur, à Bertholdo principe Seringense ædificata mirabilem situm obtinet, partim enim imposita est monti præcipitibus petris suffulto, partim iacet in valle accliuis montibus clausa, circumfluitque montem in imo per desidentem ciuitatem amnis quidam mediocris magnitudinis. Prætorium situm est in præcipite rupe, vbi olim arx fuit à qua temporum successu creuit ciuitas ipsa supra & infra. Oppositi montes sustentant mœnia, tametsi in orientali monte nullæ fere domus præter munitiones existant. Quocunque pergis in ciuitate, est tibi vel ascendendum vel descendendum. Profert terra omnia necessaria præter vinum.

SOLVTVRVM.

CIuitas Soluthurensis vna ex præclaris & vetustissimis Heluetiæ ciuitatibus ad Arolam fluuium auriferum sita, quã paulò post Treuerim constructam existimant. Antonino in Itinerario Soluthurum vocatur, qui vero eam scribunt Soluturum, putant eam sic dictam ab antiqua turri, quæ adhuc in medio ciuitatis videtur, vt sit idem quod solis turris, sita est in agro plano & satis culto, nisi quod ægrè fert vites. Reliqua omnia abunde fert tellus.

SCHAPHVSIA.

SCHAPHVSIA, vulgo Schafhusen, Miconio Probatopolis, Platinæ Schaphusa, Glareano & alijs, Arietis vrbs dicitur. Quod Stumpfius omnino improbans Schaphusam à Schafa denominari asserit, hic enim nauium statio erat, quod nullæ omnino vltra Schaphusam, ob atrocem spumantemq; cataractam septuaginta quinq; pedes altam descendere poterant. Oppidum est ad dextrũ Rheni latus elegantissimũ, tertio Rheni ponte Heluetiorũ terræ coniungitur, rebus omnibus necessarijs, & limpidissimis abundat fontibus. Amplissimũ Benedictinorum cœnobium, Anno Domini M.LII. fundatum, huius oppidi magnificentiæ occasionem dedisse dicitur.

APPENZELLA.

APPENZELLA, quasi Abbatum cella, habuerunt enim hic Benedictinæ societatis Abbates arcem, Clanx nominatam, tutissimum quouis tempore refugium, quorum auctoritas paulatim adaucta, non huic tantùm pago, sed vniuerso territorio appellationem dedit, quod Marti atque Bellonæ consecratos homines producit, eamque ob causam ad Helueticum fœdus, Anno salutis M.D.XIII. admissi, Decimumtertium in ordine locum obtinent.

DECEM ET TRIA LOCA CONFOEDERATORVM HELVETIAE.

SVICIA Schwytz.

Ad foederis societatem recipitur, Anno Salutis, M. CCC. XV.

SYLVANIA Underwalden

M. CCC. XV.

TVGIVM Zug

M. CC[illegible]II.

GLARONA Glaris.

M. CCC. LII.

BASILEA Basell.

M. D. I.

TYGVRVM M. CCC. LI. Zurich.

CIVITAS VRSINA M. CCC. LIII. Bern.

LVCERNA M. CCC. XXXII. Lucern.

VRSELLA. M. CCC. XV. Vri.

FRIBVRGVM. M. CCCC. LXXXI. Fryburg.

CIVITAS SOLOTVRENSIS. M. CCCC. LXXXI. Solothurn

SCHAPHVSIA M. D. I. Schaffhusen.

APPENCELLA. M. D. XIII. Appenzell.

Cum Privilegio.

ARGENTINA.

ARGENTINA, ciuitas vetuſtiſsima, ac permagnifica, Argentuaria dicta, apud Heluetios prope Rhenum ſita. Cùm Treueris Metropolis Belgæ pouinciæ, temporibus Abrahę conſtrui cœpta ſit, inde potentatu aucta, hæc vrbs primò ſub dominio Treuirenſium fuit, quam poſtmodum Iulius Cæſar, cùm vniuerſam Prouinciam Heluetiorum, & Heduorum, traiecto Rheno fluuio ſubiecit. Cui Conſulem, & Quæſtorem dedit, qui in ea vrbe Cameram Romanorum pro tributis ſoluendis perfecerunt, inde nomen Argentinæ aſſumpſit, qui vſque ad Imperij inclinationem ibidem perſtiterunt. (Quod tamen pleriſq; minùs verum videtur, vti Munſterus aſſerit) Attila poſtea egreſſus de Sicambria, primò Illiricos inuaſiſſe dicitur, deinde omni penè Germania peruagata, ac cunctis ciuitatibus & caſtris, quæ occurrebant, ſubuerſis: intrauit tandem in regnum Conſtantiæ, cui Sigiſmundus Rex, eiuſdem terræ Princeps, circa Baſileam, cum exercitu magno occurrit, quem Attila, cum omni expeditione contrito & fugato ſuo dominio, ſubiugauit. A loco illo egreſſus Attila, iuxta Rhenum Argentinam ciuitatem munitiſsimam, quam nullus Romanorum Cæſar penitus expugnare potuit, obſedit, expugnauitque, diruendo eius murum diuerſis in locis, vt cunctis aduenientibus ſine difficultate via libera, & patens introitus præberetur, edicens firmiſsimè, ne ipſius murus Rege ipſo viuente repararetur, vt eadem ciuitas, non Argentina, ſed propter viarum multitudnem, quas in muro eius fecerat, Strasburch vocaretur. Hactenus Argentinenſium Chronica. Incorporata eſt hæc vrbs, inquit Munſterus, Imperio, numeraturque hodie prima inter liberas ciuitates. Abundat autem omnibus bonis, excellitque in opibus cunctas Rheni ciuitates. Habet miram vini & frumenti copiam, vtpote quæ ſitum habet in optimo fundo. Inueniuntur in ea vrbe aliquot centeni hortulani, qui annuatim magnum faciunt quæſtum ex rapis, cepis, raphanis, napis, caulibus, papauere, alijsque hortalicijs, quæ fœliciſsimè ibi proueniunt, atque in tanta creſcunt vbertate, vt nullus ei in Germania comparandus ſit locus. Habet vrbs ipſa præter Rhenum, & alios multos accurrentes amnes. Ab oriente enim venit ex Martiana ſylua Kintzgus fluuius, qui ſecum magnam adfert vim trabium ædificijs aptarum. Ex Sunggoia atque ab auſtro, affluit Illa, amnis: Et ab occidente Bruſchus, qui ciuitatem in duas impares tamen diuidit partes. Eſt quoque in hac vrbe, nobile & ingens quoddam opus, cuius ſimile nec in Germania, neque in Italia aut Gallia inuenitur, nempè ſumptuoſiſsima illa turris, quæ anno Chriſti M. CC. LXXVII. inchoata eſt, atque XXVIII. annis ferè vſque ad faſtigium conſummata. Hæc ab ipſis fundamentis vſque ad ſupremum culmen, quadris, & pulchrè figuratis lapidibus eſt erecta, vbique aëri, & vento peruia, patetque aſcenſus eius quatuor cochleis. Vbi verò craſsities eius in faſtigium incipit acuminari, ibi octo conſurgunt cochleæ: Supremus nodus, qui inferiùs vix modij magnitudinem habere videtur, tantus eſt, vt capacitas eius recipiat V. aut VI. perſonatos homines. Longitudo eius habet pedes geometricos D. LXXIIII. Hæc Munſterus. Potentiſsima hæc vrbs, à S. Materno B. Petri diſcipulo, eiusque ſocijs Valerio & Euchario ad Chriſti fidem conuerſa eſt, deinde, circa annum Domini CCC. XXX. Arrianiſmo, quemadmodum aliæ Rhenanæ vrbes, infecta, ab Epiſcopis tandem Metenſis Eccleſiæ in priſtinam veritatis viam reducitur. Anno Chriſti D. VIII. primum templum in hac vrbe conditum eſt, à Clodouæo Galliarum Rege. Tum temporis Argentina Metenſi Epiſcopatui, quoad Eccleſiaſticam iuriſdictionem, ſuberat: ac demùm Moguntino Archiepiſcopo à Cărolo Magno ſubditur. Inſtitutus autem eſt atque fundatus à potentiſsimo Galliarum Rege Dagoberto, &c.

ARGENTORATVM.

Straßburg.

ARGENTORATVM, cuius ob antiquitatem Ptolemæus, D Hieronymus, Orosius, Eutropius, Marcellinus, et alij meminêre, Alsatiæ Metropolis, apud prætersluentem Rhenum, alijs, Argentina, aut, si quis Ex re, nomen commutare velit, Aurentina, sed vulgo Strasburgum dicta; vrbs virtute, manu fratuum prudentia, ac integritate, honestis studijs, ac nobili schola inclyta.



HEIDELBERGA.

HEIDELBERGA, ad Neccarum sita, Illustrissimorum Principum Comitum Palatinorum Rheni sedes, Ptolemæo, vti putatur, Budoris : Nomen oppido datum existimant, à Gentium colonia, quæ ante multos annos hîc habitasse, multis indicijs conuincuntur. Vocant enim Germani, gentilem hominem, Heidenvel, vti Franciscus Irenicus, à nigrorum vacciniorum, Teutonicè Heidelber, multitudine. Olim Vangionum imperio subdita, solum habet rerum omnium ferax, vini boni, frumenti, fructuum arboreorum, & castanearũ. Est & florentissimum Heidelbergæ gymnasium, à Marsilio, primo Rectore primitus institutum, & à Ruperto Palatino, Anno M.CCC.XLVI. multis priuilegijs donatum. Mons illic omnium sanctorum, olim arcem præ se tulit. Referunt templum illic fuisse, quòd Græci vocant τὸ πάνθεον, vbi antiquitus, omnes dij colebantur. Oppidum hoc Volaterranus lib. 7. Ettelburg vocat, corrupto nomine, linguæ Germanicæ ignarus. Hæc Franciscus Irenicus.

SPIRA.

SPIRA recens vetustæ ciuitatis nomen, quod hac ratione obtinuisse putatur. Rudigerus Episcopus, ex clara Spirensi familia natus, hanc Nemetensem vrbem adauxit, & pagum (Spira) tum extra muros, ad eiusdem nominis fluuiolum situm, mœnibus inclusit, ac totam vrbem, iam amplam atque magnificam, turribus, ac fossis egregiè munitam, Spiram, ab adiecto pago ac fluuio, nuncupauit, Anno salutis M. LXXXIII. Sic vetus vrbis appellatio exoleuit, & noua illa, in hunc vsque diem vsurpata, in consuetudinem venit. Hoc tempore episcopatu in Imperio celebris. Ab Imperatore Conrado II. Francorum Duce, tanta munificentia aucta, & illustrata fuit, vt secundus Nemetensium fundator dici meruerit: Nam insignem illam, ac longè amplissimam Basilicam Spirensem, quę in hodiernum adhuc diem conspicua, & multorum Germaniæ Imperatorum, & Imperatricum habet augustissima Mausolæa, in honorem B. Virginis : & præclarum S. Ioannis in summitate vrbis situm templum, forisque, & in agro Nemetum, ex castro suo Limpurg, in quo nuper adeo Conradum filiolum, ex præcipitio quodam decidentem amiserat : magnificum cœnobium maximis sumptibus ac impensis construxit. Venerandus in hac ciuitate Aduocatorum ordo videtur, qui in publico totius Imperij consistorio, à Carolo V. instituto, quò præcipuorum tribunalium appellationes diriguntur, Cæsareæ Maiestatis, Electorum, aliorumq; Procerum nomine, iustitiam administrant. Spirensium agri, optimo vino rubeo, quod Anserum pedes vocant, frumento, & amygdalis abundant. Memorabilem hanc vrbem reddit, incomparabile Oliueti fanum, in ambitu maioris Basilicæ constructum.

VVORMATIA.

WORMATIA ad Rhenum, vetustissima Vangionum ciuitas, originem sumens, vti scribitur, à Treuirensibus, quibus tributum annuum pendit: Deinde Romanis, ad Attilam vsque subdita, ab eo, cum multis alijs Rheni vrbibus subuersa: iterum à Galliarum Rege Clodoueo instaurari cœpta, à Brunhilde Regina venustè illustrata est, ac Galliæ Regum sedes efficitur, qui castrum regium ibidem constructerunt, ea forte parte, qua nunc noua VVormatiensis curia conspicitur: quod tempore Caroli Magni, edax flamma, in fauillas redegit. Fuit & tunc temporis VVormatiæ Archiepiscopatus, qui anno incarnationis Dominicæ, DCC.XXIX. Moguntiam translatus, ita tamen, vt Episcopatus hîc manserit, antiquitate, cum reliquis Germaniæ certans. Aliquot hîc Concilia, & comitia celebrata fuere. Hæc partim ex Archiuis VVormatien. partim ex Francisco Irenico.

HEIDELBERGA.

Florentissimæ ciuitatis HEIDELBERGENSIS Palatinatus Metropolis iuxta Neccarum posita, situs et genuina pictura, tam arcem Illustrissimor. Principū Comitū Palatinor. Rheni, residentiam: quam reliqua illius loci insigniora ædificia pulchrè intuēti ob oculos statuta.

Der Heylig geist

Schloss

Kirch

NECCARVS FLV.

Geiss berg

S. Peter

Prediger

Der Neccar

SPIRA celebris admodum Imperij & episcopalis in Germania ciuitas cuius olim incolæ Nemetes et vrbs ipsa Nemetum dicebatur. Arnoldo Wesalio Neomagus et Nemetum atque Vangionum terminus fuit.

SPIRA.

Das Münster

S. Widh berg

WORMATIA.

WORMACIA vetustissima Vangionum ciuitas, ad Rhenum, optimo et fertilissimo loco sita, Vnde et fabulosum dedit, nimirum Barbarorum, olim vigorisque ob agri fœcunditatem, lasciui vocatę Theodoricum Veronensem, magistrum hoc loco Gigantes arcuisse, qui horrei vsq; ignarum illic exerceatur, in quem nulli vbi erat alteq; capite breuiores ingrederentur, quę res nil aliud, quā ad ignotā interpretē ludicram, aliasq; barbaras et crudeles narrones pertinet. Ita a Theoderico illo Gothor. rege, qui Veronensis cognominabatur, eō quod Verona regni sui sedē elegisset. Quod autē horrei huiusmodi fabulosi signum Wormatia amœnissima fere tota Germaniæ loco, ato, adeo in meditullio fere sita esse fuit aut. Ammianus, refert Theodosium Regis Thurob. qui Hunis deuastatis prouinciis, tandē etiā ad Germaniā Galliasq; ambiebat. Hinc Theodo Gothor. rex, adiuti ab Anse Romanor. simulq; omnes fere tota Gallia Germanicq; virisq. Ex suppatione militarium, quę in Itinerarijs habentur, satis constat hanc vrbē olim Borbetomagū siue vt alij Brethomagū, deinq; Rufinianā appellatam fuisse.

Thumstifft

S. Paul stift

Predicatores

Frawen bruder

S. Lamprecht

S. Martins stifft

S. Sixt

Porta S. Martini

Augustiner closter

S. Andres stift

S. Mang

S. Iohañ

Nideck

S. Cecilia

Münster

Frawen thurn

S. Veltin

S. Amandus

Mentzer port

Vser frawen stifft

New Thurn

Rhenus flu.

FRANCOFVRTVM AD MOENVM.

CIuitas hæc in extremitate Franciæ orientalis ad Mœnum fluuium sita, nomen antè Helenopolis, ad Francorum vsq; in eam aduentũ, obtinuit, à quibus postmodum Francofurtum, siue Francfordia, vel ab eius instauratore Franco, Regis Marcomiri filio, appellata fuit. Ab antiquis temporibus Imperialis ciuitas extitit, electioni noui Imperatoris consecrata: Primus ibi Arnolfus Imperator, est designatus. Intersecat hanc vrbem Mœnus fluuius magnus, & nauigabilis, qui in monte Vichtelbergio scaturiens, per Francorum terram delabitur, ac multos recipiens amnes, nobile hoc emporium alluit, & ex Moguntiæ opposito, Rheno commiscetur. Hunc traiectum ac vadum Mœni, Franci olim sub Carolo Magno possidebant, à quo ciuitati Francofurdianæ per eam occasionem natæ, datum esse nomen, plerique existimant. Cùm tamen constet, hanc vrbem, etiam ante Caroli Magni tempora, iam olim Francofurti nomen obtinuisse. Altera ciuitatis pars, & ea quidem maior, atque splendidior, Francofurtum: Altera autem, quæ & ipsa muris, ac foueis cingitur, Saxenhausen, hoc est, Saxonum domus, vocatur. Vtraque autem præstantissimi & arcuati operis ponte, longa serie constructi, iungitur, eiusdemque Amplissimi Senatus gubernaculis regitur. Ciuitas hæc nundinaria, & quasi commune, non modò Germaniæ, sed totius Europæ Emporium est. Certis siquidem anni temporibus, In Quadragesima nimirum, atque Septembri, negotiatores huc ad celebrem mercatum, ex Superiore & Inferiore Germania, Italia, Gallia, Anglia, Polonia, Ostlandia, ceterisque orbis partibus conueniunt, omnisque generis merces conferunt, quas partim parata moneta, partim aliarum rerum commutationibus, distrahunt, atque diuendunt. Pipinus Caroli Magni parens, in hac vrbe sacrum Saluatori templum, & Canonicorum Collegium (quod tamen hodie ad S. Bartholomæum vocatur) ædificauit. Quod postea Carolus Magnus, paternæ pietatis & singularis erga hanc vrbem affectionis insecutus vestigia, compluribus villis, censibus annuis, prædijs, decimis, & iuribus, magnificè dotauit. Quem pari pietate & posteri aliquot Imperatores, & Reges Rom. deinde sunt imitati. Carmelitarum fanum præstantissima nobilitatur tabula, D. Virginem in cœlum emigrantem repræsentante, quam magni illius Alberti Dureri, immmortalitate dignissima manus, summo artificio deliniauit. Eam optimi quique pictores, non sine admiratione, frequentissimè sunt contemplati. Anno Christi D. CC. XC III. Carolus Magnus Francofurti generale congregauit Concilium, in quo communibus suffragijs Fœliciana hæresis condemnata fuit, quæ (vt Abbas Vrspergensis commemorat) Christum redemtorem nostrum, secundum humanitatem, adoptiuum saltem esse Dei filium, stultè asserebat. Non minore benevolentiæ affectu, Carolus IV. Rom. Imp. hanc vrbem est prosecutus. Quapropter electionis Romani Regis, futurique Imperatoris, per Septem Germaniæ Principes Electores fiendæ locum in perpetuum constituit, bullaque sua aurea confirmauit. Nam antea, quantum ad ipsum electionis locum, variè obseruatum erat, quanquam prius etiam vt plurimum electio Francofurti fuerit celebrata. Vnde & mos inoleuit, vt cùm in dissensione Electorum, duo pariter in Rom. Regem nominarentur, alter in agro Francofurtensi iusto exercitu confideret, alterumque sesquimensis spatio, cum eo confligturus expectare consuerit, qui cùm vel prælio, vel alijs cedente aduersario, superior extabat, tum demum in vrbem recipiebatur, & pro Rege agnoscebatur. Ita accidit inter Henricum Landgrauium Thuringiæ, & Conradum Friderici Secundi filium. Item inter Lodouicum Bauarum, & Fridericum Austrium. Similiter inter Guntherum Comitem à Schvvartzenburch, & Carolum Quartum.

Porrò, in nundinis Francofurtensibus illi, qui in arte gladiatoria excellunt, magistri titulo, si id ambiant, à magistris eiusdem artis, ciuibus tamen huius vrbis, ex speciali Romanorum Imperatorum & Regum priuilegio, insigniuntur. Id quod alibi non licet.



Cum Priuilegio

FRANCOFORDIÆ, vnica est in Francia orientali ciuitas, aut potius, in extremitate eius, ad Moenum fluuium sita, nobilissimum totius Germaniæ Emporium, cunctis Vniuersæ Europæ populis cognitissimum, In quo Romanorum Cæsar, ab Illustrissimis Imperij Septemuiris eligitur, Et gladiatoriæ artis, designantur magistri. Ex multis indicijs constat, quam chara hæc vrbs Pipino, & Carolo Quarto fuerit. Quibusdam Helenopolis: Gunthero, Franconefurt dicitur. Eam septem libris ab Entrando quodam Diacono descriptam, se vidisse in Monasterio aliquo, testatur Franciscus Irenicus in sua Exegesi Germaniæ. Tuluit vrbi lapideo elegantique ponte, haud vulgaris magnificentiæ oppidum, SAXENHAVSEN, Id est, Saxonum domus, coniungitur, & ipsum propugnaculis, moenib. vallo, & fossis, ad defensionem idoneis, egregie circundatum.

TREVERIS.

TREVERIS, magnitudine rerum gestarum, & vetustate præclara ciuitas, Galliæ Belgicæ caput, ante Christi aduentum 1947. temporibus Abrahæ, à Trebeta, Nini filio condita, qui à Semiramide matre, ex Assyria profligatus, Vel, vti annales Treuirorum perhibent, effrenem & iniquam matris libidinem fugiens, ex regno, cum magno Assyriorum agmine, secesit, & post varios errores itinerum, ad amœnam quandam vallem, naturâ loci munitam, iuxta Mosellam deuenit, vbi à suo nomine, ciuitatem hanc, condere cœpit. Cuius antiquitatem, trecentis & mille annis, ante vrbem Romanam, perscrutatus est Aeneas Syluius. Hæc, quantum olim potentiâ, opibus, alijsque ornamentis floruerit, superbissimorum ædificiorum ruinæ, manifestè ostendunt. Videtur enim ibi stupendi operis palatiũ, quod instar Babylonici muri, ex cocto latere factum, tantæ firmitatis hodiè manet, vt nulla arte frangi queat. Proprium semper Ducem habuit, A Iulio expugnata, vt in commentarijs habemus, A Materno lege Christiana imbuta est, inde ab Attila diruta, concidit. Vltimus eorum dux luxuriosissimus, à Lucio occisus est, & Clodoueo Francorum regi, vrbs tradebatur. Inde, tempore Iouiniani, iterum destruebatur, & per Ottones, & Henricos, ad imperium redacta est. Ante Iulium, semper in amicitia Romanorum degit, vt Cæsar lib. 2. scribit, inde Neruijs auxilium miserunt, contra Cæsarem, iratus Iulius, T. Labienum cum equitatu, contra ipsos deputauit, & dum Cæsar è Gallia egressus est, Treueri solicitabant Cisrhenanos, & tunc duos duces habuerunt, Cingentoricem Cæsaris amicum, & Induciamorum, vt libro V. Comment. testatus est ipse Cæsar. Vltimò autem, Labienus ipsos cepit duabus adiunctis legionibus, & 15. auxiliaribus copijs Germanorum, vt lib. 6. Cæsar asserit. Franci etiam Treuerim incenderunt, tempore Theodomiri Francorum Regis, Hunibaldo teste. Plura vide apud Franciscum Irenicum. Antiquissima totius Germaniæ Vniuersitate, Treuerensium ciuitas insignitur. Archiepiscopum, in Electorum ordine, agnoscit dominum.

CONFLVENTIA.

CONFLVENTIA, oppidum Galliæ, inter Moguntiam & Coloniam, Episcopo Treuerensi paret. Hic Mosella, quæ Ptolomæo Obrinca, ex Vogeso monte oriens, multis admissis amnibus, Rheno magno cum impetu commiscetur, vt longissimo tractu, diuersa vtriusque fluminis aqua, ob diuersitatem coloris, conspici, & discerni queat, leuam Mosellam, dexteram Rheno obtinente. Oppidum hoc cõmendat antiquitas, sicut & reliquas omnes cõfluentes vrbes, quarũ non paucæ iuxta Rhenum inueniuntur. Studuerunt enim veteres in huiusmodi confluentijs condere ciuitates & arces, quòd ea loca tutiora sint, ac munitiora, & deinde multas commoditates ab amnibus habeant. A confluendo datum oppido nomen. Iuxta Mosellam habitatoribus frequens, pulcherrimarum ædium serie, ad pontem vsque, summo ornatu deducta, egregiè nitet. Bina Canonicorum Collegia habet, ædes sacras augustas, Teutonicam domum, aliaque cœnobia, Palatium item Principis amplum, & homines (asserente Doctore Richuuino) emunctæ naris, ingenijsque benè dotatos & excultos, qui nescio quid Atticum omnes spirant. Vtraq; Mosellæ ripa eximij operis ponte coniungitur, qui ex quadratis lapidibus pilis longo ordine arcuatim constructis, innititur, & ex Inferiore Germania in Superiorem tendentibus transitum, per hoc oppidum, præbet. Ex opposito, ad dexterum Rheni latus, in summo montis culmine Reue rendiss. Treuerensis Castrum est, Erenbretstein, validis munitum saxis ac turribus, omnisq; generis machinis bellicis, puluere item, ac globis instructissimũ, ex quo Confluentini in officio retineri, ex Rheno etiam, atq; Mosella, ingrati hospites percommodè arceri possunt. In montis radice, Molhemia pagus est, in quo Monachorum cœnobium, & acidi saporis fons vberrimus, qui solus huic oppido potum largitur. Complures historicos, qui huius oppidi meminerunt, Franciscus Irenicus lib. 11. Exegeseos Germaniæ recensет: vide etiam eius descriptiunculam Doctoris Richuuini in Munsteri Cosmographia.

ROTENBVRGVM.

BINA huius nominis oppida Germania habet, Alterum in Sueuia ad Neccarum flumen, ob occisum ibidem Episcopum Argentinensem, euersum, ac dirutum: Alterum, in Franconia Imperiale, ad Tuarum amnem, cuius hoc libro topographica pictura proponitur.

TREVERI



TYPVS AC SITVS ANTIQVISSIMÆ ET PRÆCIPVÆ MEDIOMATRICVM CIVITATIS TREVIRENSIS.



COBLENTZ.

Situs ciuitatis CONFLVENTINÆ, Germanis Koblentz vbi Mosella fluuius Rheno miscetur.



ROTENBVRGVM ad Tubarum, elegans Franconiæ oppidum, Hierosolomytanæ vrbi, situ respondere dicitur, à turrium et tegular. rubore, nomen habens, olim proprijs ducibus paruit, nunc imperio, post Friderici primi secula, accessit.

ROTENBVRG.





MOGVNTIA.

MOGVNTIA Metropoliticarum Germaniæ ciuitatum præcipua, Ptolemæo Neouagus, vt Irenico placet, nomen ſortitur à Mogano fluuio, & Cia, vti cum alijs perhibet Celtes. Hanc Troianus quidam Moguntius condîdit, Carino ſcribente. Olim hîc Romanorum munimenta fuerunt contra Alemanos ad ipſam Rheni ripam. Mogunția vetus, paulò remotior à Rheno fuit, quemadmodum ad huc ruinæ teſtantur. In loco admodum amœno iacet, vbi Mœnus fluuius, quem alij Moganum vocant, ex Franconia deſcendens, Rheno commiſcetur. Agrum habet ab vtraque Rheni ripa fœcundum, & præſtantiſsimo vino luxuriantem. magna eſt, benè munita, & ſpiſſa, tum populoſa ea parte, quam Rhenus alluit, ex alio verò latere, rarum habitatorem habet, immenſa eſt longitudine, in lato anguſtior. Aedes ampliſsimæ ſunt, Romanorum more. Baſilicæ & Collegiatæ Eccleſiæ magnificæ, & perornatæ, cùm Arce Epiſcopali. Nulla eſt in Rheni tractu ciuitas, quæ plura quàm Moguntia antiquitatis monumenta oſtendat. Archiepiſcopum ex ſeptemuirorum Imperij ordine dominum & moderatorem agnoſcit. Vniuerſitatem habet circa annum Chriſti M. CCCC. LXXXII. à Diethero Iſenburgo Archiepiſcopo inſtitutam. In qua hoc tempore Artium & Theologica ſtudia vigent. Huic vrbi Typographicę artis debetur inuentio, quæ plúſne boni, an mali attulerit, probabiliter diſputari poteſt.

HERBIPOLIS.

HERBIPOLIS Francorum Orientalium caput, atque Metropolis, Germanicè VVirtzburch, à dulci muſto, quod Herbipolenſis ager ſuppeditat nomen obtinere videtur. Vrbs eſt in plano ſita, extra vndique circumiacentibus monticulis, & collibus vitiferis, amœnis hortis, interpoſitis pratis ornata, præterea foſsis, vallis, mœnibus, turribus & propugnaculis benè munita. Intus autem populoſa, pluribus templis, monaſterijs, & eccleſijs, ac non ſolùm clericorum, ſed & ciuium ampliſsimis ædibus extructa, atque alibi apertè latentibus, alibi ſubterraneis fluuijs, à fœtore & putredine aëris clementiam, nuſquam non corrumpentibus, ſemper mundiſsima ſeruatur. Habet enim plures puteos viuis & dulcibus laticib. perpetuò ſcaturientes, ad quoſuis vſus ſatis vtiles. Ad occaſum Mœnus proximè vrbem præterlabitur. Vtranque ripam ingens pons iungit lapideus, fortibus nitens pilis. Vltra Mœnum proximus mons, pulchram & loci natura munitam arcem, D. Virginis nuncupatam continet, eiuſdemque nominis templum, ab Hettano Francorũ Duce conſtructum. Arx Epiſcopo ſedem præbet. Cuius dignitas à S. Bonifacio Anglo primo Archiepiſcopo Moguntino, præcipuo Germanorum Apoſtolo, auxilijs Pipini patris, ac Caroli Magni filij, Galliæ Regum, conſenſu item Zachariæ pontificis inſtituta eſt, annum Chriſti circiter DCC. L. Epiſcopatui verò incorporarunt Ducatum Orientalis Franciæ: quo factum eſt, vt Herbipolenſis Eccleſiæ gubernatores, non tantùm Eccleſiaſtico titulo Epiſcopi, ſed ſeculari etiam, Duces Francorum (penes quos ius etiam cùm vitæ, tum necis) ſemper ſint ad hæc vſque tempora ab omnibus ſacri Romani Imperij ſtatibus, ac ordinibus tum habiti, tum appellati.

SEDVNVM.

SEDVNVM Valeſiæ Metropolis, Germanis Sitten, Gallis Siun, vtraque enim lingua familiaris eſt ciuibus, vrbs eſt ſplendore ædium elegans, adiacet monti, qui in media planitie inter altiſsimos montes vallem claudentes, ſenſim verſus ortum conſurgit, bifurcaturque in duo petroſa faſtigia, ſeu eminentes colles. Qui dextram tenet, alluitur in ſubiecta valle Rhodano, vocaturque Valeria, quæ olim fuit arx benè munita, nunc Cathedralis Eccleſia. A ſiniſtra verò ciuitatis, & à reſidentia Epiſcopi, quæ Meierem dicitur, eſt mons valde anguſtus, & aſcenſu difficilis, in cuius faſtigio arx eſt amœna ac fortis, temporatum aërem habens. Quare illuc princeps cum familia ſua ſe recipit, quando calores in inferiori caſtro inualeſcunt. Eſt ager Sedunorum per ciuitatis circuitum fertiliſsimus, abundans vino, frumento, croco, caſeo, pomis, pecore, piſcibus, alijsque vitæ neceſſarijs.

Altiſsimi montes vicini, venatorem frequentiſsimè lætum remittunt domum:
Ferarum ſiquidem, & auium permagna hîc inuenitur copia.

MENTS.

MOGVNTIA, Germaniæ Metropolis, ad Rheni ripas Vrbs celeberrima, mercatorum frequentiâ, clero, et Vniuersitate claret.

Cum Priuilegio.

WORTZBVRG



HERBIPOLIS, CÕMVNITER WIRTZBVRG, ORIENTALIS FRANCIÆ METROPOLIS.

SITTEN.

SEDVNVM, primaria & Metropolitica Valesiæ vrbs, Germanorum & Gallorum frequentatione celebris.



COLONIA AGRIPPINA.

OLONIA AGRIPPINA, potentiſsima, ampliſsimiq́ue nominis Germaniæ ciuitas, ad citeriores Rheni ripas ſita, Vbiorum ſedes fuit, qui grauiter à pugnaci Sueuorum gente bellis & obſidione laceſsiti, Romanorum implorantes auxilium, à Iulio Cæſare in amicitiam S.P.Q.R. recepti fuerunt. Cæſ. lib. 4. Auguſti verò tempore, ne multarum nationum, ac potiſsimùm Sueuorum illac in Galliam incurſiones facientium iniurijs perpetuò forent obnoxij, in vlteriorem ripam, Treuirorumq́ue partes Vbiorum gens tranſgreſſa, nouum ibidem oppidum condere, atque in eo, circumq́ue illud habitare cœpit. Illas in fidem ſuam recipiente M. Agrippa, Auguſti genero, ac auo Agrippinæ, Germanici filiæ, quam C. Cæſar in coniugem adſumpſit, auctò cognomento Auguſtæ: quæ, quò vim ſuam ſocijs quoque nationibus oſtentaret, in oppidum Vbiorum veteranos, coloniamq́ue deduci, à Claudio Cæſ. impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipſius, atque eo tempore Colonia Agrippina, ciues verò Agrippinenſes dici cœperunt. Tacit. & Suetonius. Romanorum deinde viribus ſenſim contritis ac debilitatis, Galli, ductore Childerico Rege, anno Domini 462. ijs omnibus profligatis & puſſis, Coloniam vi occuparunt, eamq́ue ad Ottonis I. tempora, ſuis habenis moderati fuêre. At verò anno à C.N. 949. Otto Imp. Aug. Coloniam armorum ſtrepitu Francis ereptam, Romano imperio reddidit. A quo tempore in hodiernum vſque diem, libera Imperialis ciuitas extitit. Prima eius forma, quemadmodum & vrbis Romanæ, quadrata fuit, cuius iam adhuc muri, turres, ac foſſæ, pleriſque in locis videntur. Ac deinde, Anno Chriſti 1180. amplificata, multa cœnobia, templa atque ſuburbia, quæ extra mœnia poſita erant, ambitu ſuo comprehendit, vt à primordio penitus mutata, ſemilunaris eius nunc facies appareat. Splendore & elegantia ſumma eſt, validiſsimis, & arcuatis cingitur muris, qui opportunas ad defenſionem turres LXXXIII. in circuitu colligunt. Duplici foſſa, vtrinque muro veſtita, lata, atque præcipite, multarum arborum vmbra, & proceritate amœna cingitur, quæ iucundam obambulatiunculæ, meditationibus & ſtudijs commoditatem, æſtiuo tempore præbet. Intra mœnia, paſſim amœna conſpiciuntur loca, quæ pomi, vineæ, aliæq́ue fructiferæ arbores, venuſtè conueſtiunt. Plæclariſsimis etiam magnificiſq́ue ædificijs, tam pietati, quàm priuatorum hominum neceſsitati paratis, pulcherrimè nitet. Ac primum quidem, vt à religione exordiar: Eſt maximum fanum, re ac nomine ſummum, ex lapide viuo, admirabili arte elaboratum, D. Petro dicatum, cui ſi extrema artificum eſſet addita manus, nullum omnio vniuerſæ Germaniæ templum, elegantia & magnitudine non ſuperaret, meritoq́ue inter ſtupenda Europæ annumerandum veniret: Intus, multorum Principum, Epiſcoporum & Ducum ex cupro & alabaſtro tymbis, atque adeò trium Magorum, Item Fœlicis, Naboris, & Gregorij corporibus, illuſtratur. Quid de perpolito ac nitido Machabeorum templo, de XI. millium virginum baſilica referam? Quarum ſacratiſsimo ſanguine irrigata, imò verò ſanctificata, hiſtoriarum documentis perhibetur Colonia, vt venerari eam magis, quàm commendare libeat. Reliquarum ſacrarum ædium & Monaſteriorum permagnus eſt numerus. Plebanica cenſentur templa XIX. Collegiata X. Virorum cœnobia XV. Virginum, quorum VIII. velatas habent, XXII. Monialium & vetularum conuentus LIX. Sacella XXX. Loca item alia miſericordiæ & pietati conſecrata plurima Colonia habet. Xenodochia II. Noſocomia, in quibus rerum neceſſariarum abundantia ſumma pietatis officia egenis præſtantur, II. Gerontotrophia, VIII. Brephotrophium I. Mente priuatorum ergaſtulum I. Prætoriæ ædes hanc vrbem mirificè ornant, quæ magna cum delectatione ſpectantium, præcelſam & rari operis turrem oſtentant, ex quadratis & formatis ad regulam ſaxis, venuſtè erectam, quæ artificioſiſſimis ſtatuarum ſignis, circumquaque decoratur, quorum ſuprema, ſummo tamen in loco poſita infimorum proportioni tam aptè reſpondent, vt omnes eiuſdem magnitudinis eſſe videantur: Speculares in apice habet feneſtras, per quas viſus in omnes ciuitatis partes panditur. Hoc anno hilarula & concinna meniana, ſingulari artificum induſtria fornicata, eximio mirificoq́ue opere conſtructa, quæ XVI. columnis politè ſectis, ambulacrum tecto clauſum ſuſtentat, magnis Reip. ſumptibus, non parum ornatus prætoriæ domui acceſſit. Ex oppoſito ſacellum eſt, vbi quondam Iudæorum Synagoga fuit: Quod anno ſalutis 1426. D. Virgini nuncupatum, Hieroſolyma dicitur. In quo tabula tanto artificio facta conſpicitur, vt eam exellentes pictores, ſumma cum voluptate, contueantur. Ab ea parte, qua Solis exortum Curia ſpectat, Antiqui fori latus ambulacrum apertum ex candido lapide, cum artificioſo horarum indice, exornat. Forum hoc præſtantiſsimis ædificijs vndique cinctum ſi equentiſsimo populi conuentu hebdomadatim ter nundinis frequentatur. Iuxtà eſt forum fœnarium multo magnificentius, & ipſum pulcherrimarum ædium ordine decentur circundatum, vrbis plateæ latæ, amplis directæ ſpatijs, magnis ſunt ſtratæ lapidibus, & pulcherrimis ædificijs nitent. Præ cæteris autem egregiè culta eſt domus Nobiliſſimi viri D. Conſtantini Liskirchij, Ampliſsimæ huius Reipub. hoc tempore D. Conſulis, cuius magnificentiſsimæ, & ſumtuoſa ſtructura ædificatæ ædes, præcelſa turri conſpicuæ, totum forum nouum venuſtè condecorant. Pari elegantia eſt domus Strenui ac clariſsimi viri, D. Arnoldi à Siegen armatæ militiæ Senioris ad Rheni flumen, Equitis aurati, atque Cæſariæ Maieſtatis D. Conſiliarij, cuius ſiue amplitudinem, ſiue magnificentiam ſpectes, vel Imperatore, vel Regibus, Principibuſq́ue viris liberaliter excipiendis, peroportuna eſt, quibus & tecta frequenter ſuppeditauit.

Huius porrò vrbis politia florentem Reipub. Romanæ gubernationem apprimè refert. Etenim ſi Conſulum, Proconſulum, Cenſorum, Tribunorum vigilum, Quæſtorum, Annonæ Profectorum dignitatem conſideres, ſi rectum, & inflexibilem iuſtitiæ baculum, faſcium loco, vti vulgò exiſtimatur, receptum: Si tributum ordines, ſi ciuilem Senatorum authoritatem, ſi denique Capitolium inſtar Romani ædificatum obſerues, quaſi effigiem, & viuum quoddam ſimulachrum Romanæ vrbis, hanc Agrippinenſem videbis Remp. vt non immeritò, natiuo quodam iure, Romanorum dicatur. Præſtantiſsima etiam antiquitatis monimenta, cùm ipſa paſſim vrbe, tum apud doctiſſimum virum D. Ioannem Helmānum LL. ſummum vetuſtatis admiratorem, inueniuntur. Eſt & hic optimarum quarumque diſciplinarum Vniuerſitas anno à C. N. 1388. ab Ampliſsimo Senatu inſtituta, primarum facultatum, Artium, aliiſq́ue inſuper Collegiis, ad ſtudioſorum ſubleuandam inopiam, ab optimis viris fundatis, ornatiſsima. Ex qua Louanienſis pari dignitate filia anno poſt C.N. 1426. prodiit. S. Maternus D. Petri diſcipulus primus Colonienſium fuit Apoſtolus.

ORIENS.

DIVITENSE MVNIMENTVM, quod nunc corrupte Tuitium, vulgò Deutz, nominatur: Quod Constantinus Max. Imp. Constantis filius pro militib. illic in tutelam Galliæ collocandis erexit. A quo præsidij loco, Diuitenses milites nomen traxerunt. Quem Ammianus Marcellinus libro. XXVII. meminit. Tuitium hoc tempore magnifica Benedictinæ societatis Abbatia claret. In qua S. Rupertus, natione Germanus, Philosophus, orator, poëta, Astronomus & Theologus exercitatissimus, multorum librorum scriptione, Anno Christi, M. C. XXIII. floruit.

RHENVS. COLONIA AGRIPPINA. FLVVIVS.

SEPTENTRIO.

MERIDIES.

DE PONTE ET INSIGNIBVS Reipub. Coloniensis

M.F.Vol. Constantinus Max. Imp. Constantij filius, pro Imperij dignitate et limitu ornatu, Coloniæ pontis lapideum facto, sic satis difficilem, sua verò destinatu semperuerno aduersus Francos, viri ex transitu in Gallias impetatores, disstituit. Circa annu Dom: 310. Eangay. Conft. Hanc verò pontis Bruno Archiep. Colon. Ottonis I. Imp. frater, ne Francis occidentalib. pateret, circa Annum Domini 962. dedicit. Florentiss. huius urbis insignia sic habet. Scuti est argentei coloris, sed superior eius pars, quæ Vocatur, vulgò aurum appellat, tres aureas regni sceptras in campo rubro seriatim dispositas continet. Quæ propter tria Magorum corpora, Anno D. 1102. pro tribus apicib. vsurpare coepit; Regalia vrbis significat; nimirum ius apprehendens, diuuli pontus, et fides. Reliqua coronæ, ornamenta lapidi pluui, smaragdi, et margaritæ multus immunitates alias, privilegia, atq; indulta Coloniensium denotant.

Cum Privilegio.

DEVS RHENI.

COLONIA AGRIPPINA vrbs amplæ, florens, atque magnifica, superioris, siue secundæ Germaniæ Caput & metropolis, Vbiorum oppidum initio fuit. Qui cum Romanis ciuib. postea, esset à M. Agrippa Octauiani genero, Colonia eius primum adducta, et deinde ab Agrippina nata Colonia, aucta, mdcrm hoc habitarunt. Et à meridie Roma ciuitas, a Septentrione Nouesium ad Rhenu vsque proxime adiacet. Inmediterraniis occidentem versus, prodigium Vberia cum fruit, quod nunc Bercht corrupte vocant, & Antonini Itinerario conjici potest. Rivulu ex accidente hanc vrbem illabit, qui frangendo frumento, molisque agitandis sufficere posset, quem Rhenus deinde absorbet. Situ, flumine Rhenu, templis, nitore atq; frequentia, numerosa populi multitudine, in tres Quirini tribus distributa. Amplissimo Senatu. Opes et Vniuersitate ingenia est, et celeberrima S. Petrum, vel Roma tutelari vrbis, sacrorumq; parvoni habet. Ius vrbis est Italicu. Prona in pulchæ sinceri, eductiu mier vrbes loca optimus, sit peramœnitio et celebri Rheni fœdere septuaginta aliarum ciuitatu, inter quas tuor precipuas recenseur. Alii et cum Regio Burgundiæ, natione generis fœdu Potens opu ciuitas et principia vsuinqo, et Regum amicitiu, et armis. Septemuiro S. Romani Imperij Principi Electori, Archi Episcopo, tuta firma, sedes delecta et constituta est, cui Suffraganei & Episcopi comprouinciales. Monasteriensis, Leodien. Traiectens. Mindenis, Et Osnaburgen. antiqua fides religione darent.

OCCIDENS.

AVGVSTA.

SVberior Sueuia, olim etiam Rhetia dicta, ampliſsimas ciuitates habet. Earum nobiliſsimæ ſunt, Auguſta Vindelica,& Conſtantia, quarum vna Noricum, altera autem Gallos, ſeu Heluetios adſpectat. Illa verò Imperij Romani, vt hodie cultu & diuitijs clariſsimum, ita origine quoque vetuſtiſsimum municipium exiſtit. Quæ inter piſculentiſsimorum fluminum Vindæ & Lechi confluentiam ſita, ex vetuſtiſsima Sueuorum gente, quæ à Iaphet deſcendiſſe, & hanc primùm inhabitaſſe prouinciam fertur, originem ſumpſiſſe, conſtanti annalium teſtimonio perhibetur. Politiam quàm optimè conſtitutam habet, de qua Achilles Gaſſarus Medicus, hunc in modum: Ciuitas noſtra, celeberrima habet omnis generis Panoplia, præcipuè æneorum tormentorum, quæ bombardas vocamus, aliquot domos elegantiſsima copia refertiſsimas, ſimul & publicas aliorum artificum, tum tabernas, tum officinas operoſiſsimas, quibus non tam toti orbi vſitatiſsima, quàm mercatorum ſuorum nummoſiſsimis monopolijs notiſsima, paucis retro annis euaſit. Adhæc, pauperum curam vnicè gerit: Extant etiam præter Xenodochia, ægrorum ac orphanorum hoſpitalia, ſpeciales adhuc ædes, quibus gratis vel peſte infecti, ſuo fouentur tempore, vel Gallica hîc laborante, curantur, vel denique leproſi ſeorſim adſeruantur. Denique, ingenti eleemoſyna, tum reliquos inopes paſsim liberaliſsimè leuat, tum ſtudioſos pueros, non parum multos, ex his domi humanioribus literis emancipat, foriſque ſtipendijs non pœnitendis alit. Quin vel ſoli Fuggari penuria laborantibus, ſed frugi municipibus, Anno 1519. ſupra centum habitationes, tamquam iuſtam ciuitatulam, de ſuo, apud Iacobinum ſuburbium fundarunt. Iam qua æquitate, clementia & prouidentia Magiſtratus, quàm politicè hîc polleat, quáue proſperitate, induſtria, humanitate, & virtute reliqui ciues inter ſeſe, aut cum alijs, tum in negotijs, vel apud Antipodes, ac vtrumque mundi polum gerundis, tum in educandorum liberorum honeſtiſsima liberalitate, tum denique in domeſticæ ſupellectilis nitore, ad inſolentiam vſque certent, nemo facilè dixerit Sunt enim plerunque homines (imprimis blandæ fœmellæ) forma pulchri, veſtitu ſplendidi, victu voluptuarij, congreſſu & verbis ceremonioſi, actionibus aſtuti, moribus exotici, & opulentia φιλαύτοι. Ex quibus plebs hodie ſedula opere, & quæſtu officio ſiſsima, ſorte ſua contenta exiſtit. Mercatores verò aliquot & Patricij, magno numero natalibus ſunt reſtituti, multi Baronum nobilitate eminent, nonnulli etiam Comitum prærogatiuis gaudent, ſed & integrum regnum, quidam apud Indos poſsident, adeò, vt in vniuerſum S. P. Q. Auſpurgenſis inſtar Alabandæ fortunatiſſimi (vt Prouerbio habetur) cenſeri planè debeant, poſsintque. Quibus redditibus verò aurique & argenti diuitijs, ærarium ciuitatis locupletatum ſit, vel inde conijciet argutus Lector, quòd Senatus, exceptis annuis fabricarum (vt ſic loquar) publicarum conducti famulicij, certorum officiorum, adeoque belli maximi, infinitis impenſis, pro ſola obtinenda pace, ſupra trecenta millia aureorum Rhenenſium, citra priuatas ciuium contributiones, proximis expoſuerit, prompta pecunia, Comitijs. Vt autem, tanquam condito luſtro, etiam ciuium capita, curioſiùs aliquis, ceu per tranſennam obiter queat æſtimare & colligere, ſciendum pro certo, quod anno 1549. mille ſeptingenti, & quinque infantes, Baptiſmo adhibiti, ac communibus Cœmiterijs, mille ducenta viginti ſeptem humana cadauera, nulla Epidemia graſſante, ſepulta Auſpurgi fuerint.

AVGVSTA.

SVberior Sueuia, olim etiam Rhetia dicta, ampliſsimas ciuitates habet. Earum nobiliſsimæ ſunt, Auguſta Vindelica, & Conſtantia, quarum vna Noricum, altera autem Gallos, ſeu Heluetios adſpectat. Illa verò Imperij Romani, vt hodie cultu & diuitijs clariſsimum, ita origine quoque vetuſtiſsimum municipium exiſtit. Quæ inter piſculentiſsimorum fluminum Vindæ & Lechi confluentiam ſita, ex vetuſtiſsima Sueuorum gente, quæ à Iaphet deſcendiſſe, & hanc primùm inhabitaſſe prouinciam fertur, originem ſumpſiſſe, conſtanti annalium teſtimonio perhibetur. Politiam quàm optimè conſtitutam habet, de qua Achilles Gaſſarus Medicus, hunc in modum: Ciuitas noſtra, celeberrima habet omnis generis Panoplia, præcipuè æneorum tormentorum, quæ bombardas vocamus, aliquot domos elegantiſsima copia refertiſsimas, ſimul & publicas aliorum artificum, tum tabernas, tum officinas operoſiſsimas, quibus non tam toti orbi vſitatiſsima, quàm mercatorum ſuorum nummoſiſsimis monopolijs notiſsima, paucis retro annis euaſit. Adhæc, pauperum curam vnicè gerit: Extant etiam præter Xenodochia, ægrorum ac orphanorum hoſpitalia, ſpeciales adhuc ædes, quibus gratis vel peſte infecti, ſuo fouentur tempore, vel Gallica hîc laborante, curantur, vel denique leproſi ſeorſim adſeruantur. Denique, ingenti eleemoſyna, tum reliquos inopes paſsim liberaliſsimè leuat, tum ſtudioſos pueros, non parum multos, ex his domi humanioribus literis emancipat, foriſque ſtipendijs non pœnitendis alit. Quin vel ſoli Fuggari penuria laborantibus, ſed frugi municipibus, Anno 1519. ſupra centum habitationes, tamquam iuſtam ciuitatulam, de ſuo, apud Iacobinum ſuburbium fundarunt. Iam qua æquitate, clementia & prouidentia Magiſtratus, quàm politicè hîc polleat, quáue proſperitate, induſtria, humanitate, & virtute reliqui ciues inter ſeſe, aut cum alijs, tum in negotijs, vel apud Antipodes, ac vtrumque mundi polum gerundis, tum in educandorum liberorum honeſtiſsima liberalitate, tum denique in domeſticæ ſupellectilis nitore, ad inſolentiam vſque certent, nemo facilè dixerit Sunt enim plerunque homines (imprimis blandæ fœmellæ) forma pulchri, veſtitu ſplendidi, victu voluptuarij, congreſſu & verbis ceremonioſi, actionibus aſtuti, moribus exotici, & opulentia φιλαύτοι. Ex quibus plebs hodie ſedula opere, & quæſtu officioſiſsima, ſorte ſua contenta exiſtit. Mercatores verò aliquot & Patricij, magno numero natalibus ſunt reſtituti, multi Baronum nobilitate eminent, nonnulli etiam Comitum prærogatiuis gaudent, ſed & integrum regnum, quidam apud Indos poſsident, adeò, vt in vniuerſum S. P. Q. Auſpurgenſis inſtar Alabandæ fortunatiſsimi (vt Prouerbio habetur) cenſeri planè debeant, poſsintque. Quibus redditibus verò aurique & argenti diuitijs, ærarium ciuitatis locupletatum ſit, vel inde conijciet argutus Lector, quòd Senatus, exceptis annuis fabricarum (vt ſic loquar) publicarum conducti famulicij, certorum officiorum, adeoque belli maximi, infinitis impenſis, pro ſola obtinenda pace, ſupra trecenta millia aureorum Rhenenſium, citra priuatas ciuium contributiones, proximis expoſuerit, prompta pecunia, Comitijs. Vt autem, tanquam condito luſtro, etiam ciuium capita, curioſiùs aliquis, ceu per tranſennam obiter queat æſtimare & colligere, ſciendum pro certo, quod anno 1549. mille ſeptingenti, & quinque infantes, Baptiſmo adhibiti, ac communibus Cœmiterijs, mille ducenta viginti ſeptem humana cadauera, nulla Epidemia graſſante, ſepulta Auſpurgi fuerint.

AVGVSTA IVXTA FIGVRAM QVAM HIS CE EMPORIBVS. HABET DELINEATA.

1 Rot thor.	21 S. Vrsula klost.	45 Der Fugger ha.	75 Spitelhof.	106 Hirschengrab.	
2 Gerbgingerthor.	22 S. Katrina klo.	46 Dz dantzhauß.	76 Am Eser.	108 Lang gaß.	
3 Eniss.	23 S. Anna klost.	47 Eicht hauß.	77 Kirzen marckt.	110 Fischergäßlin.	
4 Kienger thor.	24 S. Steffani kl.	48 Kornschrann.	78 Weingaß.	111 Rautzhgäßlin.	
5 Gründtbrun.	25 Barfüsser klost.	49 Statt Canzley.	79 Zeyrergaß.	113 Steffani platz.	
6 Wertachbruck.	26 Hail. Z. kloster.	50 Burger stuben.	80 Kerfergaß.	114 Pilwergaß.	
7 Fischer thor.	27 S. Jorgen klost.	51 Kaufleut stub.	81 Beckergaß.	115 Geißhüttel.	
8 Luginsland.	28 S. Otmars kirch.	52 Rathauß.	82 S. Affra gaß.	116 Lauterlech.	
9 Steffinger thor.	29 S. Veyts kirch.	55 Die Metzg.	83 Am Schwal.	117 Hasen gäßlin.	
10 Oblater thor.	30 S. Johans kirch.	57 Pfriendhauß.	88 Clostetels gaß.	118 S. Jacob. gart.	
11 Jacober thor.	31 S. Gilgen kirch.	58 Schlachthauß.	86 Schonwrggaß.	119 Rosen gäßlin.	
12 Vogel thor.	32 Vnser frawen ki.	64 Katzenstadel.	89 Findelhauß.	120 Rappenwinkel.	
13 Schwibogerthor.	33 Jacober kirch.	35 Ob dem Creutz.	92 Am Judenberg.	122 Priefbruck.	
14 H. Creütz thor.	34 Das Spital.	66 Zeughauß.	94 Berlsberg.	124 Rosmarck.	
15 Vnser frawe thor.	35 S. Peters kirch.	67 Juden kirchof.	97 Staingaß.	125 Ober newgang.	
16 Barfüsser thor.	36 Stern Kloster.	68 Kornhauß.	99 Opsmarckt.	126 Mittel gang.	
17 S. Virichs klost.	37 Rassamer hof.	70 Kalck hutt.	100 S. Lohans gaß.	127 Vndrer gang.	
18 Predier klost.	38 Salez stadel.	71 Blaicherhauß.	101 Schmidgaß.	130 Sachssen gaß.	
19 S. Moritze kir.	39 Wein Kudel.	72 Die Fuggerey.	103 Frombof.	132 Meitingergaß.	
20 H. Grab.	40 Sigelhauß.	73 Zur sackpfeiffen.	105 Die Pfaltz.	133 Maurberg.	

Augustam Vindelicor. celeberrimam, et peruetustam, Superioris Germaniæ vrbem, post Funestam, variamq; cladem, subactis Vindelicis, Ostrogothorum Duce expugnat. reffaurat. auget. & tribus Romanor. millib. habitandam tradit. Strabo lib. 4. Inde Augusti est nomen sortita. Vngari, tum eam inuadentes quibus ab Ottone I. grauipreliofusi, Romano Imperio, restituitur. Sumptuosissimis ædificijs, plateis amplis, ac nitidis, moenijs, aggeribusq; munitissimis, celeberrimis negotiorum commeritis, posterior idea, incolis opulentissimis, diligenti pauperum cura, Episcopatu, & nobilitatur.

MONACVM.

MONACVM, Germanicè Munchen, Ptolemæo Abadiacum: Vrbs est præclarissima Bauariæ, ab Arterno condita, ab Henrico quarto ampliata est, iuxta Isarum fluuium (qui non procul à Pletlingio Istro associatur) sita, reducta inde per Ernestum. Sunt tamen, qui primitus salutis anno M. C. LXXV. muro hanc vrbem munestitam fuisse, ab Ottone Duce Bauariæ scribant. Habet situm amœnum, & arcem in plano ornatissimam, vbi Principes Bauariæ nostro æuo residere solent, vbi etiam continuò nutriuntur leones, solentque leenæ ibi parere catulos. Hæc partim ex Irenico, partim ex Munstero. Vide Baioariæ historiam Ioannis Auentini.

OENIPONS: INSPRVCK.

OENIPONS, oppidum & castrum, vbi camera & parlamentum est Comitatus Tirolensi, & superiorum regionum Austriacarum, magnas ex Oeno flumine commoditates percipit, qui nomen huic vrbi dedisse videtur, vnde Oenipons, dicitur Teutonicè Inspruck. Hall ciuitas, & Mulbach non procul ab Inspruck, vbi optima armamenta, & ferrea indumenta parantur.

FRISINGA, OLIM FRVXINVM.

FRISINGA, ciuitas episcopalis Bauariæ, vt Aeneas ait, condita putatur eo tempore, quando Romani per præfectos, & prouinciarum præsides tenebant & administrabant eam Bauariæ regionem, quæ à Danubij ripa transcurrit ad alpes. Siquidem habet locus iste elegantem & amœnum in colle situm, etiamsi vicinus ager, iuxta terræ illius ingenium, asperit. Præterfluit Mosacus amnis, qui haud procul hinc Iseræ fluuio miscetur. Scribit Beatus Rhenanus in bibliotheca D. Corbiniani se reperisse librum insignem Euangeliorum Francicè, hoc est, Germanicè scriptum, ex eoque collegit, veteres Francos, qui transito Rheno, nobile in Germania regnum constituerunt, Germanica vsos fuisse lingua.

NORDLINGA.

NORDLINGA antiqua Imperialis ciuitas, in medio ferè Rhetiæ interioris sita putatur, nomen sortita à Claudio Tiberio Nerone, cum incolæ eã trito sermone Nereling appellent, & annales Nerobergensis historiæ idem confirment. A Ptolemæo, Aræ Flauianæ vocatur. Eius mœnia primùm in monte ad S. Emeranum locatæ fuerunt, at temporum successu ob aquarum penuriam & Vulcani sæuitiam, à colonis ad ripam Egræ amnis translata sunt, qui ciuitatem ferè mediam intersecat. Habet maior domorum pars in hoc situ, suos proprios, & salubres fontes, cellas varias, atque alias multas commoditates, quas in monte habere non potuit, &c. Vrbem hanc copiosè describit VVolfgangus Vogelmannus apud Munsterum.

STRAVBINGA.

STRAVBINGA Bauariæ oppidum, conditum est à Lodouico Duce Bauariæ, Lodouici Imperatoris nepote, aut patre, anno Christi M. CC. VIII. vti Bauariæ testantur annales: Danubij vicinitate illustratur, Augusta Acilia Auentino. Quanquam idem alio in loco dicat, esse extra Straubingam eam, quæ nunc Azalburg vocatur.

RATISPONA.

RATISPONA Insignis & vetusta Bauariæ vrbs, ad ripas Danubij sita, iacet in commodissimo loco, vbi quatuor concurrunt flumina. Supra enim vrbem Labar & Nab, ingrediuntur Danubium, & infra, amnis Regen. Augustam Tiberiam à primo conditore hanc Auentinus nominat. Quondam metropolis Romanorum militum excubantium in Imperij limitibus, vnde & Colonia Quartanorum dicebatur, quòd quarta legio Italica hic stationem firmam haberet. Quam Theodo. Dux Nortgoiæ vnà cum Christianis, expugnata Ratispona, anno salutis 508. dissipauit & perdidit. Deinde verò Arnolphus Imp. restauratam adauxit. Firmissimo ponte lapideo plurimorum arcuum, ciuitas hæc cum suburbio iungitur. Vide Munsterum & Argentinensium chronica, quæ septem appellationes diuersas huius vrbis recensent.

MONACVM, NOMINATISSIMA BAVARIÆ CIVITAS.

OENIPONS.
Inſpruck

FRISINGENSIS Episcopalis ciuitatis icon.

NORDLINGA Ciuitas imperialis sita in Rhetia inferiori transdanubiana, vulgo, Rieß dicta.

RATISPONA antiquissima Bauariæ vrbs, Danubij ripis adiacet.

STRAVBINGA oppidum Bauariæ.

VIENNA.

VIENNA, Austrialium ciuitatum, regionisque Metropolis, ad flumen Danubium sita, qui medius Austriam secans, sexaginta amnibus ferè nauigabilibus auctus, in pontum vastis sex fluminibus euoluitur, memorabiles & maximi nominis vrbes alluit, quarum omnium opulentissima, ac vetustissima Vienna, cuius appellationem alij ab antiquo eius nomine Flauiana, alij à paruo flumine, quod inter ciuitatis suburbia labitur, deducunt: Olim etiam Iuliobona & Vindobona vocata. Vrbs hoc tempore clarissima, inexpugnabili murorum ambitu, prælatis fossis, aggere, & vallo cingitur: Mœnia deinde spissa & sublimia, frequentes turres, & propugnacula ad bellum opportuna habent, vt sola Vienna, vnicum sit Christianorum contra Turcarum furorem propugnaculum & munimentum. Suburbia maxima sunt, & ambitiosa, ædes ciuium amplæ, area, & picturis ornatæ, structura solida & firma, altæ domorum facies, magnificæque visuntur. Templa Deo, sanctisque dicata, & ampla & splendida secto lapide constructa, perlucida sunt, & columnarum ordinibus admiranda, quorum principem obtinet locum nobile S Stephani fanum. Cellæ vinariæ adeo profundæ sunt & spatiosæ, vt sub terra non minùs, quàm supra terram ædificiorum apud Viennam esse fertur. Platearum solum, stratum lapide duro, vt neque plaustrorum rotis facilè conteratur. Annonæ, & potissimùm vini, incredibilis copia, adeo quidem vt ducentos & mille equos quadraginta dierum vindemia exerceat. Omnium facultatum Vniuersitate, in qua honorum & Poëseos conferuntur insignia, nobilitatur: quam Fredericus II. Imp. Aug. Anno salutis M. CC. XXXVII. ex Romana & Parisiensi instituit. Anno Domini M. D. XXIX. Solymannus, ferox Christianorum hostis, confertissimo exercitu hanc vrbem adortus, immani sæuitia eam obsedit, & muralibus labefactatam tormentis, quater cum maxima suorum strage oppugnauit. At tandem XXIIII. obsidionis die, spe potiundæ vrbis reiecta, exercitum suum abduxit.

BVDA.

DANVBIVS omnium, quos Europa habet fluuiorum maximus, mediam Hungariam interfluit, eamque in partes, nempe in Citeriorem, & Vlteriorem scindit. Citerioris Hungariæ caput est BVDA, Regni auita sedes, sic denominata, vti plerique existimant, à Buda conditore fratre Attilæ regis, vel, vt alij scribunt, à Budinis Scythiæ populis. In hac vrbe, Sigismundus Rex superbissima statuit ædificia, exædificauit quoque in arce Palatium, multum Romanæ referens antiquitatis: muro arcem obduxit, ambulacrisque amœnissimis exornauit, in media ferè arce, turrim amplissimam fundauit ex quadrato lapide, sed morte præuentus, initum opus non absoluit. Ex altera Danubij ripa, in Pestana ciuitate, quæ è conspectu est, molem posuit, in arcis obiectæ speciem, vt hinc supra Danubium perpetuo ponte arcem vtramque coniungeret. Verùm mors inuida tam superbi operis initium intercepit. Quod si facere potuisset, Traiani pontem, quem in superioris Mysiæ ripa quondam ille fecerat, proculdubio superasset. Porrò, Pestum 30. millibus passuum à Vatia, in eadem ripa, atque in Budæ nouæ conspectu situm, à Pestanis fortasse militibus, vigente quondam Imperio Romano, ædificatum est. Hæc Munsterus. Si vrbis situm inspicias, ex parte montosa, & validis est propugnaculis firma, vt nec quicquam munitius, nec amœnius, in tota fermè Hungaria inueniri possit. Publicis, priuatisque ædificijs ornatissimis, præ cæteris in ea regione vrbibus, clarissima. Agrum habet variorum fructuum vbertate luxuriantem. Nunc verò, non sine maximo Christianorum detrimento, à Turcis Buda tenetur, qui eam Anno Domini M. D. XXIX. inuaserunt.

VIENNA AVSTRIÆ METROPOLIS, VRBS TOTO ORBE NOTISSIMA CELEBRATISSIMAQ. VNICVM HODIE IN ORIENTE CONTRA SÆVISSIMVM TVRCAM INVICTVM PROPVGNACVLVM.

BVDA, vulgo Ofen, prima & regia Vngarici regni urbs, ad Danubium sita: Quam Ptolemæus Curtam, vel, vt alijs persuasum est, Sabum nominat. Fran. Ire:

MEDIOLANVM.

MEDIOLANVM, potentissima ciuitas, vniuersæ Galliæ Cisalpinæ metropolis, à quo condita, & vnde sit eius appellatio dicta, variè ab historiographis proditum est. Originem eius Gallis Liuius tribuit: nonnulli, & quidem verius, ante Gallorum in Italiam aduentum, Bellouesum ex vico eximiæ dignitatis, finitimam Alpibus ciuitatem, Mediolanum ædificasse, eumque Regis sibi nomen sumpsisse, tradunt. Quidam Mediolanum dictum putauere, quòd inter duos amnes, ipsi Lames vocant, vrbs posita sit, Arduam, scilicet, & Ticinum: Alij, ab animali media parte lanato, in ipsis fundamentis inuento. Cato, priùs Olanam, ait dictam, à Thuscorum duce: dein ab Insubrium Principe, Medo, adauctam, nomen accepisse, Mediolani. Aliter Alciatus in Emblematis, aliter alij scribunt. Vrbs est Mediolanum opportuno admodũ situ, quo præter agri ipsius vberrimas fruges, è Gallia Cisalpina, necessaria quæuis comportari possunt. Hinc quàm plurimos Imperatores, contra Gallos atq; Germanos bellandi oportunitate ductos, hîc consedisse, legimus. Sepius etenim Mediolani Cæsar constitit, frequenter Nerua. Nam valde Traiano placuit locus vt Regiam hîc ædificârit, quod nunc palatium dicitur. Habitauit hîc etiam Adrianus. Item Maximianus Herculeus, qui mœnibus hanc vrbem ornauit, murum secundum adiecit, eamque amplificauit, & ædem Herculi in ea posuit, quæ nunc D. Laurentio Martyri, est dicata. Iuxta quam columnis XVI. marmoreis domum sumptuosissimam Imperatorum vsui ædificauit, quam incendio perijsse scribit Meruea, vt solæ columnæ sint relictæ. Philippus etiam Imperator Christianus, hac in vrbe resedit, & post eum Constantinus, Constantiusque. Item Iouini, anus, Valens, Valentinianus, & Theodosius. Mediolanum amplissimum complectitur spatium, adeò quidem, vt maximis totius Europæ ciuitatibus annumeretur. Eius suburbia, latæ aquarum fossæ, cingunt, per quas vndique nauigijs, maxima annonæ copia defertur. Tam multa sunt hîc, tamque diuersa artificum genera, vt inde vulgi sit natum prouerbium: Qui Italiam reficere totam velit, eum destruere Mediolanum debere, nimirum, quò ex his sedibus, artificum examina, per omnes Italiæ partes, spargantur. Quin etiam liberales disciplinæ hîc cultæ fuerunt. Vergilius siquidem, Mediolani litteris operam dedit. Summam huius Reipub. potentiam arguit, quòd post frequentissimas hostium direptiones, quibus vniuersa diruta, soloque æquata fuit, in tam vastam magnitudinem rursus excreuerit. Varia, & funesta eius excidia. Gibellinorum etiam, & Guelphorum exitiabiles vniuersæ Italiæ factiones, Mediolani Anno Domini M. CCC.X. natas, Munsterus in Cosmographia sua, recenset. Habet vrbs ædificia mirè splendida, atque magnifica, præcipuè verò, ædem peraugustam, quàm Domum vocant, immenso sumptu, ac tam admirabili arte factam, vt paucis omnino orbis terrarum templis conferri possit, siue magnitudinem & artificium, siue præcia marmorum ac ornamentorum spectes. Etenim, non solum vndique foris intusque crustis niuei marmoris intecta nitet, verùm etiam mirabilibus ex marmore statuis, arte summa elaboratis, est exornata. Sunt & nobilia fana permulta, inter quæ Gratiarum ædes. Cœnobium huic fano insigne cohæret Prædicatorum, cum præclara Bibliotheca, celeberrimis Italiæ totius addenda: Priuatorum etiam in vrbe domus, amplissimæ permultæ conspiciuntur. Est & arx Portæ Iouiæ munitissima, inexpugnabile ac præcipuum totius Europæ propugnaculum, quod vlla profectò vi capi nunquam potuit, quanquam per annonæ, rerumque necessariarum inopiam, id aliquando contigerit, vt in Ephemeridibus Latinis, Leander demonstrat. Insuper, est curia vetus, vbi modicum D. Gothardi fanum, nobilibus aliquot Vicecomitum sepulchris decoratum. Italiæ Reges, tum etiam Imperatores Augusti, Imperij solennia, coronam ferream, ab huius vrbis præsulibus sumere solent, idque ex constitutione Theodorici Ostrogothorum Regis. Alexander Quintus eius nominis Pontifex summus, Barnabam D. Pauli condiscipulum, primum fuisse Mediolanensis Ecclesiæ Antistitem scribit. Cui interpositis alijs pijs, doctisque viris, D. Ambrosius successerit clarissimum Ecclesiæ lumen, qui D. Augustinum celeberrimum illum Doctorem Theologum Mediolani ad fidem Christi conuertit, & deinde anno post. N. C. Trecentesimo Nonagesimo tertio, ex eadem hac ciuitate, ad æternam beatorum patriam, emigrauit.



And. Alc Des armes
de ceste Ville
de Milan

L'enfant naissãt d'un Serpent par la bouche
De ton clair Sang les nobles armes touche,
Nous auons veu d'Alexandre Monarque
Pour s'annoblir, monnoye à belle marque
Quand fils d'Ammon sous forme Serpẽtine
Se dict conceu par Semence diuine
On dict Serpens par bouche Serpenter
Née est Pallas du cerueau de Jupiter

MEDIOLANVM Metropolis Insubrum, vulgò Milano, vrbs potentiæ & dignitatis eximiæ, quæ ob præstantẽ loci commoditatẽ, Imperatorũ Romanorum sedes, plerumq; fuit, qui superbissimis eam ædificijs exornarunt. Circa quam nobilis regio tum coeli temperie, tum soli fertilitate, et affluenti rerum copia, vnde ciuitas suo abundans populo, et proprijs nitens viribus, semper gentis fuit caput, et quotiens euersa, post excidium restituta, vbertate agri, et propinquitate Alpium, ex quibus hominum copia affluit. Ingẽti incremento res Mediolanensis tempore Gratiani Cæsaris aucta erat. Nã quingentos et amplius annos, neq; ab externo hoste, nec intestino bello Insubres vexati fuere. Durauit illa foelicitas vsq; ad D. Ambrosij tẽpora, quib⁹ Arriana heresis, maximis calamitatib⁹ hanc vrbẽ affecit. Deinde Attila in Italiã ingress⁹ Mediolanum diruit, Instauratũ, aliquãto tẽpore quieuit. Mox à Longobardis maximis agitatur molestijs, Quib⁹ à Carolo Magno domitis, ãnos trecẽtos et sexagĩta floruit. Deĩde verò Fridericus Barbarossa Mediolanũ solo æquauit. Cuius incolæ tandẽ Parmensiũ et Placentinorũ ope, tanto animorũ ardore patriã restaurarũt, vt multo quam ante ditior, potẽtior, frequentiorq; extiterit. Quod sanè maximã huius vrbis potentiã arguit, quod post tam frequẽtes hostiũ direptiones, in tantã magnitudinem rursus excreuerit.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIAE.

DE primis Venetiarum initijs,diuersa historiographi tradunt,Sabellico Leandet subscribit,prima huius inclytæ vrbis initia,in annum à C.N.CCCC.XXI.incidere,quo tempore fama iam erat sparsa,transgressuros Danubium Hunnos,Italiæ inuadendæ causa. Itaque Aquileienses,& Patauini,ferocissimi hostis terrore, & ob vrbium suarum interitum, Adriatici maris insulas fuga occuparunt,& initio in Riuum altum se recipientes,prima Venetiarum vrbis fundamenta iecêre. Sitæ sunt in intimo sinus Adriatici recessu, Insulas ferè LX. (adiectis tandem alijs duodenis)paruo inter se spatio disiunctas, intercurrentibus euripis,continent. Quas à vehementiori maris impetu, agger tenuis, littus vocant, artificio prouidæ naturæ, prætentus, tuetur: Is curuus, instar arcus, & ostijs quinis interruptus,quę singula modicum portum efficiunt,nauigijs & aquis marinis aditum in æstuaria præbent. Opportuna habet flumina, quibus res omnes, cùm ad hominum vsum, necessitatemque, tum ad delitias ac voluptates vtiles, inuehuntur. Vt (quod dictu mirabile) in qua vrbe nihil fermè gignitur, in ea omnium maxima & incredibilis exuberet copia. Quare non immeritò à Iasone, L. Si insulam.ff.de verb.oblig. paradisus delitiarum appellatur. Quid de piscium abundantia,de ædificiorum splendore, de sacratissimarum ædium ornamentis,de venerandorum Patrum prudentia, referam? non immeritò ingenuè fatentur omnes, tam potentem, tam nobilem,tam illustrem,tam opulentam Rempub. Deorum immortalium nutu fundatam,eorumque prouidentia in hodiernum vsque diem moderatam esse. Quæ quidem ad tantum maritimæ fortunæ culmen erecta fuit,vt Domina ac Regina maris,ab omnibus semper habita,& ab Illustrissimo Ioanne Austriaco Cæsaris Caroli V. summi omnium Imperatoris filio,ac Philippi Catholici, ac Maximi Regis fratre, sit salutata eo tempore,quo anno superiore M.D.LXXII. die VII.Octob. Augustini Barbarij Patritij Veneti prudentissimis instructus consilijs,innumerabilem Turcarũ exercitum fudit,vniuersam ferè classem cepit,ac tandem de immanissimo ac fœdifrago hoste, in Epiro,ad Echinadas triumphauit.Innumera hîc mortalium,varijs ex orbis partibus,corporum vario cultu,multitudo negotiatur. Ciuitas tota triplici ordine populi cõstat,Patritij sunt,Ciues,& plebs artificum. Imperij ac Reipub.auctoritas apud Patritios consistit,qui cùm ipsam vrbem,tum ciuitates oppidaque ditionis Venetæ, moderantur. Vrbs in regiones est diuisa senas, proinde Sextaria vocant. Plebanicas congregationes habet LXXII. Cœnobia XLI. quorum decem & septem conuentus monachorum sunt, quatuor & XX. virginum. Fora habet coniuncta tria. In capite, quod littus spectat,columnæ peringentes binæ cernuntur, quarum vna D. Marci, leoninum alatum signum: altera, D. Theodori statuam sustinet. In ipso intercolumnio,supplicia de condemnatis sumuntur. Exornatur forum sumptuosissimo ac mirabili templo D. Marci, è nobilissimo preciosissimoque marmore,non minore artificio quàm sumptu constructum,cuius magnificentia,maximi & stupendi precij thesaurus, hoc loci propter angustiam explieari non potest. Integro D. Marci corpore exornatur. Vicos riui diuidunt, at transitus vbique pontibus coniungitur, vel ligneis,vel lapideis,quorum in vniuersum,tam plublici, quàm priuati, CCCC. censentur. Nauicularum numerus, quibus ciuitas peragratur, VIII. millium amplius esse putatur. Est etiam intra vrbis ambitum nauale,locus mœnibus vndique validis munitus, & cum opportunis ad custodiam turribus, quem Arsenale nominant. In quo perpetuò CCCC. occupantur homines, triremibus, ijsque rebus, quæ ad nauigationem requiruntur, conficiendis intenti, quorum stipendia M. CC. in hebdomadam aureorum nummûm sunt. In ipso nauali, nauium longarum, quæ in pontibus,ad omnem occasionem paratæ, perpetuò sunt,numerus, ad CC. est, præter alia nauigia minora. vnde vires, opesque,& amplitudo rei Venetæ,quæ profectò nunc Italici nominis gloria, decusque sola est,facilè possunt intelligi. Præpotentem hanc vrbem, eiusque ditiones ac regna,Centuriones,atque Tribuni, ad annum Christi Septingentesimum gubernarunt,deinde Ducis auctoritate administrari cœpit. Qui tam subtili sortitione eligitur,nullus vt ambitiosus,vanæque gloriæ cupidus,in tantam se dignitatem intrudere queat.

NOME DE TRI PRINCIPALI

I Rio della Trinita
II Dei Saloni
III Del Spirito santo
IIII De san Vio
V De san Trouaso
VI De san biasio
VII De santa maria maggiore
VIII Della croce
IX Rio marin
X De san giouanne decola
XI Della pierpola
XII Dalle doi forre
XIII De san castan
XIIII Della beccaria
XV De san siluestro
XVI Della madona
XVII De san polo
XVIII Della fraſca
XIX Da cha foschari
XX Della mal paga
XXI De canareglio
XXII De san marcola
XXIII De san felice
XXIIII De santo Apostolo
XXV Del fontego di todeschi
XXVI De san saluador
XXVII Rio menudo
XXVIII Dall'albero
XXIX Rio menudo
XXX De palazzo
XXXI Dei schiaoni
XXXII Della pieta
XXXIII Dell'arsenal
XXXIIII De castello
XXXV De santo Ixepo

TVTTELE CONTRA DE OVERO
Parochie di Venetia

1 S. Piero da castello patriarcato
2 S Biasio preti
3 S Martin preti et anco hosp.dale
4 S. Giouanni in bragola preti
5 S. Antonin preti
6 S. Seuero preti iurisdition delle monache di san lorenzo.
7 S. Prouolo preti iuridito delo monache de san Zaccaria.
8 S. Trinita preti
9 S. Giouanne nuo preti
10 S. Marco off.li da anonimi dell'ill.mo Sig.
11 S. Pholo preti
12 S. Giuliano preti et s.ula margaria
13 S. Maria formosa preti
14 S Lio preti
15 S. Marina preti
16 S. Maria noua preti
17 S. Cantian done e ditraghetto di mur.o
18 S. Gio grisostomo preti
19 S. Apolle pretiua en traghe rialto
20 S. Sophia pti qui e straz.che luna alla pescaria de rialto
21 S. Felice pti qui e straz.che luta alla calle
22 S. Foscha preti. de botteri
23 S. Marig magdalena preti qui e un traghetto che luta a san Thai
24 S. Marcuola preti qui e un traz.che luta al pal. del duca di ferrara
25 S. Leonardo preti
26 S. Hieremia preti qui e un traghetto che luta a riua de biasio
27 S. Moisse pti qui e un traghe luta alla
28 S. Paternian preti Ierusalem
29 S. Luca preti
30 S. Frantin preti
31 S. Benetto preti qui e un traz.che luta a san polo
32 S. Antolo preti
33 S. Maria giubenigo preti qui e un traz.che luta a san gregorio
34 S. Mauritio preti
35 S. Vidale pti qui e un traz.che luta alla carita
36 S. Samuello pti qui e un traz.che luta a san barnaba
38 S. Giouanne de rialto pti.
39 S. Matthia de rialto preti
40 S. Casian preti
41 S. Siluestro preti qui e un traz.che luta alla riua del carro
42 S. Apponal preti
43 S. Maria mater dolor
44 S. Stin preti
45 S. Giacomo dallorio p
46 S. Giouan decola preti
47 S. Auguſtin preti
48 S. Polo preti
49 S. Boldo preti
50 S. Giemmiano preti
51 S. Simeon grande preti
52 S. Stin preti
53 S. Simon piccolo preti
54. S. Pantalon pti done sta il corpo. Andra loredan il qual a gra qualita e antiquita de marmi fromej et el qui sorte meglio alle che sono miraculoso da nedere si che par ef fer in un altra roma

DELLE COSE PIV NOTABILI

131 Arsenale nuuo
132 Arsenale vecchio
133 Porta dell'arsenal
134 Il Signor bartholamio coglione
135 La bocca della marcegna sopra il relorio
136 Le due colonne done ſe fa la giustitia
137 Il campall de san marco
138 La percuratia noua de san marco
139 La zeca
140 La peſcaria de san marco
141 Il fontego di todeſchi
142 Li magazeni da ſale
143 La abatia de murano
144 Gherro done ſtano li helirei
145 Le caſe da ca moro
146 Bersaglio done ſe ſer citan lebbetarchieri
147 Peſcaria di rialto
148 Il ponte da caſtello et e di legno
149 Il ponte de bareteri ſu la marzaria
150 Il ponte di rialto e di legno, co molte botteghe ſopra dall'una et l'altra parte et e largo dui parte
151 Il ponte di canaregio e di legno
152 Il ponte de la paglia
153 Campalto

VENETIA.

S. Segondo frati
S. Maria monache
S. Giorgio d'Alega frati
S. Biasio catolde monache
Ognissanti frati
S. Andrea de la Concordia
S. Como e damiano frati
Canale de della Giudeca
La Croce monaci
S. Gio Battista frati
La Giudeca
S. Marco frati
S. Clemente frati
Poueglia
S. Spirito frati
Chioza Vescouado e podestaria
S. Maria da chiosa
Malamocho Podestari
S. Bernardo monache
Matthia frati
S. Gio.ni de Paludo frati
Lauorade li angeli monache
S. Nicolo de Lio frati
S. Cipriano badia
Mazorbo
Burani
S. Franc.o del deserto
Muran Podestaria
S. Christoforo frati
Lazaretto nouo
Torcelo Vescouado e Podestaria
S. Andrea da lio frati certosini
S. Helena frati
S. Lazaro
S. Seruolo monache
Lazareto Vecchio Hospedal della sanita

CVM PRIVILEGIO.

Serenissimus Venetiarum Dux, cuius honor perpetuus, hoc habitu (
preseruentur: ostio ex serico, bina cruenea, totidem alba, cætera
et sex cum reli-

NOME DE I RII PRINCIPALI

I Rio della Trinita
II Dei Saloni
III Del Spirito santo
IIII De san Vio
V De san Trouaso
VI De san baseio
VII De santa maria maggiore
VIII Della croce
IX Rio marin
X De san giouanne decola
XI Della pergola
XII Dalle doi torre
XIII De san castan
XIIII Della beccaria
XV De san filiestro
XVI Della madona
XVII De san polo
XVIII Della fraſca
XIX Da cha foschari
XX Della rial paga
XXI Di canaregio
XXII De san marcola
XXIII De san sofeo
XXIIII De santo Agostolo
XXV Del sontego di todeschi
XXVI De san saluador
XXVII Rio menudo
XXVIII Dall'alboro
XXIX Rio menudo
XXX De palazzo
XXXI Dei sofianni
XXXII Della pieta
XXXIII Dell'arsenal
XXXIIII De castello
XXXV De santo Isepo

TVTELE CONTRA DE OVERO Parochie di Venetia

1 S. Piero da castello patriarcato
2 S Biasio preti
3 S Martin preti et anco hospedale
4 S. Giouanni in bragola preti
5 S. Antonin preti
6 S. Seuero preti iurisdition delle monache di san lorenzo
7 S. Prouolo preti iurisditio delle monache di san zaccaria
8 S. Trinita preti
9 S. Giouanne nouo preti
10 S. Maria oſſ.a de annonciati dell'ſſ. Ord.
11 S. Raſso preti
12 S. Giulian preti et S.ta Margarita
13 S. Maria formoſa preti
14 S. Lio preti
15 S. Marina preti
16 S. Maria noua preti
17 S. Cantian done e el vesdabeto di mur.o
18 S. Gio grisolo ſonno preti
19 S. Apoſt.o preſso i un trag.o de rialto
20 S. Sophia preſso el trag.o che buta alla peſcaria de rialto
21 S. Felice preſso el trag.o che buta alla calle
22 S. Roſcha preti. de i botteri
23 S. Maria madalena preti quel un trageto che buta al S.an Thi
24 S. Marcuola preti quel un trag.o che buta al pal. del duca de ferrara
25 S. Leonardo preti
26 S. Hieremia preti quel un trageto che buta a ruga de biaſo
27 S. Moſe preſso el quel un trag.o che buta alla
28 S. Paternian preti Trinita
29 S. Luca preti
30 S. Fruntin preti
31 S. Benedo preti quel un trag.o che buta a san polo
32 S. Antonio preti
33 S. Maria giubenigo preti quel un trag.o che buta a san gregorio
34 S. Maurizio preti
35 S. Vidale preſso el quel un trag.o che buta alla carita
36 S. Samuello preſso el quel un trag.o che buta a san barnaba
38 S. Giouanne de rialto preti
39 S. Matthia de rialto preti
40 S. Caſſan preti
41 S. Siluestro preti quel un trag.o che buta alla ruga del cafaro
42 S. Apponal preti
43 S. Marin mater dolore
44 S. Stai preti
45 S. Giacomo dallorio preti
46 S. Giouan decola preti
47 S. Auguſtin preti
48 S. Polo preti
49 S. Polo preti
50 S. Girolamo preti
51 S. Simeon grande preti
52. S. Stin preti
53 S. Simon piccolo preti
54. S. Paternian preti done ſta il clarey Andrea loredan el qual a gra. qualita d intaiadure de marmi fironzi et el ogni ſorte meda glie che ſono miraculoſo da nedere ſi che par ef fer in un altra roma

53 S. Margherita preti
56 S Bartolamio preti
57 S Raphael preti don e il trag.o di luza ſoſina
58 S Nicolo preti
59 S Tonaſo preti qui e el trag.o che buta alla giudeca
60 S Tamao preti qui e vn trag.o che buta a S. ſtephano
61 S Baſegio preti
62. S. Agnese preti
63 S Vido preti
64. S Saluador frati qui e la ſcola grando di S todoro.
65 S Bortolamio preti
66 S Gregorio preti
67 S Marciliano preti
85 S Iuſtina monache
101 S Lucia monache
109 S Groſe monache
ff S Fumia

ALTRE CHIESE

71 Anna monache
72 Leuergine monache
73 Daniele monache
74 Dominico frati
75 Bartolamio hoſpendale
76 Iseto monache
77 Ieſu Chriſto hoſpedale
78 Antonio frati
79 La madona de l'arſenale
80 La ca de dio
81 Sepulcro monache
82 La pieta
83 La celeſtia monache
84 S Francisco della vigna frati
85 S. Giouan de furlani priorado
87 S Giorgio di greci preti greci
88 S Lorenzo monache
89 S Zacharia monache
90 S Gioane polo frati
111 Scuola grande de san marco
172 S Gio lateran monache
91 L' hoſpidal de san gio anne polo
92 Madona di miraioli monache
93 I croſechieri frati
94 S Catterina monache
95 S Maria della valuerde detta la miſericordia ſcuola grilde et priorado
96 S Maria dell'orto frati
97 S Aluiſe monache
98 I ſerui frati
99 S Hieronimo monache
100 S Ioſ frati.
101 Il corpus domini monache

DELLE COSE PIV NOTABILI

131 Arſenale nuouo
132 Arſenale vecchio
133 Porta dell'arſenal
134 Il ſignor bartholamio coglione
135 La bocca della marca za ſotto il relogio
136 Le due colonne doue ſi fa la giuſtitia
137 Il campall di san marco
138 La procuratia noue de san marco
139 La zecca
140 La peſcaria di san marco
141 Il ſontego di todeſchi
142 Li magazini dal ſale
143 La doana da mare
144 Ghetto doue ſtano li hebrei
145 Le caſe da cà moro
146 Berſaglio doue ſi ſer citan li bobardieri
147 Peſcaria di rialto
148 Il ponte da caſtello et è di legno
149 Il ponte di barreteri ſta marz.aria
150 Il ponte di rialto è di legno coi molte botteghe ſopra dall'vna et l'altra parte et ſi apre due parte
151 Il ponte di cauaregio è di legno
152 Il ponte da la pagia
153 Campalco

GENOA.

GEnoa Ligurum in Italia caput, Liguſtico adiacet mari, potens, ſuperba, atque antiquiſsimæ originis ciuitas, vel à Iano Italiæ Rege, ac deinde à Iano Troianorum Rege aucta, vel à Iano Genio Priſco, vel à Genuino Aegyptio, vel à Genuo Saturni filio, primùm ædificata, vel denique à ſitu, curuaturæ genu reſpõdente, denominata perhibetur. Situ tali eſt: Fronte meridiem ſpectat, ampliſsimè circa littus conſurgens, dorſo Septentrioni obuerſo, leniter in planitiem, veluti ad quieſcendum deſcendens, montium innixa radicibus, quorum à tergo contra ſæuorum Septentrionum afflatum vallo munitur, non tota montoſa, nec viciſsim tota plana. Inſigni portu fortiſsima mole, ſecuræ ſtationis cauſâ præmunito, mercatuq; ampliſsimo, nobilis eſt. Semper autem & in negotiando induſtrios, & ad res ſummas, tam terra, quàm mari gerendos, ſummos homines genuit. Qui ſæpius infideles Chriſtianorum hoſtes armis ſuppreſſerunt, ſæpè debellarunt Piſanos, ſæpè item à Venetis alijsque potentiſsimis populis, & Regibus ſpectabiles retulerunt victorias, vt plurimas ciuitates & inſulas ditionis ſuæ fecerint. Vnde tantis incrementis, tum populi ac ædificiorum, tum opum creuit hæc ciuitas, vt nomen adepta ſit Genuæ ſuperbæ. Variam Reipub. formam diuerſis temporibus habuit, nunc Hiſpaniarum Regem agnoſcit dominum, & à Duce, annali electione deſignato, gubernatur ac regitur.

FLORENTIA.

FLorentia Hetruriæ Metropolis vrbs omnium florentiſsima, iacet ad Arnum, quo medio ſecatur, & quatuor eximijs coniungitur pontibus, ab Oriente ac Septentrione collibus amœniſsimis, & vndique fructiferis arboribus veſtitis cincta medij theatri inſtar, Occidentali latere pulchram in planitiem incedens, Appennini aliquot brachijs contra vim externam & incurſiones eſt munita, videturque ferè vmbelicum Italiæ tenere. Nobili gente frequens perpetuò fuit, & ſi cui familias honeſtas, hinc tanquam è ſeminario in alias vrbes Italiæ profectas cognoſcere libebit, commentationes in Dantem Chriſtophori Landini adeat, is enim operis eius initio multis hac de re tractauit. Florentiam duplices habuiſſe muros, eoſdemq; à Pheſulanis & Barbaris eſſe deiectos, ac ciues deſerta vrbe in vicina oppida conceſsiſſe, author eſt idem Landinus. Deſolatam ita vrbem ad annum poſt C. N. D. CCCII. iacuiſſe, quo Carolus Magnus Roma, vbi tum Imperator Cæſar Auguſtus appellatus erat in Galliam tendens, hîc dies aliquot conſtitit, captusque loci conditione, mœnium nouorum fundamenta, longè prioribus ampliora iuſsit inchoari, propoſito etiam edicto, vt paſsim diſperſi ciues, ad inſtaurandam vrbem redirent. Hoc itaque tempore nouis muris cincta fuit. Adeò ſplendidis, magnificisque ædificijs, ſumptuoſiſsima ſtructura ornatis, tam diuino cultui, quàm ciuium vſui ſumma cum voluptate ſpectantium ornatis Florentia nitet, vt quemadmodum Venetiæ diues, Mediolanum magnum, Genoa ſuperba, Bononia fertilis, Rauenna antiqua, Neapolis nobilis, ac Roma ſancta, Ita Florentia tanquam flos ac pulchritudo Italiæ, Florentia bella ſit nominata. Nobiliſsima vrbis fana, in primis admirabile illud D. Mariæ Floridæ, totum ex marmore cruſtatum, cum hemiſphærio ſtupendi operis, iuxtà turris ſtat eximia tintinabulorũ, tota item marmorea, modicoque pòſt interuallo veterrimum Martis templum, forma rotunda, magno ingenio conſtructum, & nunc D. Ioanni Baptiſtæ ſacrum. Valuas habet ex ære, fuſili opere, tam raro artificio factas, eas præſertim quæ contra fanum D. Mariæ Floridæ ſunt, vt omnes omnino, quibus ingenij vis eſt vlla, reliqua in Europa tota ſimiles eſſe nuſquam arbitrentur. Reliquas miſericordiæ ædes, vti Xenodochia, Expoſitorum brephotrophium, cæteraque loca pietatis ergò conſtituta prætereo, qualia tricena ſeptena eſſe dicuntur. Aedes cenſentur Plebanicæ XLIIII. Prioratus XII. Conuentus virorum mulierumque ſacri LXXVI. Collegia puerorum IX. quas Fraternitates vocant, virorum ſodalitates maximo numero.

GENVA.
La bastia
La forca
S. Bertholome darm
Consolation
Nro dona del monte
Besangno
La bastia de permenton
Il Palazo
Il Arcenal
Ponto de Caina
Ponto do mercatusia
Ponto do Caina
Il molo
La lanterna
Nor vona de gratia
Zarasan
La Cona
Ala fosa
GENVA Ligurum domina atque regina Ciuitas Italiæ celeberrima, in Ligustici maris littore ingenti portu fidam nauibus Stationē præbet; Solum habet macilentum atq; ieiunum, Itaq; prouidos atque sagaces mercatores prodixit, qui ad tantū rerum et diuitiarū conscenderunt fastigium, vt vix vlla in tota Italia ciuitas inueniatur, vbi tot suburbana prædia ingenti fastu recreationis gratia constructa cernuntur, vnde insignis opū magnificentia æstimari potest, vti non immerito tum hanc ob rem, tum alijs etiam permultis de causis, Genua cognominetur superba.
Cum Priuilegio.
FLORENTIA vrbs est insignis Hetruriæ, olim Fluentia dicta, quod sita sit ad fluentum Arni fluminis. Et populi ipsi Fluentini, quorum meminit Cato in originib: vt refert Angelus Politianus in quadam Epistola ad Bartholomæū Scalam. Pulcherrimis tam publicis, quam priuatis ornata ædificijs, et montibus vndiq; septa, ex quibus, dictu mirum, quanta oblectatione visus in hanc vrbem pandatur, Nobilium hominum sedes est, & præstantissimorum ingeniorū feracissimus ager
FLORENTIA
Cum priuilegio

ROMA.

ROMA Domina & Regina vrbium, totiusque mundi caput, quem ferè vniuersum fortissimorum virorũ rebus præstantissimè gestis, suo imperio subegerat. De primis eius conditoribus tam multæ & variæ sententiæ, quàm diuersi scriptores inueniuntur. Sunt, qui existimant Euandrum ex Arcadia fugientem ea occupasse loca, vbi nunc Roma conspicitur, ibidemque oppidulum inuenisse aliquod, Valentiniana dictum, quod ab ipso amplificatum, Romę nomen deinde sit consecutum. Alij tradunt, Remum & Romulum Aeneæ filios vrbis huius conditores fuisse, quos tamen alij Aeneæ nepotes ex filia dicunt. Verùm Dionysius Halicarnasseus ante Troianorum & Aeneæ in Italiam aduentum Romam extitisse, ex antiquo scriptore Antiocho Syracusano docens, hæc eius verba recenset. Posteà quàm Italus consenuisset, Morges pro illo regnauit, ad quem vir quidam nomine Syculus Roma profugus venit. Hac oratione satis indicauit, Romam aliam excidio Troiano superiorem extitisse. Communior ferè omnium sententia est, Romam à Romulo dici. Quippe cùm is Romam viribus & robore iuuenum affatim à se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandem consilij ope fulcisset, ex venerandæ senectutis ciuibus, qui tunc aderant, centum elegerit, quos ob honorem, Patres, ob ætatem Senatores appellauit, portas designauerit, tribus diuiserit, præsidiarios conuocauerit, tribunos celerum creauit, & nouam denique Reipub. formam instituerit. Ita vt Romulus inclytæ huius vrbis augustissimum fœlicissimumque principium collocasse videatur. Quæ temporum deinde successu, tot Senatores eximios, tot clarissimos fortissimosque Duces, tot egregios Imperatores vniuersi propemodum orbis domitores tulit, vt iure, Mundi caput, & à Cicerone oratione pro Sylla, Arx regum & nationum exterarum, lumen gentium, & Imperij domicilium sit appellata. Eius ambitum Plinius ex traditione Augusti scribit milia passus viginti. Flauius Vopiscus Aurelium Imperatorem ambitum vrbis ad triginta milia passuum auxisse refert. Tota deinde eius area, ad tantam amplitudinem deuenit, vt in circuitu collegisse dicatur viginti milia passuum, quæ quinque ferè miliaria Germanica efficiunt. Regionibus XIIII. quondam diuidebatur. Portas suburbiorum & vrbis in vniuersum numero XXIIII. fuisse, refert Plinius. Liuius autem ponit XXXVII. Turres Imperio florente circum vrbem erant DCCXXXIIII. In quibus cùm ita res ferret, præsidia collocabantur. Nunc turres solummodo CCCLXV. Portæ XX. supersunt. Nec quæ nunc extant turres, itemque muri, veterum operum fundamentis insistunt, neque materia eadem constant. Sed quia frequentissimis Barbarorũ incursionibus vrbs planè vastata atque subuersa fuit, omnia mutata sunt, ac conuersa, reparatorum pro tempore arbitrio. Septem Roma continet montes, rupes, siue colles, de quorum diuersa appellatione varias scriptorum referre sententias, nimis tædiosum ac longum foret. Magnificentissimæ etiam tam Deorum, nunc Christi & Sanctorum, summorumque hominum ædes quæ his montibus continentur, absque tædiosa verbositate recenseri nequeunt, quemadmodum nec reliqua vrbis templa, præstantissimæ Sanctorum reliquiæ, pontes, arcus triumphales, thermæ, theatra, antiquitatis monumenta. De quibus peculiares variorum conscripti libelli extant. Fertur de Constantio Imperatore, quòd is Campum Martium, cum admiratione inspiciens, sepulchrum Augusti Cæsaris, tot æreis, atque marmoreis simulachris ornatum, forum Romanum, Iouis Tarpei delubra, thermas, porticus in prouinciæ modum auctas, amphitheatrum, Pantheon mira altitudine spacioſis molibus formatum, templum pacis, Pompei theatrum, circum maximum, tot arcus triumphales, tot aquæductus, tot statuas per vrbem ad ornatum positas, obstupuisse, ac tandem dixisse: Naturã omnes vires in vnam vrbem effudisse. Etenim insignes superbissimorum ædificiorum ruinæ, priscam vrbis magnificentiam, non obscurè demonstrant. Tyberis fluuius, à Septentrione vrbem ingreditur, & ex latere meridionali, Hostiam versus, effluit. Sed quid plura de tanta, tamque magnifica vrbe commemorem? In qua legitimus & ordinarius D. Petri successor, Maximus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, residet, venerandæ S. Apostolorum, & Martyrum cernuntur reliquiæ, vbi ius Christiano orbi præscribitur. In qua denique suauissimæ Musæ, vniuersam Græciam deserentes, sedem ac domicilium inuenerunt. Vt verissimè Cicero lib. 3. de natura Deorum tradat: Quemadmodum nihil in vniuersa rerum natura mundo, sic in terris nihil Roma melius, nihil præstantius inueniri. Amplissima etiam viuersitate inter quàm plurima ornamenta, vrbs Romana nitet, de qua D. Iacobus Middendorpius, in suo de vniuersitatibus libro, copiosè disserit.

ROMA.

CVM PRIVILEGIO

PORTAE

A Porta Flaminia nunc populi.
B P. Collatina nunc Pinciana.
C P. Collina nunc Salaria.
D P. Viminalis nunc S.Agnetis.
E P. nunc clausa iam Quirquetulana.
F P. Esquilina. nunc S.Laurentij.
G P. Prænestina, nunc Maior.
H P. Cælimontana, nunc S.Ioannis.
I P. nunc clausa iam Gabiusa.
K P. Latina.
L P. Capena nunc S.Sebastiani.
M P. Ostiensis, nunc S.Pauli.
N P. Naualis, nunc Portuensis.
O P. Ianiculensis nūc S.Pancratij.
P P. Fontinalis nūc Septimiana.
Q P. S.Spiritus.
R P. post erulâ Pertulâ et Vaticanâ. Ideo obmissus q; quū receptores sint, in aliquo urbis pomario nū fuerunt.
S P. S.Petri.
T P. S.Angeli alias Castelli.

MONTES

1 Mons Palatinus dicitur palaᵐ maggiore.
2 M. Tarpeius dicitur capitolium.
3 M. Auentinus vbi est Ecl.S.Sabinæ.
4 M. Cælius vbi est Ecl.S.Io.et Pauli.
5 M. Esquilinus vbi est Ecl.S.ad vincula.
6 M. Quirinalis dicitur Monte Cauallo
7 M. Viminalis vbi est Ecl.S.Lau.in palisperna.
8 M. Ianiculus vbi est Ecl.S.P.in montorio
9 M. Vaticanus vbi est Basilica S.Petri
10 Collis hortulorū vbi est Ecl.S.Trinitatis.
11 M. Astorius.
12 M. Iordanus.
13 Doliolum vulgo M.Testaccio.

PONTES.

14 Pons AElius vulgo S.Angeli.
15 P. Vaticanus alias Triumphalis.
16 P. Ianiculus vulgo S.Sixti.
17 P. Fabritius vulgo de quatro Capi.
18 P. Cestius vulgo S.Bartholomei.
19 P. Palatinus vulgo S.Mariæ.
20 P. Sublicius alias AEmilius.

AQVÆ. ET AQVAE DVCTVS.

21 Aquæ ductus Claudiæ.
22 Aquæ Marciæ.
23 Aq. Augustæ.
24 Aq Virginis vulgo Fons Trinij.
25 Aq. Calbra vulgo la marana.
26 Aq Sabatina.

THERMAE.

27 Th. Agrippæ vbi est la Ciambella.
28 Th. Antonini caracallæ vulgo Antoniana.
29 Th. Diocletinæ vulgo Termini.
30 Th. Constantinianæ in M. Cauallo.
31 Th. Neronis alias Alexandrinæ prope Agonē
32 Th. Seuerianæ in trasteuere ppe P. Septimia
33 Th. Olympiadis in Esquilij.
34 Th. Tiriane vulgo le sette Sale.
35 Th. Traiane prope S. Martinū in mōtib.
36 Th. Philippianæ prope S. Matthæum.

AMPHITHEATR. ET THEATR.

37 Amph Vespasiani dicitur Coliseo.
38 Amph Castrense apud S.Ioē in Hierusalē
39 Thea Marcelli, nunc est domus Sabellorū.

CIRCI.

40 Circus maximus vulgo cerchi
41 Circus Flaminius appresso le botege scure
42 Circus Agonalis dictus Agone

OBELISCI.

43 Obe Vaticanus vulgo la guglia
44 Ob. Campi Martij qui indicabat horas sola vr, cuius extat fragmēta in cellario quodā
45 Ob. duo ad Mausoleum Augusti ex quibus alter fractus in via iacet, alter prope latet
46 Ob ad portam collatinam cuius extant in Vinea reliquiæ
47 Ob. prope Amph Castren dextra muras in Vinea.
48 Ob. in circo prope S.Sebastianum via Appia.

Plerique alij extant in vrbe Obelisci quos breuitati studentes, omisimus.

ARCVS.

49 Arcus Titi Vespasiani.
50 A. Constantini.
51 A.L.Seueri Septimi.
52 A.Iani quadrifrōtis prope Sanctum Georgium.
53 A. Claudij dicitus di Portogallo.
54 Arcus Gallieni d.Sancto Vito.

COLVMNAE.

55 Columna Traiani.
56 Columna Antonini.

TEMPLA.

57 Pantheon vulgo la Rotonda.
58 Templum Remi & Quirini nunc S.Cosmæ et Damiani.
59 T. Faustinæ.
60 T.Pacis.
61 T. Cai & Lucij
62 T.Fortunæ
63 T.Faunini nunc S.Stephani rotondi.
64 T.Latheranense.
65 T.S.Mariæ Maioris.
66 T.S.Hᵉ in Hierusalem.
67 T.S.Augustini.
68 T.S.M. super Mineruam.

VARIA.

69 Castellium Aq.Marciæ.
70 Septizonium Seueri.
71 Forum Romanum.
72 Forum Boarium.
73 Velabrum.
74 Turris Comitum
75 Turris Meltiarum.
76 Locus castri prætorij.
77 Viuarium.

PALATIA.

78 Pal.Papæ in Vaticano.
79 P.Papæ ad S.Marcum.

DOMVS INSIGNES.

80. D.S.Laur. in Damaſo.
81 D. Camerarij.
82 D.Farneſiorum.
83 D. Capi ferreorum.
84 Columneſium ad S.Apoſt.
85 D. Antiæ Maximorum.
86 D. Matthæiorum.
87 D. Rsariorum.
88 D. Auguſtini. Chiſi.
89 D. Card. Viſenſis.
90 D. Sabaiatorum
91 D. Card. Caſij
92 D. Card. Belay
93 Vbi D. Alexandri VI. diruta fuit a Papa Paulo III. ne caſtro S. Angeli obeſſet.
94 D. S. Marcelli
95 D. Campegiorum
96 D. S. Apollinaris
97 Sepulc. Adrian vulgo C. Aug
98 Sepulchrum C. Ceſij
99 Templum Iouis ferentij. vulgo S. Mariæ cęli.
100 Vico de Saſſoni, vbi eſt ecclesia ſe hoſpitale S. Spiritꝰ.
101 S. Maria pop. a Papa Sixto Facta.

ANCONA.

ANCONAM, priùs Picenam, vocabulo Hetruſco, ſimul & Aborigenum dictam, perhibet Cato. At Strabo, Græcam vrbem, & à Syracuſanis, qui ob Dionyſij tyrannidem, Sicilia profugerant, conditam, Plinio, Solinoque probante, ſcribit. Iuuenalis, eam originis eſſe Doricæ, velle videtur, cùm ait: Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon. Putat Leander, hanc Auctorum varietatem conciliari poſſe, vt Dorios Græcos, vrbem, à fundamentis primùm incepiſſe, poſteaque Syracuſanos, aut Siculos, eam auxiſſe: Vel, Anconitanum portum, Doriorum eſſe opus, dicere liceat, vt innuere Iuuenalis videtur, oppidum verò ipſum, Siculorum. Quidam, vt Papias, Catinuſque hiſtorici, ſcripſerunt, Anconem Dolopes Theſſaliæ populos, Alij, Ancum Martium, Regem Romanorum, ædificaſſe prodiderunt. Ancona igitur, in ea Italiæ parte ciuitas, quæ quondam Picenum, iam verò, Marchio Anconitana, vocatur, ſub promontorio, qua ſe ad Adriaticum torquet mare, iacet. Ab oræ huius flexu, cubiti formam, vt Plinius Melaque teſtantur, efficiente, denominata, nam is ἀγκὼν Græcis dicitur. Oppidum hoc, priſcum Italorum & Gallorum diſcrimen, eſt habitum. Etenim, vt Mela tradit, Italia hic finiebatur, incipiebantque Galli Senones, cum Gallia togata. Tam præſtanti, opportuno, atque capaci eſt portu ornata, ut in vniuerſa Italia, nullus conſpiciatur amplior, tam loci naturâ, quàm arte, & induſtria hominum, ab omni inſultu hoſtium, tutiſsimus, vt non immeritò tritum vetuſtate habeatur prouerbium: Vnicus Petrus Romæ, vnica turris Cremonæ, vnicus portus Anconæ. Hunc Traianus Imperat. Aug. marmore, cum gradibus, per quos commodiſsimè naues onerantur, & exinaniuntur, inſtaurauit, adiecto etiam arcu, magni, ac præclari operis, cum inſcriptionibus huiuſmodi. Imperat. Cæſar. Diui Neruæ F. Neruo Troiano optumo Auguſt. Germanic. Datico. Pont. Max. Tr. Pot. XIX. Imp. XI. Coſ. VII. P. P. Prouidentiſsimo Principi. S. P. Q. R. Quod adceſſum Italiæ, hoc etiam addito ex pecunia ſua, portum tutiorem nauigantibus reddiderit. Et in dextro ipſius arcus latere: PLOTINAE Aug. Coniugi Aug. In læuo: DIVAE Marcianæ Aug. Sorori Aug. Anconam, vtpote antiquiſsimam vrbem, ſcriptores multi, præter hactenus citatos, memorauêre, nimirum Sempronius Procopius, Cæſar, Tacitus, Antoninus, Lucanus, cùm inquit: Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon. Silius ita: Stat fucare colus, nec Sidone vilior Ancon. Itemque, liber Coloniarum, his verbis: Ager Anconitanus, in limitibus Græcanicis, in centurijs eſt aſsignatus. Maximè, quantum ex hiſtorijs colligere poſſumus, ſub Imperio Romano floruit, vſque ad Gothorum in Italiam aduentum, à quibus obſeſſa fuit, multiſque oppugnata prælijs, tam fortiter tamen oppidanis, & Conone, præſidiorum Iuſtiniani Imperat. Aug. præfecto, eam defendente, vt quanquam deiectis ab hoſte ſuburbijs, nunquam capi potuerit. Quemadmodum Procopio Blondoque traditur. Qui etiam alibi referunt, apud Anconem Legatos Narſetis claſſem Gothicam viciſſe nauium XLVII. è quibus, X. tantùm euaſere cladem, cæteris omnibus, aut captis, aut ſubmerſis, cùm Romana claſsis, nauium XXX. ſolùm fuiſſet. Poſt tempora Gothorum, Anconem Longobardus tenuit, ſædemque ac domicilium fecit Marchionatus, ea propter Anconitani appellati. Longobardis deletis, profligatiſque, cum cæteris Italiæ ciuitatibus, hæc etiam, ad Imperatorum Cæſ. ex Germania ditionem, peruenit. A Sarracenis deinde, regnante Lothario, circa Sergium Pontif. Roma. direptam, incenſamque, Blondus auctor eſt. Poſt hæc, à ciuibus, qui ex ea clade ſuperfuerant, paulatim inſtaurata, refectaque, ſimulque mox opibus, ac populo aucta, conſenſione ciuium mirifica, ſuo iure vti, ac in ſua poteſtate eſſe cœpit, vſque ad annum à C. N. M. D. XXXII. Ea autèm libertate tum Bernardini Barbæ Caſalenſis Epiſcopi, ac Lodouici Gonzagæ, Clementis VII. Pontif. legionum Præfecti artibus, eſt exuta. Caſtellum illi ædificarant, tanquam vrbis, aduerſus Turcarum, itemque piratarum, incurſiones, propugnaculo ac præſidio futurum, hoc opere iam ita perfecto, vt habitationi aptum videretur, fraude, ac ſi præſidia militum, tormentariaſque machinas introducturi eſſent, vrbem ipſam occupant. Quod cùm ciuium Magiſtratus intelligerent, quia reſiſti iam nulla ratione poterat, in ſuas quiſque priuatas ædes confugit, deſerta curia, quam mox Barba, valido præſidio militum, & tormentorum occupat, relegatis in varia loca vrbis primoribus, & quibuſdam eueſtigiò Romam miſsis, prætereaque callidiſsimo conſilio, tota iuuentute, quæ tractare arma poſſet, à ciuitate abducta. Ita planè, in Summi Pontificis imperium, poteſtatemque Ancona deuenit. In qua Silij temporibus, purpuram tingi ſolitam. Ex his eius verbis, lib. VIII. intelligimus. Stat fucare colus, nec Sidone vilior Ancon, Murice nec Lybico. Ad quem locum Marſus annotat, purpuram maximè tinxiſſe ternos populos, Phœnices, Lybicos, & Lacones, quodque idem Anconitani facerent, vti à Silio proditur, id alios non tradidiſſe. Genuit etiam Ancon ingenia nobiliſsima magno numero, Imprimis autem Auguſtinum, ordinis Eremitarum, eximium Theologum, quod ſcriptis in lucem editis probauit. Item Franciſcum & Nicolaum Stalamontios, Iuris apprimè conſultos, latinisque literis eruditos. Præterea Cyriacum totiùs antiquitatis, & rerum memorabilium, per totam Europam, Aſiæque & Africæ partem indagatorem. Qui mirifico ſtudio, quæ literarum monumentis celebrata legerat, veluti Theatra, Amphitheatra, circos, templa, ſtatuas, tymbos, obeliſcos, pyramides, tabulas cum Epitaphijs, arcus, & id genus, curioſæ inueſtigationis alia, non ſolum ipſe oculis conſpexit, verumetiam diligenti & exacta pictura, reddidit, expreſsitque. Rogatus autem, cur his in rebus tam ſtudioſe verſaretur, Vt mortuos excitem: reſpondebat. Dicto hercle, tanto viro, conuenienti atque digno.

ANCONA
IL PORTO
Le Grotte
Seccagine de S.to Clemente
Cauallero d'lazzetto vecchio
ANCONA ciuitas Piceni celeberrima, ad mare Adriaticum posita, nobilissimo portu est ornata, quo non extat in tota Italia commodior neq; capacior. Nomen habet à situ, qui cubiti flexuram refert, Mercaturâ est insignis, frumento abundat et vino, reliquisq; ad humanum victum necessarijs, vetustatem vndique redolet
A Baluerdo del cassaro
B La Muccia
C Porta del calamo
D P. Vechia S.to Pietro
E La citadella
F La Rocca
G Porta de capo d'monte
H Le fornaci
I Lazzaretto vechio e nouo
K Porta d'lazzaretto
L Magazeni
M Portella Per nauilij
N Portella d'S.to Agostino
O Baluardo d'S.to ag.o
P La Piazza dl' mercato
Q Il Pallazzo dl' gouernator
R La Piazza d' Santo nicolao
S Il Palazzo del barzello
T La Piazza d' mag.ri Anciani
V Il Palazzo d' mag.ri S.ri Anciani
X Il Palazzo del S.r agelo feretri
Y Monte guascho
Z Doue Si pone le mercancie Sospette
AA Larsenale
BB Caualiero d'larsenale
CC Larco Traiano
DD La lanterna
EE Il bastardo reuelino del porto
FF La porta del porto
GG Caualiero d' S.to primiano
HH Palazzo d' m.s Pasqual bonarelli
II Portella d' pier grego
KK Palazzo di m.s nicolo todini
LL Del troglioni
MM Portella toroleoni
NN Portella noua
OO Portella
PP La loggia d' mercanti
QQ Portella dlla loggia
RR Portella della beccaria
+ Porta Pia
1 S.to criaco domo vesco.o
* Palazzo di m.s nicolo todini
2 S. Biasio
3 S. Maria loreto
4 Il Carmino
5 S. Girolamo
6 S. Bartolomeo nouo.
7 S. Bartolomeo vechio monast.
8 S. Maria noua
9 S. Catarina
10 S. Tauolo
11 S. Antonio
12 S. Sebastiano
13 Lospitale dll' c.a dla morte
14 S. Anna
15 S. Franc.o
16 Lospitale vechio
17 S Pelegrino
18 S Nestasia
19 S. M.a dll' misericordia
20 S. Spirito
21 S. Primian
22 S. Georgio
23 S. Pietro
24 S. Dnico
25 La Incoronata
26 S. Gilio
27 S. M.a dla Piaza
28 S. M.a misericor.a e morte
29 S. Nicolao
30 Il corpo d' Xpo
31 S Rocco
32 S Agostino
33 S. Zeno
34 S Iacob
35 La nociata osp.
36 S Francesco zocoli
37 S Martino
38 S Maria bel verde
39 S Marco
40 S Lucia
41 S Claudio badia
42 S Giouanni
43 S. Allo
44 S. Giouani decola
45 S.to Chrispino.
Cum Priuilegio

NEAPOLIS.

NEAPOLIS, in Italia, Campaniæ ciuitas, à Cumanis condita, & Parthenope quondam dicta fuit. Quæ, cùm ob singularem loci amœnitatem, plurimùm frequentaretur, Cumani veriti, ne Cumæ omnino deserentur, Parthenopen, habito concilio, subuerterunt, quo facto, mox immani pestilentia vexati, oraculóque moniti, vt vrbem restituerent, instauratam protinus, tanquam vrbem nouam, dixêre Neapolim. Spatium complectitur magnum, inter mare, amœnissimosque colles ædificata, mœnibus firmissimis iussu Caroli V. Imperat. munita, placidissimum aërem, iucundissmum agrum, delicatissimos fructus, saluberrimas aquas, Baijs & Puteolis erumpentes, habet. Extra ciuitatem autem, omne frumenti genus, summamque vini abundantiam, agri ex se fundunt & gignunt. Plinius vitium huius loci vbertatem pro miraculo celebrauit. Tanta hoc loci est collium feracitas, venationis, aucupijq; commoditas, hortorum elegantia, dulcissimorum riuulorum præstantia, sepimentorum, reticulatorumque parietum, omni horum fructuumq; genere vestitorum pulchritudo, vt huius paginæ angustia, ea omnia recensere prohibeat. Et hæ quidem commoditates, Romanos olim in hanc vrbem pellexêre, qui studiorum & ætate confecta quietis, otij que causa, delitiarum etiam voluptatisque gratia, Neapolim petiêre. Itaque hîc vitam degisse reperimus P. Virgilium Poëtarum omnium principem, quem Seruius Georgica hîc conscripsisse asserit. T. Liuium Patauinum, Horatium, Claudianum, Franciscum Petrarcham, Antonium Beccadellum cognomento Panormitanum, oratorem eximium, Laurentium Vallam Romanum, linguæ Latinæ reparatorem, Porcellium Romanum Poëtam elegantissimum, Blondum Foroliuiensem, totius antiquitatis studiosum indagatorem, & alios quoque eximios Theologos. Quinetiam Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Equitum, Baronum, ac nobilium hominum, adeo plena hæc ciuitas est, vt nobilitatis nomen quasi iure sibi vendicet. Quorum frequentia factum, vt quàm plurimis Regum, ac Principum palatijs, fortissimis arcibus, amplissimisque ædificijs, splendidissimis templis & sepulturis, hæc præ cæteris Italiæ ciuitatibus, sit exornata. Inter hæc præcipua sunt, templum D. Claræ, cum virginio, mirabile opus, ab Agnete Regina Hispana Roberti Regis coniuge, factum. Sepulchra in eo multa conspiciuntur eximia, Regum Reginarumque, & Regiorum liberorum, ex illustri Dyrrachiana domo, Carolique, qui D. Lodouici Regis Franciæ frater fuit, progenie. Deinde insigne D. Dominici fanum, in quo multorum Regum ac Principum, & Illustrium virorum monumenta videntur. In delubro fratrum montis Oliueti, Ferrandi primi, & alterius Alfonsi Regum effigies conspiciunrur, opere singulari, vt viuere videantur, perfectæ. Sepultus ibidem est Alexander ab Alexandris, Iureconsultus, qui multiplicis eruditionis volumen, Genialium dierum, conscripsit. Multa etiã alia non minùs celebria sunt templa, in quibus perelegantia Principũ & magnorũ virorum, ex candido marmore, continentur sepulchra. Sanctorum etiam hominum reliquiæ, quæ in diuersis passim templis asseruantur, hanc ciuitatem commendant. Gymnasium etiam omnium disciplinarum habet, à Frederico I I. Imp. fundatũ. Aedes præ cæteris amplissimæ, sunt Ducis Grauiensis, quanquã nondum perfectæ, alioqui nullis totius Italiæ cessuræ, item Salernitani Principis. Viæ ciuitatis perelegantes, directæque. Curiæ quaternæ, quas Sedes appellant, Capuana, Nidensis, Montana, Diuique Gregorij, quò Principes, Duces, Marchiones, omnesque cæteri ordines, ad consultandum communiter, ac de rebus publicis conueniunt. Arces fortissimæ sunt hæ, Castellum nouum, firmissmis Europæ totius propugnaculis meritò annumerandum, Capuanum, Castellum oui, modico extra vrbem spatio, in scopulo, cinctum mari, Santeremense in rupe mœnibus vrbis imminente, superioribus annis à Carolo V. Imp. mirificè communitum. Extra muros australi parte, moles in mari conspicitur, ad portus tutelam, nauibus ex omnibus orbis partibus perpetuò pleni. Post Ferrandi Regis Neapolitani obitum, Siciliæ, Neapolis, Arragoniæ, cæteraque Hispaniæ regna, ad Carolum Philippi filium, Imp. Maximiliani Aug. nepotem, deuoluta sunt, per Isabellam, matrem Ferrandi, quæ Isabella Hispaniæ Reginæ filia fuit, Anno post C. N. M. D. XVI.

Hæc est nobilis, & florens illa NEAPOLIS, Campaniæ ciuitas, antea Parthenope appellata ab vna Sirenum Parthenope, quæ cum omnes, vti est in fabulis, præ dolore, quod Vlyssem eiusq; socios cantu decipere haud potuerãt in mare se præcipitassent, hoc in loco sepulta est. Nunc illustriũ familiarũ, & doctissimorũ hominum sedes, mira äeris clementiâ, situsq; amœnitate, templorum, priuatarum ædium, & arcium magnificentiâ, eximijs Regum, Reginarum, summorumque hominum sepulturis, omniumque disciplinarum gymnasio, clarissima
Cum Priuilegio.
1 Il Molo grande
2 Il Molo piccolo
3 Porta del mercato
4 Porta Nolana
5 Porta Capuana
6 Porta S.to Genaro.
7 Porta S.ta M.a Costantinopoli.
8 Porta Reale
9 Porta Romana
10 Il Castel Nouo
11 Castel San Martino
12 Castel dell'Ouo
13 Torre San Vincenzo
14 Bernardo del Carmine
15 L'Arsenale
16 La Dogana
17 Il Vescouado
18 S.to Lorenzo.
19 S Pauolo
20 S Gio Mag.re
21 S Chiara
22 S Agostino
23 S Giorgio
24 S Domenico
25 L'Spedale dell'Anostiata
26 S Maria del Carmine.
27 L'Spedale di S. Alò.
28 S Giou. di Carbonara
29 S Pietro ad Aras
30 S Caterina formella
31 S. Seuerino
32 Il Giesu
33 S Pietro martire
34 Monte Oliueto.
35 Maria noua
56 La Jncoronata
37 L'Spedale di S. Giac.o de Spag.li
38 L'Spedale di S. M.a d'Incur.li
39 La Croce
40 S Luigi
41 La S.ma Trinita
41 S. Martino
42 Seggio Capuano.
43 Seggio di Montagna
44 Seggio di Nido.
45 Seggio di Porto.
46 Seggio di Porta noua
47 Palazo della Vicaria.
48 Palazo del Vicere
49 Pal.o del Duca di grauina
50 Pal.o del Prenc. di Salerna
51 Pal.o del Duca Matalone
52 Pal.o del Duca di Atri
53 Pal.o del Prenc. di Sulm.a
54 Pal.o de Rauaschieri
55 Pal.o del Prenc. de Stigliano.
56 Pal.o Pizzo falcone
57 Pal.o di Pardo Pappacoda
58 Pal.o del Tesoriero
59 Piazzo del Mercato.
60 Piazza dell'Olma.
61 Piazza de Lanfieri.
62 Di S. Lorẽzo Merc.o Vecchio.
63 Strada della Salaria.
64 Stra. di Seggio di Nido.
65 Stra di S. Lorẽzo all'Vicar.o
66 Stra di Pozzo bianco
67 Strada di Toledo
68 Strada della Incoronata
69 Fonte del Molo Grando
70 Fonte di Piazza dell'Olmo
71 Fonte di Seggio di Porto

PARMA.

PEruetusta ciuitas Parma, à Thuscis, qui Lombardiã diu posſederunt, condita, & à principatu coloniarum, sicuti censet Annius denominata, in Lombardia Aemilia via situ est plano, quinis ab Appennino P.M. suburbijs, quæ ad occasum conuersa sunt, ab ipsa ciuitate flumine Parma diuisis, cuius transitus ponte lateritio iungitur. Aedificijs splendida cùm primis est, incolæ venusti, nobiles, animosi, ingenioq. non solùm ad Reipub. moderationẽ, sed etiã ad literas, & rem militarem aptißimo. Rebus ad vsum mortalium in primis abundat. Agrum habet optimũ, amœnißimũq. ac fœcundum, tritici, fabæ, cæterarũq. frugum: itemq. nobilium fructuum & vini omnigeni, dulcis, acuti, albi, vermiculi, fertilem. Nec caret medicatis aquis ad multa salubribus: vndique campi circa longe lateq. sternuntur pascuis letißimis fœlices, summa opportunitate pecuariæ rei, vnde in tantum mirabili abundantia lac, caseo figurando percipitur, vt copia fidem excedat, ni videris, obtinetq. summum tota Italia commendationis gradum caseus Parmensis cum Placentino ac Laudense. Præterea quoque greges ouilli amplißimi hic aluntur, nobilitate vellerum in primis laudati, de quibus Martialis: Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

SENA.

SEna nobilis Hetruriæ ciuitas, Polybio teste, à Gallis Senonensibus ædificata, & veteranis militibus, quò vitam ibidem quietè finirent, adscripta fuit. Iacet in colle præcelsis cincta crepidinibus tophinis, frequentia nobilium ædificiorum nitens. E quibus Aedes maxima D Virgini Matri sacra, splendidis ac sumptuosis quæ tota Europa sunt fanis annumeranda, siue pretium marmoris, ex quo tota constat, siue excellentiam operis ac artificij, quo facta, spectes. Præterea sunt ædes amplißſ. quadrato lapide structæ Pij II. Pont. opus, aliaque multa pernobilia ædificia. Est item amplißima domus hospitalis, miserorum insigne & periucundum refugium. Spatiosum ornatumque forum. Fons insignis Branda semper nitentibus aquis copiosus.
Est hìc denique omnium disciplinarum Vniuersitas, quamobrem excellentes viri hìc plurimi extitêre, qui non modò patriam, sed vniuersam Italiam illustrarunt.

PANHORMVS.

PAnhormus, vulgo Palerma, Siciliæ Metropolis, vt celebris, ita etiam vetustißſima vrbs, dicta à nauium applicatione, quæ vndique illuc conueniunt: ὅρμος etenim portum, seu nauium stationem sonat. Fœlix in præsens vrbs, omniumque maxima Sicilienſium in amœna ac iucunda valle sita, ad Septentrionem spectat, pelagoque abluitur Tyrrheno, muris septa perquàm altis, quod opus est Frederici Regis. Tres antiquæ ciuitatis portæ, & veteres muri, multis cum turribus lapide quadrato constructi, & nunc manent, vbi lapides literis inscripti inueniuntur, quibus Noe tempore fuisse Panhormum planè constat. In palatio Sacellum est marmoreum ædificium totum, D. Petro dicatum, pulcherrimum & religiosum, miroque opere crustatum. Templum quoque est ingens, cuius exteriores parietes pulcherrimi, à Gualthero Archiepiscopo, Vilielmi Regis adfine, dedicatum, opus sanè cunctis spectabile, vbi Siciliæ Reges sepulti iacent. Prope est ad orientem fermè celebre Hospitale. Altera ex parte locus est, vbi vetere consuetudine aureas coronas Reges accipere consueuerunt. Insignis erat Panhormi Regia, nunc in mercium horreum mutata, vbi portitores ad Regis vectigalia exigenda disponuntur. Curia item est prætoria pulchra, & prope fanum vetus, vbi virgines plures Deo perpetuò dicatæ. Hæc Cl. Marius Aretius in Siciliæ Chorographia, apud quem plura.

DREPANVM.

DRepanum, vrbs est Siciliæ trans Lilybæum promontorium non procul ab Erice monte. De qua hunc in modum Cl. Marius in Siciliæ Chorographia scribit: Sub Erice monte Drepanum exiſtit, quam ab Lilybæo promontorio, decem circiter & octo milliaria sepositio, Acinthius amnis diuidit, qui ex duobus in loco Marcanza nomine, vbi pons est, vnus fit. Nomen non à Saturni falce deductum, quod fabulosum est, sed à curuo littore, velut Rhium promontorium in Pelonneso, quia curuum, Drepanum vocatur. Medio loco inter vtrunque Caput S. Theodori, antiquitus Egitharsus promontorium in Sardoo pelago protensum: Ptolemæus nomen quoque ciuitatis fuisse ait. Igitur in falcato posita littore, quo portus efficitur vastus, pulchra vrbs ac diues, etiam spectat ad occidentem. Insulæ in prospectu, quæ veluti munitiones ad portus augmentum serò factæ maximè surgunt, quatuor sunt, parua vna atque propinquior, Columbaria vocata, vbi inexugnabilis arx. Reliquæ Probatia, Egusa, & Sacra, hodie Fauignana, Meretimum, & Leuasum vocatæ: Ea & portu, & salsis stagnis, quæ Solis ardoribus desiccata, incredibilem salis emittunt copiam, prope consepta, expugnatu est valde difficilis.


PARMA.

SENA.
El Carmini
Laiosa
Monnasterio
Palazzo del diauoli

PANHORMVS, Palermo vulgariter, maxima & Metropolitica Siciliæ vrbs, quam præter antiquitatem, ædificiorum nitorem, & templorum magnificentiam, trucidatum Gallorum præsidium nominis celebritate famosam reddidit. Vnde tritum sermone prouerbium est natum; Cum quis multorum interitum cupit, vt Vesperas Siculas commemoret. Vide L. Marineu Siculum lib. XI. de Aragoniæ Regibus.
PAL
ERMO.


DRE PANVM.

Cum Priuilegio


PARMA.

SENA.
El Carmini
Laiosa
Monnasterio
Palazo di bandinelli
Cittadella
Pallazzo del diauoli

PANHORMVS, Palermo vulgariter, maxima & Metropolitica Siciliæ vrbs, quam præter antiquitatem, ædificiorum nitorem, & templorum magnificentiam, trucidatum Gallorum præsidium nominis celebritate famosam reddidit. Vnde tritum sermone prouerbium est natum; Cum quis multorum interitum cupit, vt Vesperas Siculas commemoret. Vide L. Marineū Siculum lib. XI. de Aragoniæ Regibus.
PALERMO.


DREPANVM.

Cum Priuilegio

MESSANA

MEſſana,præclara ac vetuſta Sicilię,doctiſsimis,multorum ſcriptis,illuſtratę ciuitas,Thucydidi,Straboni,& alijs,ob incuruatam loci flexionem,quę falſis repræſentat figuram,priùs Zancle vocata fuit.Siculi etenim,vt Polybius,Thucydidesque ſcripſerunt,falcem,atque res curuas,Zanclam vocabant.Diodorus Siculus,Zanclotum Regem, ibidem regnantem,Meſſanā de ſuo nomine,Zancle appellâſſe,narrat. Qua de re Thucydides lib.6.Exiſtimant,& fabulantur alij, ab occulta Saturni falce,vel denique à Zanclo gigante,hanc Zancle denominationem fluxiſſe. Pari quoq; ratione Meſſanæ primordium, in diuerſa hiſtorici trahunt. Strabo,prima eius initia, Meſſenijs Achaiæ populis tribuit, vnde ciuitatis incolæ primùm Meſſanenſes dicti.At verò cùm Mamertini,natio Campana,eò tranſmiſiſſent colonos,ipſi quoque Mamertini potiùs, quàm Meſſanenſes,ſunt vocati.Hinc Martialis:Amphora Neſtorea, tibi Mamertina ſenecta, Si detur,&c. Macrobius,primam Meſſanæ fundationem Anaxilæ,ſiue Anaxilao,Cretenei filio,Rheginorum tyrāno,adſcribit.CL. autem Marius Aretius,in Siciliæ Chorographia,Anaxilas,inquit,vrbem diripuit, nouamque erexit,deque ſuæ patriæ nomine, Meſſanam appellauit (Meſſana vrbs Achaiæ)promiſcua lingua,inter Doricam & Ionicam,frequentem reddens. Meſſana igitur,ciuitas hodie ſatis proſpera, ſatiſque pollens,ab Italiæ finibus Charybdis freto,portuque,nō humana induſtriâ,ſed natura ipſa facto,diſcernitur. Ad maris littus,librata planitie,venuſtè extenditur verſus orientem,ab occaſu autem,collibus munitur. Iuxta littus,quod arcus obtinet formam,Charybdis eſt,fretum nauibus exitioſum,inter Meſſanam & Rhegium,quo breui ſpacio Sicilia à continenti ſeparatur. Tritici meſſem non habet,quia montibus ac pelago clauditur,nemoribus abūdat, ſed tota propè eius meſſis, in mororum foliis conſiſtit, probatiſsima enim à Meſſaneis lana ſerica,in multas Europæ partes,mittitur. Quando autem hoc artificium in Siciliam,& primùm in Panormitanam vrbem,ſit allatum,Munſterus ex Aretio Syracuſano refert.Præſtantiſsimis,antiquitatis monumentis,illuſtratur Meſſana.In ipſa etenim ciuitate,pars antiquiſsimi aquęductus,ante ædem D.Franciſci apparet. Fons etiam perennis,atque ſaluberrimæ aquæ iuxta portam, quem Leonis puteum ipſi vocant. Ac etiam inſignis pila,nec ante patrum noſtrorum memoriam facta,quo potum equos agunt,omnibꝰ, quæ in toto ferè orbe,pulchrior. Effigies lapideæ duæ, Scipionis,& Annibalis, antiquitate ferè corroſæ,in maioris templi porta viſuntur.Sanctæ Prophoniæ templū, Caſtoris & Pollucis, vti ferunt, antiquitùs fuit.Extra verò vrbem, Veneris ædiculam,quæ prope portam, gentilium mœnium nominatam,in radicibus montium,Sanctę Veneræ,religio dicauit Chriſtiana.Ac etiam fama eſt, Neptuni id fuiſſe templum, quod Diui Nicolai,in lingua Phari ruinis propemodum affectum hodie vocant.Domuſque erat regia,tribus millibus paſſuum, ab Meſſana ad meridiem,cuius adhuc extāt veſtigia,locum regis Caſtagnitum vocant,vbi fons.Latus vrbis, quod vergit ad meridiem,amœnis, ac locupletiſsimis pagis ſtipatur,per Valeriam viam,author eſt Strabo,Meſſana Lilybæum pergebatur.Fuit Meſſaneus quidam eius homo nobilis, maximè locuples, minimeque auarus,cuius domus erat optima Meſſanę,quam modò vetuſtate affectam,contra propemodum Antiſtitis palatium,eſt videre,& in ea ſacrarium perantiquum,in quo ſigna pulcherrima quatuor,vnū Cupidinis marmoreum,Praxitelis opus:Parte ex altera,Hercules,egregiè factus ex ære,quem Myronis fuiſſe fama vulgabat.Erant præterea duo ſigna ænea,non maxima, verum eximia venuſtate virginali habitu,quæ manibus ſublatis,ſacra quædam repoſita in capitibus ſuſtinebant,Canephoræ ipſæ vocabantur.Sacrarium,hodie vetus eſt ædicula,Diuo Michaeli dedicata. Aedes in ea vrbe, vt ſuprà memorauimꝰ, Sanctę Mariæ, quę proximis annis pulcherrima columnis,celebrique pauimento exſtructa,inſignis Archiepiſcopi ſedis. Florentiſsima etiam Vniuerſitas, multo illuſtriorem Meſſanam reddit,quam Raphael Volaterranus,magnam Sicilię Scholam,vocat.Ex qua,velut ex equo Troiano,complures doctiſsimi viri prodierunt.

MESSANA, vrbs est Siciliȩ maxima, situ, opulentiâ, & tuta nauium statione, in qua mirabilis naturȩ vis apparet, celeberrima: ab Italia, sȩua Charÿbdi discreta, ab occasu, mõtib⁹ firma, publicis priuatisq; ȩdib⁹ egregiȩ cultis, fonte perenni, antiquissimis statuarȩ signis, & sericarum vestium textrinis, nobilissima.

1 Arsenale
2 Banchi
3 Braccio di S Raineri
4 Bottare
5 Borgo di S Giouanni
6 Castello Matagrifoni
7 Castello Gonsaga
8 Castello del Saluatore
9 Conuento di S Frãcesco
10 Conuẽto del Carmino
11 Conuento S Agostino
12 Conuẽto di S Dominico
13 Conuẽto di S Gironimo
14 Con: di S Maria Giesu
15 Con della Maddalena
16 Conuẽto de Scapuccini
17 Domo S Maria la noua
18 Forte de lo Spirito Santo
19 Forte dell'Alterone
20 Forte di S Maria dell'alto
21 Forte di Basico
22 Forte di S Francesco
23 Forte di S Vincenzo
24 Forte di S Iacomo
25 Forte di S Gio regio
26 Forte di S Giouanni
27 Forte di Sante Clara
28 Forte di Bocca d'Oro
29 Fontana del domo
30 Font: de la dog. vecchio
31 Fontana del pozo lione
32 Fontana di S Giouan.
33 Font. della Porto reale
34 Fornace di pignatte
35 Monasteri di donne
36 Monasterio S Clara
37 Monast. Santo Lio
38 Mo. S Cateri. di Beluerde
39 Mo. Santa Barbara
40 Mo. del Spirito Santo
41 Mo. di S Maria dell'alto
42 Mo. di Basico
43 Mo. delle ripẽtite
44 Mo. del mõte di vergine
45 Mo. di S Maria della
46 Macelli di fora della Giudeica
47 Macelli della Gideica
48 Macelli di S Maria della porta
49 Marcelli di fora della porta
50 Macello della porta del Sale
51 Orto del Messinele
52 Orti di diuersi
53 Orto di S Giouãne habitato
54 Porta della Bozetta
55 Porta del Pertulo
56 Porta di Gentilmene
57 Porta delle Gauitelle
58 Porta della Giudeica
59 P. di terra noua nella marina
60 Port. di terra noua di Spagnola
61 Porta piccola del Palazzo
62 P. del Ponte nel palazzo
63 P. di S Maria del Piliere
64 P. della Conzaria vecchia
65 P. del Campo
66 Porta della Pescaria
67 Porticella
68 P. della doga noua
69 Porta del Sale
70 P. della dogana vecchia
71 P. del martoriare
72 P. de Gesilhuomini
73 Porta [illegible]
74 P. del [illegible]
75 P. di [illegible]
76 P. del [illegible]
77 P. di S [illegible]
78 P. del [illegible]
79 Porta [illegible]
80 P. Imperiale
81 Põte di [illegible]
82 Ponte [illegible]
83 Põte di [illegible]
84 Palazzo [illegible]
85 Palazzo di Giouan Galego
86 Pal. di d. Christofo la rocca
87 Pal. di d. Filippo la rocca
88 Pal. di Mercurio
89 Pal. della Scaletta
90 Priorato di S Giouanni
91 Piano di S Giouanni
92 Piano di S Francesco
93 Piano dello Pileri
94 Piano del Palazzo
95 Piano della Giudeica
96 Piano di S Maria
97 Piazza del Borgo (porta
98 Piazza di S Maria della
99 Piazza dello Gilatore
100 Piazza di S Tomaso
101 Piazza del Tarzana
102 Piazza delli Greci
103 Piazza della Brigaria
104 Piazza della Giudeica
105 Santo Vincenzo
106 Santo Giouanni
107 S Leonardo
108 Santa Marina de Greci
109 S Giouanni di Greci
110 S Luca
111 S Pietro
112 S Iacomo
113 La Nuntiata
114 La Catolica
115 S Nicolao del Vescouato
116 S Angelo de gli orfanelli
117 S Gioseppe
118 S Crispino
119 La Gonia noua
120 S Giorgio
121 San Marco
122 S Filippo
123 La gonia vecchia
124 S Biasio
125 S Giuliano (tini
126 S Nicolao de Tie:
127 S Maria della carita
128 Tutti li Santi
129 S Antonio
130 S Lucia dell'alterone
131 S Paulo della mõta:
132 S Sebastiano (gna
133 Lo Spedal grãde
134 Strada Mastra
135 La Giostra
136 Li Fornari
137 Li Tintori
138 Li Caldarari
139 Li Rotessari
140 Lo incanto
141 Li chiauari
142 La Marfatania
143 La Zicca
144 Li Camilari
145 Lo scarcatore de formẽti
146 Lo Campo
147 La Dogana Noua
148 La Marina del vino
149 Il forte dele cãnizare
150 Il Torrione del Salua:
151 Terra Noua tore
152 L'Alterone
153 Biueratora del ospital
154 Beuratora del spõ stõ
155 Forte del Castellazzo
156 Torrẽte delle Gauitelle
157 Torrente della Buẽt:ta
158 Torrente della gratia
159 Giardino del Vicere
160 Torre della Lanterna
161 Torre Mozza
162 Saline di S Ranieri
163 Il Vescouato
164 Strada della Giaera
165 Reggio citta di Calabria
166 Torre di Pendimele
167 La Catona.

CALARIS.

SArdinia maris Mediterranei Insula, frumenti ferax, vtcunque populosa, ciuitates non paucas habet, quarum præcipua CALARIS, vulgo Cagler, sita in monte iuxta mare, Africam respiciens, magnum & pulcherrimum habens portum, in quo semper varia nauium genera inueniuntur vltro citroque in orientem & occidentem volitantia, mercesque portantia. Diuiditur in quatuor partes: media, quæ fortissimo septa est muro, propriè vocatur Calaris: ea verò quæ orientem spectat, nouum oppidum: quæ verò meridiem, la Gliapola, seu la Marina: & quæ ad occidentem vergit Stampax nominatur. Residet ferè semper in ea Prorex, vnà cum Baronibus, comitibus, & multis diuitibus. Habet autem ciuitas ipsa suam Reipub. administrationem, in quam nec Rex Aragoniæ, neq; Prorex eius se intromittit, sed ex ipsis ciuibus, quotannis sorte quinque eliguntur consules, qui soli Rempub. administrant, eiusque redditus, qui multi sunt, dispensant pro sua prudentia, vtentes ciuium consilio. Habent in quibusdam casibus legum condendarum potestatem, possuntque pœnam mortis, & mutilationis membrorum statuere. Hæc ex descriptione Sardiniæ Sigismundi Arqueri, apud Munsterum.

MALTA.

MALTA, olim Melita, medio ferè pelago inter Lilybeum Siciliæ promontorium & Cercinam Africæ insulam tanquam clauis ponitur, qua in Siciliam & Africam patet introitus. Eiusdem nominis oppidum, & valde munitas habet arces, nimirum S. Elmi propugnaculum, iuxta quod oppidum nouum post Turcicum bellum ædificatum est: Burgum S. Angeli, & S. Michaelis munitionem. Quemadmodum autem D. Paulo, facto naufragio, ita & Hierosolymitanis equitibus, capta à Turcis Rhodo, hospitium præbuit. Qui summis viribus potentem Turcarum classem, Anno partæ salutis M. D. LXV. ab hac Insula fugarunt. Cotoni, rosarum, cumini, omniumque Italicorum fructuum ferax, nunquam glaciem aut niues vidit: Serpentes nō habet, nec Scorpio in ea lædit veneno. Nihil ædificiorum indulget splendori, humilioribus contenta casis ob lignorum inopiam, vnde carduis arefactis, ignem in ea struunt, & boum edito stercore arefacto. Plura apud Quintinum Heduū, qui accuratissimè Melitensem insulam descripsit, inuenies.

RHODVS.

RHODVS Vrbs diues, munita, & populosa, triplici septa muro, insulæ nomen dedit, à Phoroneo Argiuorum rege condita, & à rosæ capulo illic inuento, appellata perhibetur. Eximio portu, multisq; ornamentis tantopere cæteras superauit, vt ei nulla ex sententia Strabonis putaretur æqualis. Legum præstantia, & nauali rei peritia adeo valuit, vt annis multis maris imperio potiretur, & piratarū latrocinia sustulerit. Gymnasio etiam, & potissimū oratoria facultate multo tempore claruit, in quo Posidonius Philosophus Stoicus, & Trasullus Mathematicus, alijque doctissimi viri floruerunt: quos Pompeius Magnus Rhodi audiuit, vt ex 2. Tusculanarum quæst. patet, & Tiberius Imperator, quò etiam multi Athenienses studiorum gratia confluxerunt. Et M. T. Cicero, filium suum in hanc scholam transmisit. Percelebrem hanc vrbem cum vniuersa insula anno Christi M. D. XXII. Turca inuasit & occupauit.

FAMAVGVSTA.

VRBES Cypri, quæ Insula latè Mediterraneo mari protensa inter Ciliciam & Syriam sita est, & nunc Regni titulo, nec non opibus claret, duæ, vti præcipuæ: Nicosia nimirum & Famaugusta, nominantur. Veruntamen eo Famaugusta præcellit, quod & Regiæ potior sedes sit, & Cathedralis Ecclesiæ nomen, ac ius obtinet. Eo adcedit, portum, id quod caput est, ipsam efficere, à quo nobilissimum Insulæ totius emporium redditur. Porrò, ita terra ac mari natura loci, & à Venetis arte, munita est, vt insultantem hostem, eumque prepotentem sustinere possit. Vtramque Selimus expugnauit, Venetisque eripuit, vnà cum reliqua Insula, facto, ob solam dominandi libidinem, fœdere, quod idem mortuo Solimano patre iurarat solenni more. Capta enim Nicosia anno Christi M. D. LXX. die verò septimo Kalendas Sextiles, Mustapha belli legatus, tertio decimo Kal. Octobres proximè sequentes Famaugustam obsedit. Selimus interim, ne laboranti vrbi Veneti succurrerent, trecentarum nauium Classem, prædandis Hadriatici sinus littoribus, instruxit. Veneti fortissimos tres viros ei tutandæ præfecerāt, M. Antonium Bragadinum, Astorem Baglionium, & Ludouicum Martinengum. Postquam igitur isti eam menses vndecim, & aliquot dies defendissent, tandem rerum omnium ad ducendum bellum inopia coacti, & spe frustra expectati auxilij penitùs deiecti: quarto Nonas Sextiles subsequentis anni, ea conditione Mustaphæ Legato eam dediderunt: vt vrbe sibi ac militi, saluos ac liberos, cæterisque discedere liceret, vnà cum bonis, & armis. Barbarus tamen, vinctos concidi tres illos præfectos militates, cum quinquaginta veteranis, qui ipsos comitati fuerant, dum claues in illius castra ac tentorium, vrbis tradendæ ipsi tulissent, præcepit. Bragadino, nares & aures, tantùm truncauit. Nam viuum ad infamiam reseruabat. Vrbem ingressus, viuo pellem detrahi, & eam hastæ adligari, & militaris signi vice gestari, iussit. Laurentium Tepolum, quem Alexandriæ consulem norat, è furca laqueo iugulauit, &c. Communicauit hæc nobis generis, doctrinæque splendoribus Clarissimus vir, D. Ioannes Matal, Metellus, Sequanus Iuris Doctor Consultissimus.

CALARIS.

CALARIS, Sardiniæ primaria ciuitas, quatuor in partes diuiditur, media, quæ fortissimè septa est muro, propriè Calaris, ea verò, quæ orientem spectat, nouam oppidum dicitur. Ea verò pars, quæ meridiem respicit, atque mediterraneũ mare, vocatur La Gliapola, seu, la Marina, et quæ ad occidentem vergit, Stampaci nominatur. Suntq; hæ tres partes, suburbia quædam, et appendices Calaritanæ vrbis.

MALTA.



MALTA, olim Melita, Antonino Malchatia maris Mediterranei notissima insula, eiusdem nominis oppidum munitissimum habet; Quod Anno Salutis 1565. ob maximam Turcarũ classem dissipatã, immortalem nominis celebritatem consecutum est &c.

Cum Priuilegio.

RHODVS.

RHODVS, mediterranei maris Insulæ appellationẽ largitur, vrbs augusto murorum ambitu, et tutissima nauium statione clarissima, Turcicis habenis regitur.

FAMAVGVSTA.

FAMAVGVSTA, ciuitas Cypri, turribus & propugnaculis benè munita, quæ superioribus annis in truculentissimi regni Turcici potestatem deuenit.

CONSTANTINOPOLIS.

QVanquam incredibilis huius vrbis magnificentia, multo sit amplior, quàm vt vel calamo comprehendi, vel tenui facultate mea dicendi, explicari queat, ne tamen à nobis tantæ ciuitatis celebritas, silentio videatur suppressa, id, quod ex veterũ monumentis de ea eruere potui, breuitate Laconica referam. Constantinopolim, quæ quondam Byzantium, nunc Græcis Stimhoili, Turcis Stambol, hoc est, ampla & regia ciuitas, dicitur, vrbem maximam omnium Thraciæ fuisse, Herodianus testatur. Conditam aũt, Stephanus, atque Eustatius, memoriæ prodiderunt, à Byzante Ceroesse, & Neptuni filio, vel ab eo, qui classis Megarensium Coloniam deducentium dux fuit, nomine βυζης. Quod autem apud Iustinum scriptum est, à Pausania Spartano, Byzantium conditum, ita intelligendum existimo, vt qui Sycam, quam hodie Galatam vocant, à Genuensibus fundatam esse affirmant, & Constantinopolim à Constantino, qui aut reædificarunt, aut amplificarunt, non autem primi ædificarunt. Fertur primis eius fundatoribus, Pythiũ Apollinem consulentibus, vbi conderent vrbem, redditũ oraculum esse, quærerent terram, cæcorũ terris, aduersam. Ea ambage, Chalcedones monstrabantur, quòd priores aduecti illuc, prævisa locorũ vtiliate, peiora legissent. Est enim tam commodo loco, vt nemo vltro, citroque traiectiones Asiæ, Europæq; facere possit, inuito Byzantio, cùm sit velut pons, ac porta, vtriusque orbis. Tribus ex partibus alluitur mari, ex Aquilone, sinu, Cornu nuncupato, quem in Europam insinuat Bosporus: Ab oriente, cingitur Bospori extremis faucibus: à Meridie, Propontide: Ab occidente, terra Thracia. Forma eius ab omnibus ferè, triangula dicitur: quanquam tamen ob laterum curuaturas, quarum duo extrema cornua arcũ efficiunt, verius tricornis habebitur. Peninsulam occupat, septem colles complectentem. Hinc Scholarius, Patriarcha Constantinopolitanus, in enarratione vaticinij, de Turcici regni interitu, ἡν ἑπτάλοφον, eam nominat. Laonicus, Chalcondilus, in historia quam scripsit de Othomanis, tradit Constantinopolim, circuitu complecti, centum & vndecim stadia. Muri, adeo tenui iunctura erant, vt Herodianus testetur, nemini compositũ opus, sed ex vno, perpetuoque lapide, visum fuisse. Ruinas ipsorum, reliquiasque, Herodiani temporibus, qui videbant, mirabantur eos, vel qui construxissent, vel qui deleuissent. Ex parte continentis, valdè excelsi, maritimi, humiliores erant, sed benè crassi, atque turriti. Omnium rerum, ad hominm vsus necessariarum, carnium, lignorum, & maximè piscium, tanta est hîc abundantia, vt sine reti, sæpè manibus, ex cõtinenti eos capias, atque adeo, cùm verno tempore, in pontum ascendunt densi greges, iactu lapidis, velut aues, ferias: Ex fenestris quoque vrbis, calathis, ex corda appensis, mulieres piscentur, hamisque piscatores, sine esca, pelamydes capiant tot, & tantas, vt sufficiant toti Græciæ, & magnæ parti Asiæ, Europæque. Optimarum ostrearũ, tantam multitudinem capiunt, vt sufficiant, tot dierum ieiunijs, quibus Græci, piscibus sanguinis participibus, non vescuntur. Hanc vrbem Constantinus, anno ab imperio Augusti trecentesimo, sexagesimo secundo, restituit, nuncuparique nouam Romam Constantinopolitanam, lege sanciuit, quemadmodum literæ, sub equestri eius statua scriptæ, indicabant. Quæ tamen appellatio vrbi non mansit: subditi namque, ob singularem erga dominum, ac Principem suum obseruantiam, Imperatoris tamen accedente consensu, Constantinopolim, hoc est, Constantini ciuitatem, eam vocarunt. Porrò, cùm Constantinus indigenas ciues, nõ existimaret sufficere magnitudini vrbis, iuxta fora sparsim ædificauit domos, quas Senatorib. habitandas dedit, atque Illustribus viris, quos secum duxerat ex vrbe Roma, atque ex alijs gentibus. Fora constituit, alia ad vrbis ornatum, alia ad vsum ciuium, Hippodromon sacris ædibus, fontibus, porticibus instruxit, & Senatu, quem habere voluit eundem honorem, quem Senatores Romæ habere solebant. Regias ædes condidit, non multo inferiores Romæ regijs ædibus. Denique, in omni ornatu, similem, æqualemque Romæ efficere studens, in eam magnitudinem perduxit, vt Sozomenus tradat, hominum multitudine, & diuitiis, maiorem Constantinopolim esse, quàm Romam: vtque non immeritò Rhodoginus lib. xviij. cap. xxv. sicut Romam totius orbis epitomen, ita Constantinopolim κόσμου κόσμον. vocet. Fuit & hîc Academia, præstantissimis omnium artium professoribus exornata. In qua, summo in honore fuit, XII. virorum Collegium, qui publicis Imperatorum impensis, ad studiorum conservationem, honorificè alebantur. Autor est Zonaras, lib. 3. Annalium. Plura, de augustissimis templis, & interiore vrbis ornatu, desideranti, Petrus Gillius, libris quatuor abundè satisfaciet.

Quanto autem amplior Byzantij magnificentia, eo maiore dolore, Christianis, ab immanissimis Mahometi cultoribus, tantam vrbem, esse ereptam, recordamur, non sine eximia, Reipub. Christianæ calamitate, atque adeò cum summa Christi Iesu, rerumque sacrarum ignominia, Anno A.C.N.M.CCCC. LIII. Die XXIX. Maij, Duce Mahomete II. Turcarum Imperatore VIII. Damus hic quoque studioso lectori, veram Ottomanorum designationem, ex clarissimi viri, Adolphi Vernerij Epitome, de rebus Turcicis, quam non ex alijs scriptorum riuulis, sed ex ipsis Turcarum annalibus, studiosè collegit: vnà etiam eorundem vultus, quemadmodum Venetijs accuratè incisi habentur.

BYZANTIVM, NVNC CONSTANTINOPOLIS.
CASTEL nouo doue sta eltesoro del gran Turcho.
Palazo di Constantino Imperatore
S. Helena
Porta Constantina
Porta del Fiume
Porta del chinico.
Loco doue stano la maggior parte de le galie turchesche.
PERA.
Case de pescatori
Porta de S. Antonio
Porta de la farina
Porta co mego
Porta de le Pescarie
Loco doue si paga ligrip per montanea in ver Borsia
Porta S. chiara
Porta de le bombarde
Porta de le isole.
Qui stano li turchi a fare la guardia per li passegeri.
LAVVLACA
ARSENALE
Porta liona de la Riua
Isole chiamate principe le quale sono habitate da Turchi.
OTOMAN.
ORCAN.
AMVRAT.
PAIAZIT.
MAHOMET.
AMVRATE.
MAHOMET
BAIAZETO
SELIM.
SOLIMANO.
SELIM

IEROSOLYMA.

MELCHISEDECVM Chananæ Regẽ,& ſummi Dei Sacerdotẽ,eo tempore,quo Abrahamus in Chananæa peregrinabatur, prima huius vrbis fundamenta iecisſe,in eaque ſui regni ſceptrũ collocaſſe,& fanum quoddam ibidem conſtruxiſſe,à Ioſepho & AEgeſippo,hiſtoricis antiquis,memoriæ proditũ eſt: qui & tum eam Solymam & Ieroſolymã nuncupatam aſſerunt. Poſt Melchiſedici tempora, cùm ſcilicet Iudæi promiſionis terram fuiſſent ingreſsi, Iebuſæi,poſteri Iebuſi filij Chanaanis, Ieroſolymam tenuere, Iudicũ 1. eamque Iebum appellauere,Ioſue 18. Iudicũ 19. Hi tantum vrbis fidebant potentiæ, vt claudis ac cæcis, muros & turres committerent,atque Dauidi,per contemtum nuntiarent: Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos, 2. Sam.5. Cùm autem Dauid in regem Iuda & Iſrael eligeretur,opera & auxilio Ornan, Iebuſæi; primùm inferiorem ciuitatis partem obtinuit,tum, Iebuſæos occidenti, præmium proponens,Ioab, arcem Sion inuadit. Dehinc Iebuſæis, præter Ornan,profligatis ac pulſis,ciuitatem hanc, totius Iudææ prouinciæ Metropolim fecit,eamq; deinceps Iuda, Luc. 1. & Ieruſalem nominauit,2. Reg. 5. Quam in Iudæa, totiusq; vniuerſi medio, velut centrum, in altiſsimis montibus,conſtitutam fuiſſe, non modò Coſmographi, verùm etiam antiqui hiſtorici, acq; adeò, euidentiſsima, Sacrarum literarum monimenta declarant. Hæc dicit Dominus Deus, iſta eſt Ieruſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras, Ezech. 5. Et: Operatus eſt Deus noſter ſalutem,in medio terræ,Pſal.73. De montium ſitu,idem conſtat. Quemadmodum enim,qui in hanc ciuitatem tendebant (Mar. 10. Matt. 20. Luc.2.) aſcendere,ita,qui ex ea ſe quopiã conferebant, deſcendere dicũtur, Luc. 10. Pluribus diſtincta vallibus, agros fertiles, ac ciſternas multis in locis limpidas, habebat, trino muro circumdata erat, niſi,qua vallibus inuijs cingebatur, ex ea namque parte, vnius muri habebat ambitũ. Et ipſa quidem initio ſuper duos colles, Sionem & Acram erat condita,contrarijs frontibus ſemet inſpicientes, interueniente valle Tyropæia, diſcretos. Contra Acram tertius collis erat (Moriach dictus) valle Cedrone, ab Acra diuiſus, in quo Templum, & Antonia fuere conſtructa.Foris autem ciuitatis, hi colles, profundis vallibus cingebantur, & à tribus lateribus, obſtantibus vſquequaque rupibus,adiri non poterant:Quin & quartus collis incolebatur, cui nomen eſt Bezetha, ſitus quidem ex aduerſo Templi, atque Antoniæ, in Septentrionali plaga, foſsis autem altiſsimis ſeparatus. Hæc Ioſephus lib.6. de bello, cap. 6. Aedificiorum ſplendore,populi frequentia, religionis cultu, cæteras non modò Iudææ, ſed & totius vniuerſi, ciuitates, ſuperauit, adeò, vt ob ſummã fœlicitatem ciuitas ſancta,Eſa. 52.Iuſtitiæ,Eſa.1.Veritatis,Zachariæ 8.vocetur.Stupendæmagnificentiæ templo celebratur,à Salomone Rege, quinquaginta millium hominum opere, ſeptem annorum tempore ædificato. Quod quidem continebat Sancta Sanctorum,cherubos,arcam,menſam & candelabra aurea, exhedras, mare fuſile, lauacra decem, columnas æreas, omnem ritum, omnemque formam legis veteris, Sacrificia, holocauſta,hymnos,& omnes denique ceremonias. Erant illic Sacerdotes & Leuitæ, adyta & veſtibula, & altare, & feſta, celebresque conuentus, preces, & auditiones. Tota denique Reipub. Iudaicæ forma illic conſiſtebat. Illud verò maximè illuſtrauit hanc vrbem,quòd Dominus noſter Ieſus in carne,& Euangelicæ doctrinæ ſplendore, in ea apparuerit. At verò, cùm Iudæi, & Reges, & Principes, & Sacerdotes (Iere. 32.) turpiſsimis ſceleribus, ad iracundiam prouocarent Dominũ, ideo frequenter in eam grauiſsimè animaduertit; ac in truculentiſsimorum hoſtium manus,eandem deuenire conceſsit. Ioſephus de Bello lib. 7. cap.18. Vbi verò,eò immanitatis venerunt, vt viſitationis ſuæ diem non agnoſcerent, ſed Dominum Ieſum Chriſtum, teſtes, miniſtrosq; ſuos,quemadmodũ antè Propheras,nefariè occiderent, Mat.9.24. Luc.21. Ideo,iuſtiſsimo iudicio Deus, ciuitatem hanc Tito,Rom. Imperatori, diripiendam,exurendam,ſoloq; æquandam, tradidit.Contigit hæc deuaſtatio,poſt natum Chriſtum,Anno LXXII. Ac deinde,Anno CXX. Iudæi numero aucti, Betharæ, in oppido Ieroſolymæ vicino, ſeditionem, contra Romanos concitant. Eam ob cauſam, Aelij Hadriani Imperatoris iuſſu,omnes penè, ſedibus ſuis arcebantur, ac deinde ciuitas iſta,ex Imperatoris cognomine,Aelia, dicebatur.Quam ipſe murorũ ambitu reparauit, non tamen in monte Sion, vt antè, ſed in monte Caluariæ, præcepitque, ne cui Iudæo introeundi eſſet licentia,Chriſtianis tantùm ciuitate permiſſa. Vnde magnitudo iræ diuinæ in peccatores conſpici poteſt. Si enim peculiari ſuo populo, & naturalibus ramis non pepercit,multo ſanè acerbius in alienos ſcelerũ cauſa animaduertet.

Hierosolyma, Clarissima totius Orientis ciuitas, Iudææ Metropolis, in duobus collibus, omnibus alijs in circuitu eminentioribus, sita fuit, qui colles duo, intermedia valle, habitatorumb. hominũ frequentiß. quam Tyropoen vocat Iosephus, lib. 6. Bell. Iud cap. 6. sicq; separãtur Eminentior collis Sion dictus, in tres alios subdiuisus est. Primus is est, quem lib. 2. Reg. c. 5. Mello vocat, apud montẽ Gion, In quo ædificatum erat antiquum Castrũ Siloë, quod occupabant Iebusæi, & à Dauide captum fuit, vbi idem quondam Arcam collocauit & sepulturæ locum elegit. Eodem hoc loco, constructũ cernitur Mõasterium Franciscanor., dictum Sion. Versus orientem verò, huius prædicti collis, alius adhuc erat qui ciuitas inferior dicebatur, in quo Palatium Dauid conditum fuit. Hunc locum inhabitauit idem, ante quam Iebusæorum castrum, quod in Mello erat, expugnasset. Ad Septentrionem verò, situs collis, Herodis Palatium habuit. Hi tres colles, vno murorum ambitu cincti, dicuntur ciuitas Dauid. Alter collis, duas partes habuit, vnam Montem Moream dictam, in quo Abraham obtulit filium suum Isaac, Ioseph: lib. 1. Antiq: c. 14. Duo in loco, postea Solomon templum cõstruxit, & in eluo eiusdem montis, versus austrum, domum suã regiam, quæ dicta fuit Palatium Solomonis. Hic collis, quia templũ habuit, etiam muro septus fuit, et ciuitati Dauid adiunctus. Altera pars Acra cognominata, Moream versus, orientem contingens, cuius medietas vel pars vna Bezetha, hoc est, noua ciuitas dicta fuit, etiam muro, ambitu cincta. Huius Acræ medietas vel pars altera, contra torrentem Cedron posita, Palatium Assyriorum continet, fuitq; suburbium, moenib. clausum. Ita, vt prædicti quique colles, quaternis, ijsq; diuersis muroru cincturis conclusi fuerint &c. Hoc tempore Hierosolyma turcis Cuzumoharech dicitur.

A. A Porta quæ ... ad ... tra Austrũ ... Cedrõ, per quã ... nata, in ... tur.

B. B Porta, ... torrentẽ Cedron, ... in ... templũ.

C. C Porta Sion, ... extra ... ma valle ... Palatium Salomonis ... et ... antiquũ Cal...

D. D Porta, ... ta Portarum.

E. E Porta ... extra hanc ... locus, ... nati vltimi ... vnde Iesus ... sus fratribus, ... crucis ... fixus est.

F. F Porta ... Iosephi ... Herodianum ... Nehemiæ ... quorum, ... nunc Sion ... quod ... dicitur. Porta ... G. G Porta ... Orientalis ... uitatis ... 3. Reg. 11. ... dicitur Porta ... per hanc ... Sacerdotes ... ingressa porta ... bantur in vrbẽ.

H. H Porta ... extra ... Austrum, ... apud ... sordes ... torrentem Cedron ... pars ... via in Iericho ... Iordanẽ.

Noua vrbis Hierosolymitanæ descriptio, qua forma & situ nostro seculo se consticiendam præbet.

Declaratio Tabulæ huius

A. Demonstrat formam atq; situm templi Salomonis
B. Arx Pisana a Christianis constructa.
C. Turris Bari, quam Herodes regnũ adeptus, cũ oportuno loco cohibẽdis cuiuis motibus nouis, per seditione moderentur, ... magno sumptu ... munitam, denominauit ab amico Antoniam.
D. Castrum Antiochi, quod post direptionẽ urbis constregit, cui Macedonici præsidium imposuit, prohibẽs quotidiana sacra, nocta legis prescripta offerri.
E. Palatium Agrippæ, & quo amœnißimo prospectus patebat ... que in vrbe tota et circa templũ fiebant.
F. Domus Regia Salomonis.
G. Natatoria siloë.
H. Mons turris Dauid, quondã dom Dauid
I. Arcũs, siue vr vocant Cancellaria
K. Dom. Ananiæ Pontif. propre Paulum Agrippæ nunc vero templum, Augustinor. dicitur.
L. Mons Sion, nostro seculo, Monasterium.
M. Domus Veronicæ angularis, versũ meridiem montis Caluariæ.
N. Domus Caiaphæ, nunc templum factum Saluatoris
O. Castrum Assyriorũ, in quo Titus Castra posuit, cum primum murũ vrbis occuparet.
P. Xystus, locus apud amphitheatr., editus in modum porticus vel pontis lapideis, frequentibus fornicib. in subdiali supra viam publicã elevatus, per quem ab arce Antonia, vbi Romani, præsidium, semp excubabãt, patebat ad templum accessus.
S. Acheldemach, ager sanguinis
T. Fons Siloë
V. Palatium Herodis, auro atq; marmoribus ornatissimum, machinis turribus munitissimum
X. Psephina, turris octangularis, ad Septentrionem occidentemq; spectes, tantæ altitudinis, vt ex ea, orto sole, Arabia prospecti posset.
Z. Regia Monobazi, quam Graphe ædificauerat.
Nomen vel Cypriæ 12. 3. erat. indicante eundem mine in noua, & olim in veteri fuisse locum
a. Via, qua Dauid transijt, torrentem Cedron, cum vniuersa domo sua, fugiens filium suum Absolom.
b. Via, qua dominꝰ post hymnũ dictũ cũ discipulis egressus eundo torrentẽ, Vadit ad Montẽ Oliueti.

Cum Priuilegio.

a. Super humerale, seu ephod.
b. Duæ oræ super humerale.
d. Textura, siue artificiũ super humerale. L. a bordure.
e. Lapides onychini duo, quibus insculpta erãt nomina duodecim filiorũ Israel.
f. Palæ aureæ pro quibus interpres vertit vncinos.
g. Catenulæ.
h. Pectorale iudicij, pro quo interpres vertit rationale iudicij, in quo duodecim lapides in quibus insculpta nomina duodecim filiorum Israel.
i. Vncini in palis aureis.
k. Annuli quatuor in extremitatibꝰ pectoralis iudicij.
l. Annuli in lateribus superhumeralis.
m. Vitta hyacinthina.
n. Tunica quæ sub humerali supponebatur, in cuius superiori parte erat capitium siue foramẽ, per quod caput trajiciebat sacerdos.
o. Tintinnabula aurea.
p. Mala punica.
q. Lamina, quæ vitta hyacinthina religabatur tiarę
r. Tunica byssina
s. Tiara,
t. Balteum, siue cingulum.

ADEN.

ARABIAM triplicem historiographi statuunt, Petream, Desertam atque Fœlicem. Huius Metropolis, caput, & celeberrimum Emporium est ADEN. De quo Ludouicus Romanus patritius lib. 2. naugationis suæ Arabicæ, hunc in modum scribit: Hac vrbe non memini me viditle munitiorem, in continenti præsertim haud inæqualis soli, geminum latus sepiunt mœnia, quod supereſt montibus occluditur, inque eis quinæ sunt arces, in solo æquali est vrbs, ambitu sex millia ædium contenta: commercia in nundinis noctu hora secunda ob nimios, qui sæuint interdiu, æstus exercent. Prope vrbem ad lapidis iactum mons est, inque eo arx sita est. Ad radices autem montis considunt naues: vrbs profectò elegans est, & totius Fœlicis Arabiæ vrbium pulcherrima. Illò, ceu ad famigeratum emporium, ex vtraque India, Aethiopia, ac Perside exercentes mercimonia, nauali itinere confluunt. Itidem agunt, qui ad Mecham frequentes contendunt: verùm simul ac liburniæ portum appulerint, adsunt præfecti vectigalium, percontantes vnde soluerint, quidúe conuehant mercium, quantumque temporis sulcando maria abumpserint, & item quot homines singulæ celoces tulerint. His exploratis condicto malum, vela, & id genus armamenta asportant aliò, vt illinc abeundi haud persolutis vectigalibus exempta sit occasio appulsis. Hactenus ille. Dominus huius vrbis Sultanus, non nisi in Iunio, Iulio, & Augusto hîc residere solet, ijs enim mensibus mercatorum adueniunt naues, quarum omnino nullæ, quin ex montium summitatibus conspiciantur, transcurrere possunt. Est rara huic vrbi pluuia, & dulci destituitur aqua, quam ex continenti allatam, cisternis ad quotidianos vsus conseruant. Quantum ex situ ciuitatis conijcere possum, inquit Munsterus, hæc ipsa est, quam in Arabia Fœlice Ptolemæus appellat Arabiam, aut Ocelim.

MOMBAZA.

MOMBAZA insulare oppidum, elegans ac nitidum in finibus Africæ. Quod Christiani anno reparatæ salutis 1505. vi occuparunt: cùm enim Franciscus Dalmaida nauigaturus in Indiam, tributum ab oppidanis, Regis Lusitaniæ nomine exigeret, Afri verò armata manu tributi persolutionem recusarent, idcirco Christiani oppidum deuastantes, totum exusserunt. Rex triginta stipatus viris, fuga sibi consuluit, reliquis omnibus interemptis. Oppidum nunc ab Afris restauratum, & acerrimos Christianorum hostes habere dicitur.

QVILOA.

QVILOA pulchra est, in Africa ciuitas, in insula posita continenti vicina, Mahumeticæ sectæ regulum semper habuit, summum Christiarorum inimicum. Ad hanc vrbem cùm Franciscus Dalmaida An. Domini 1505. cum Lusitanica classe peruenisset, Regem ad se adcersiri iussit, qui morbum simulans ad defensionem sese parauit. Itaque septingenti Lusitani, ad ciuitatis oppugnationem armantur, qui ciuitate deuicta, regeque in fugam conuerso, aliaque gubernationis administratione instituta, ciuitatem hanc Portugalliæ regi tributariam fecerunt.

CEFALA.

CEFALA Africæ insula, anno partæ salutis 1500. primùm est inuenta, cuius longitudo trium est miliarium, latitudo verò vnius. Pagos habet duos, in quibus domus non paucæ, & arx: Regi ciuitatis Quiloa quondam parebat, cæterùm ab eo deficiens, peculiaris Regis appellatione gaudebat. Anno Domini 1505. arcem, quam Lusitani tenebant, vehementi obsidione incolæ oppugnarunt, adeo quidem, vt pertenuis euadendi spes Lusitanis appareret: qui noctu, præter Afrorum opinionem erumpentes, Regem, multosque proceres in cœnaculo suo opprimunt, eiusque caput hastæ infixum per arcis fenestram exponunt, eaque ratione ingens euadunt periculum, & tandem alium Regis Portugalliæ nomine præfectum constituunt.

ADEN, Arabiæ foelicis emporium celeberrimi nominis, quo ex India, Æthiopia, et Perside negotiatores conueniunt: vrbs est magnifica, situ et structura bene munita, ædificiorum nitore atque frequentia celebris, muro et præcelsis septa montibus, in quorum summitatibus ardentes faces nauigantibus portum ostendunt. Peninsulæ formam quondam obtinuit, nunc autem hominum industria, vndique aquis ambitur

Cum Priuilegio

Cum Priuilegio

MOMBAZA



CEFALA

CALECVT.

CALECVT, Indicarum ciuitatum præcipua,in continenti ſita,Oliſipone maior, pelago alluitur,vaſta eſt admodum abſque mœnibus,intus pluribus in locis vacat,domus haud ſunt contiguæ,inuicem diſtantes plurimum,lapidibus & calce extructæ ſunt,interiores ædium partes ſculptæ: pro imbrice palmis vtuntur, illis tegunt ſuas ædes. Fores prægrandes habent, miroque artificio fabrefactas, has muro incingunt inſtar pomerij. Ibi viſuntur arbores innumeræ, ſtagna & fontes compluſculi, nam ſtagnis libenter immerguntur,lotionibus enixè gaudentes. Fonte plurimum lætantur. In vrbe verò lacus viſunrur complures, quibus immerſi gregarij ac proletarij, omnisque ignobilior vulgus, ter vel quater interdiu lauantur. Rex idolorum latriæ eſt addictus, cui incredibilis ſeruitus exhibetur à ſubditis. Cùm egreditur, carpento vehitur, id eſt currus, quem bini viri ferunt, omni lapidum genere condecoratum. Carpentum ſtipant choraulæ, præcones, buccinatores, & id genus compluſculi. Patritij verò & eminentiores ſuæ ditionis omnes ſequuntur, enſes denudatos & clypeos teretes gerentes, ſagittarij etiam ac velites præcedunt,itinera explorantes: conopeo,id eſt tentorio tegitur,cùm incedit. Ad regem propius quis non accedit, quàm ad tres vel quatuor paſſus,cùm verò aliquid porrigunt, ac ſi ſtipem darent elephanto, ab ipſis tremebundis, id ramo porrigitur, quoniam regem tangere apud eos nefas ducitur &c. Ditiſsimi & innumeri ſunt in hac vrbe mercatores, quorum commercia ſunt aromata omnis generis vndequaque importata. Ibi ſunt panni ex ſerico omnium generum, & auro intertexti plurifariam,æra autem fabrefacta & ſtannea vaſa plurima comperies. Et vt tandem finiam, nihil ibi deſiderant, quod ad humanum cultum pertineat. Hæc ex Aloyſij Cadamuſti nauigatione,apud quem multo plura. vide etiam nauigationes Lodouici Romani patritij.

ORMVS.

ORMVS, Perſiæ inclyta ciuitas,ſitu elegantiore,ac vnionum copia,nulli vrbium eſt ſecunda, ſita eſt in inſula, & maritimis vrbibus præferenda omnibus, abeſt à continenti ſpatio duodecim mille paſſuum, aquarum potu ſuauium, annonæque mira caritas, inuehuntur fermè omnia quæ victum cultoribus ſuppeditant. Illinc itinere trium dierum leguntur conchæ, quæ pariunt margaritas venuſtiores, grandioresque cæteris baccis. Expugnauit hanc vrbem Franciſcus Dalboqueric, Anno ſalutis M. D. VI. eamque Luſitaniæ Regi ingens pendere tributum annuatim coëgit.

CANONOR.

CANONOR, vrbs Indiæ, pulcherrimarum rerum præſtantia celeberrima. Ibi Portugalliæ Rex munitiſsimam habet arcem. Vrbis Rex idola colit cum ſubditis,hi ſolem,lunam, vaccasque adorant. Portum vrbs habet, illo conuehuntur equi Perſæ, ſed immania ſunt horum vectigalium,nam penduntur pro equo ſingulo aureorum vicena & quina milia. Agrum habent aromatum, maximè verò gingiberis, feraciſsimum.

Omnes has Indiæ, Aſiæ, Africæ & Perſiæ ciuitates antè nunquam celatas, vnà cum enarrationibus manu ſcriptis, communicauit nobis Magnificus ac nobilis vir D. Conſtantinus Liskirchius. Ampliſsimæ Reipub. Colonienſis D.Conſul digniſsimus,vnicus ſtudiorum,& ſtudioſorum hominum patronus, ſingularisque Mecœnas.

Cum Priuilegio

CAIRVS.

CAIRVS & Alcairo à noſtris: Mazar aut Mizir Arabicè: Maſſar Armenicè: Alchabyr Caldaicè: Meſraim Hebraicè: Latinis Babylon, Aegypti maxima ciuitas, Ex libello anonymo, qui Poſtelli eſſe putatur, opportuno loco ſita, vbi nimirum Nilus primùm ſecatur, & δέλτα formam facit, vt vrbs, tanquam in Nili clauſtro poſita, aditum præbeat, prohibeatque ad ſuperiora loca nauigantibus. Maxima ſunt circa Alcahirtim ſuburbia, quorum alia tria, alia duodecim domorum millia habent. Alcairam autem, quam hodie vulgus Alcahirum vocat, ad XXX. millia domorum habere tradunt, cum burgis. Sunt in ea amplæ priuatorum hominum ſtructuræ, ſunt & principum arces, & templa, quæ vocantur Giuma, ſeu Gema, id eſt eccleſiæ ſeu congregationes, ſunt hoſpitalia, Scholæ, & Balnea, quibus ob præſcriptũ legis, aſsiduè ad oblationes vtuntur. Cæterùm domus iudiciariæ æruſcationisque publicæ ſunt in immenſo numero: Sunt & Turbæ, ſiue Turbiæ, ampla ædificia, magnatum ſepulturis conſecrata. Solent enim in Alchairo tyranni, ſic anteactæ vitæ maculas diluere, cùm circa ſepulchra, inſignes prouentus, & ædificia aſsignant pauperibus, peregrinis, ſtudentibus, Morabitis ſeu Heremitis, & varijs ſectis, quibus ea religio abundat: Ita, vt ad 60. millia aureorum annui prouentus, non pauca loca habeant ex teſtamento, ſic vitam æternam inſtituunt Tyranni. Etſi Nili aqua, ad ſingulas vrbis neceſsitates, ſemper decurrat, potiſsimùm ad piſcinas renouandas, ad ablutiones, & Dioryges nilos, & Euripos: excreſcente tamen Nilo, tanto cum impetu admittitur, vt tota vrbs ſit ſolis lembis peruia, & ſuas vias tunc habeat inſtar canalium Veneticorum, ita vt ſit veluti mare. Scribitur de hac ciuitate, quòd Anno Chriſti M. CCCC. LXXVI. graſſante peſte in ea ad tres menſes, aliquoties mortui fuerint vno die, viginti hominum millia, vnde magnitudo vrbis, populique multitudo æſtimari poteſt. Sunt circiter octo millia hominum in ea, qui cum Camelis aquam ex Nilo in vrbem deferunt, vt illam in vſum hominum vendant, & ad ſpargendum in plateis, & ad ſopiendum puluerem pauimenti. Itinerarium quoddam Aegypti, ſic habet: Alchaira pulchra eſt ciuitas, quæ Lutetiam Pariſiorum magnitudine quinquies ſuperat. In ea aliquot, & ea quidem pulchra, Chriſtianorum templa inueniuntur. In plateis tanta eſt hominum, mulorum & equorum multitudo (omnes enim tam viri, quàm fœminæ communiter equitant) vt ſine impedimento, nemo plateas tranſire queat, in quibus etiam artifices, ante ædes opificia ſua exercent. Pauci neceſſaria ſibi domi parant, ſed ea à cocis qui per vicos omnia circumferunt, emunt. Horum autem plures in hac vrbes inueniuntur, quàm XXX. millia. Quamplurima ſunt infidelium fana, valdè magna, palatiorum inſtar, à quorum ingreſſu, ſub pœna capitis, Chriſtiani arcentur, niſi fidem Chriſti abnegent. Habentur hîc quoque fornaces, in quibus oua artificioſo fouentur calore, vt pullos ex ſe producant. Fœmoralia, quemadmodum & viri, ex holoſerico, gemmis, & lapidibus pretioſis confecta, hîc induunt fœminæ. Earum etiam pluralitas viris conceditur. Hactenus itinerarium. Ab Alchairo inſulam ſeparat Nilus, Cerbicum dictam, quam & Mechias, id eſt menſuram, vocant, vt vult Ioannes Leo Afer, eò quòd hodie menſura aquæ ibi obſeruetur. Hanc autem rationem adfert: cùm enim in multis Aegypti locis, olim eſſent columnæ, ad obſeruationem incrementorum poſitæ, potiſsimùm circa Memphim, vt res in religionem, & æruſcationem verteretur, curarunt Muſſulmanni, ſeu religioni Iſmaelis addicti, vt adacta in terram foſſa quadrata, eximiæ magnitudinis templum, in Inſula conſtructum, ad 18. pedes in profundum veniat, & per aquæ ductum ſubterraneum, aquas admittat, in foſſæ medio columna eſt totidem pedes alta, in qua dum creſcit Nilus, notantur incrementa, & quotidie, quàm diu creſcit, mittuntur in vrbem pueri, peplis croceis capite redimiti, qui quantitatem denuncient, vt ſiue deficiant, ſiue exundent aquæ, à modo fertilitatis, hortentur ad pœnitentiam, ſi benè habeant, ad lætitiam, acceptis à populo munuſculis, pro læto nuncio. Inde à columna menſoria, nomen eſt vrbi, Michias, & Menchas. Zelimus, Turcarum Imperator, longè maximam hanc ciuitatem expugnauit, arcemque ingreſſus eſt XXV. Ianuarij, Anno ſalutis M. D. XVII. Cepit autem Tomumbeium, tunc temporis Sultanum, in palude inter cannas & iuncos latitantem, XI. Aprilis, iuſsitque, vt mulo per totam vrbem vectus, affixum collo laqueum gereret, ac tandem in ciuitatis porta ſuſpenderetur.

CAIRVS, QVAE OLIM BABYLON, ET AEGYPTI MAXIMA VRBS

Pyramides hæ in Aegypto nihil aliud fuerunt, quam Regum pecuniæ otiosa ostentatio. Cupiebant enim reges, aut potius belluæ coronatæ, hoc modo nomen suum in terram scribere, & longissimâ sui relinquere memoriam, cum tamen nullius rei fama sit in mundo temerior. Nam aut quis Architectus, aut quis rex insanus aliquam pyramidem erexerit, non constat.

Arena.

Crocodili

Dactili

Montes Peripsematici.

Cerasium Insula

ILVS FLV.

A Cairyra veteri ad pyramides, sunt passuum 12. milia.

Hinc caput constat vnius tibi visu fragmento. Cuius facies, dicunt, pedes minores habet. Strabo. alij esse sepulturæ mulieris Rodopes nati, monumentum: Quæ fortunæ huius facie meretrix, à rege in Coren sumpta, post mortem eius hoc caput, et Pyramidem fieri curauit. Petrus Martyr. ait, habere in ambitu 48. passus.

Cum Priuilegio.

1 Hic obeliscus vnico constat lapide viuo, longus passus XXI.

2 In hoc loco balsamus colligitur. 3 Palatium Campsonij Camsonis, de quo lege Petrum Martyrem lib. de ipsius legatione.

4 In hoc loco abhuntur panni, Magnet, aurum illorum effigies: modus nunc perijt. Ceterum multæ admodum Bereth. . . piscinæ in vrbe sunt, ad publicas necessitates, et ad ligurit.

5 Montes peripsematum. 6 Moresthum, hoc est, hortus rosæ, vbi pauperes excipiuntur, cibis, ingenti prouentu.

7 Turbæ: seu Turbiæ, ædificia, vbi sepeliuntur magnates.

8 Aer. Sultani, & edito loco potest subigere tormentis igni: uomis totam ciuitatem. 9 Promptuaria, vbi Principes reponunt frumentum, vbi et ligna & carbona distribuit.

10 Mare rotæ faciunt, vt aqua in hos aquæductus exaltata, in arces decurrat.

11 Massr hâm: ipsi est Egyptus, seu (vbera veteres) quæ dicta est Balsonia.

12 Columna hæc posita est, vt ex ea Nili incrementum noscatur, in de cerrissimum peritur aut vsitatis, aut caritate ignone indicio.

13 Cum hic rotæ, seu tympana, adaquantur horti.

14 In hoc loco fiunt festa hippodromica, seu equestres cursus, in aegyptiis lanceis, et quouis modo exercitatis equis. Q. alijs plerisq. ludis, Turcis et Mamelucis vsitatis. In illis ea asinum docent, qua ne credas villam simiam facere. 15 Sic vestiuntur nobiles fœminæ, cum aureo ornamento in capite, et festino panno ornatæ, facie coopertæ, qua videre, sed videri non possit.

16 Sic asinas foleratas equitant dominæ, quas tanti faciunt, quàm nos mulas nostras aut equas.

17 Arbores castiã producentes, vbi et palmæ, carissimi fructus, dactyli.

TINGIS.

TINGIS, quæ Lusitanis Tangiara, ampla & antiqua ciuitas, non procul à faeto Herculeo, Septæ cœpit parere domino ab eo tempore, quo Gothi Granatensibus imperabant, donec in Mahumetorum potestatem Arzilla peruenit, vrbana semper, nobilis, beneq; exculta fuit, structurisq; sumptuosissimis varij generis admiranda. Ager nõ admodum fœlix: nec frugibus serendis valde accommodus: cæterùm valles habet proximas, quæ fontibus assiduis irrigatæ, omnium generum fructibus fœcundissimã reddunt. Reperias quoque extra vrbem vites aliquot, verùm in solo arenoso. Incolis frequẽtissima permansit ad ea vsq; tempora, quibus à Lusitanis expugnata fuit Arzilla: tum enim ciues rumore bellico perterriti, collectis rebus omnibus, Fessam profugerunt.

SEPTA.

SEPTA quæ Latinis ciuitas, Lusitanis autem Seupta appellata, secundum classicos authores à Rhomanis in faucibus freti Herculei ædificata, olim totius Mauritaniæ metropolis fuit, quare Romani eam nobilitarunt, fuitque in ea summa vrbanitas, & ciuium frequentia. Deinde à Gothis occupata, principem in ea constituerunt, remansitque apud eos principatus donec Mahumetani Mauritaniæ fines ingressi, hanc quoque vsurpauerunt. Frequentia habuit templa, & studiosorum collegia, ciues literatissimos, & qui æneis operibus, singulari artificio fabricatis, cæteros excellerent, cuiusmodi sunt candelabra, pelues, calamaria, aliaque id genus ex ære confecta, quæ perinde elegantia habebant, ac si argentea vel aurea fuissent. Habent Itali & in huiusmodi rebus conficiendis non parum gratiæ, verùm nihil omnino, si hæc respicias. Extra ciuitatis mœnia, amplissima sunt rura, eo præsertim loco, qui vitium frequentia consitus, vinetũ dicitur: verùm ager sterilis & asper est, quare magna semper illis frugum caritas.

TZAFFIN.

TZAFFIN, elegans Africæ oppidum, muro ex montibus septum, arcem turribus firmam, ædificia frequenti numero nitidè culta, & miræ altitudinis turrim ostentat. Anno salutis redemptæ 1508. septima die Iulij Regis Emanuelis præfectus, Drego Dasambusa, oppidum hoc Mauris eripuit.

ARZILLA.

ARZILLA Africanis Azella, spatiosa ciuitas ad Oceani littus, à Romanis ædificata à freto Herculeo distat septuaginta plus minus passuum millibus, à Fessa verò circiter centũ & quadraginta. Paruit quondam Septæ principi Romanis tributario, tum à Gothis capta fuit, qui per ducentos viginti annos eam seruarunt, donec ab Anglis fœlici marte expugnatur, qui captam vrbem, ferro & igne ita deleuerunt, vt vnus vix saluus effugerit, ac triginta ferè annis incolis vacua remanserit. Postea verò temporibus pontificis Cardouæ (qui Mauritaniæ imperabat) rursum reparari, modisque omnibus augeri, ditari, ac munitior reddi cœpit. Incolæ fuerunt locupletes, docti, armisque exercitatissimi. Ager & frugibus serendis, & omnis generis leguminibus producendis est percommodus, sed cùm à montibus decem ferè distet miliaribus, magnam ferunt lignorũ penuriam, verùm carbonibus Haraide aduectis, vtuntur. Anno D. 1471. 27. Augusti, ex improuiso à Lusitanis, & oppugnata & capta est, incolis omnibus in Lusitaniam abductis. inter quos & Mahumetes fuit Fessanorum rex, qui tum 7. annorum puer, vnà cum sororcula eiusdem ætatis, pariter captus est. Hæc Ioannes Leo Africanus.

SALA.

DVplex eius nominis oppidum amnis intersecat, vetus, & nouum, quod non ita procul ab Herculeo freto remotum, Septam respicit. Vetus, anno post Christi aduentum 1514. multarum ædium structura, & mercaturæ commodis, admodum auctum, arcem habet amplam, & eminentiori in loco turrim, Summatassem dictam, quam eo potissimum nomine ædificarant Saraceni, vt inde in Granatæ oram pateret prospectus. Castrum huic ciuitati vicinum conspicitur, in quo magnifica est Regum Fessæ sepultura.

Hæc manu scriptum exemplar suppeditauit.

Cum Priuilegio.

ANFA.

ANFA, ab aijs Anaffa, ampliſsimum oppidum,à Romanis in oceani littore extructum, cum omnibus Africæ ciuitatibus ſitu locique amœnitate certare poteſt. Planities illi (præterquam in Septentrione,nam ea parte mare reſpicit) patet in longum octuaginta ferè paſſuum milibus.Templa quondam habuit mirificè extructa,officinas complures,palatia inſignia : cuius rei facilè fidem facient,quæ in hunc vſque diem relicta ſunt monumenta. Spatioſi illis fuere horti, è quibus & magna fructuum copia decerpitur,melonum præſertim, ac citrioli : quæ omnia maturitatem medio Aprili attingunt,quare incolæ ſuos fructus Feſſam deferre ſolent,quòd multò citius matura colligantur,quàm Feſſæ. Veſtitus illis cultus eſt atque ornatus,fuitque ſumma eis ſemper cum Luſitanis, ac cum Anglis conſuetudo. Eruditorum hic copioſus eſt numerus. Verùm duas ob cauſas huius loci ruinam eueniſſe volunt. Primò,quòd ſupra modum libertatem ambiebant : ſecundò, quòd myoparones in portu habebant,quibus Gades, atque Luſitanos miris indies vexabant in cõmodis.Quare tandem Portugalliæ rex claſſem expeditiſsimam quinquaginta nauium ad eos miſit,quæ incolis tantum terroris intulit,vt illi arreptis ſecum quæ poterant bonis, Rabatum nonnulli, alij Selam confugiſſe dicantur, hoſtibus eam vrbem depopulandam relinquentes. Qui autem à rege totius claſsis dux miſſus erat, fugæ omnino ignarus, ſuas copias accuratè inſtruit. Poſtea verò quæ geſta erant,à quibuſdam intellectis,milites in vrbem introduxit,quam vnius diei ſpatio ſic vaſtarunt,domos incendio deleuerunt,atque muros multis locis ſolo æquarunt,vt in hunc vſque diem habitatoribus vacua remanſerit.

Expugnatum eſt hoc oppidum Anno ſalutis 1468.

AZAAMVRVM.

AZAAMVRVM Duccalæ oppidum, Afris conditoribus ad oceani littus eo ipſo loco quo flumen Ommirabih initium habet,extructum : ab Elmadina miliaribus ex Meridie plus minus triginta diſtat. Spatioſum eſt atque ampliſsimum, habitatoribus copioſiſsimum,familias numerat circiter quinquies mille. Hanc perpetuò Luſitani mercatores habitant. Incolas habet ciuiles,habituque admodum ornatos. Populus in duas diuiſus eſt partes,& tamen perpetua illis pax eſt. Frugum atque leguminum maxima illis prouenit copia, etſi nihil quicquàm horti præter ficus producant. Piſcium his tanta eſt affluentia, vt inde ſingulis annis aureorum aliquando ſexies mille,nonnunquam & ſepties mille prouentus redeat. Piſcandi autem tempus ab Octobri menſe, ad finem vſque Aprilis eſt. Solent piſces in ſartagine cum aliqua olei portione frigere, atque inde tantum pinguedinis colligunt,vt non facilè quis credere poſsit : hanc lychno penſili infundunt,non enim aliud habent huic rei aptum oleum. Huc ſemel in anno confluunt Luſitani,ac tantam piſcium copiam auehunt,vt illi iam dictam enumerent aureorum ſummam. Hinc factum eſt,quòd Portugalliæ rex, ſpe prædæ allectus, non ſemel ad eos claſſes miſerit exſtructiſsimas : quarum prior propter ducis imperitiam, in ipſo gurgite diſiecta, ac propemodum omni ex parte ſubmerſa fuit. Poſt hæc rex ducentarum nauium claſſem expeditiſſ. miſit,qua conſpecta tantum intulit ciuibus terrorem,vt omnes in fugam ſint redacti, tanta cum portas ingredientium ſtrepitu atque turba,vt in ea ciuium pluſquam octuaginta fuerint interfecti. Anno poſt Chriſtum natum M. D.XIII. Die II. Septembr.

DIV.

DIV inſula, eiuſdemque nominis pulcherrima ciuitas. Regi ciuitatis & ditioni Cambaia quondam parebat. Sita in fronte ſinus Cambaiæ, Indicum reſpiciens mare. Quam Chriſtiani nauali prælio,claſſe 239. nauium,omni armorum genere inſtructiſsima, non ſine maxima difficultate expugnauerunt. Nam oppidanis rex Cambaiæ, Adenſium,& ciuitatis Calehut, auxilio fuerunt.

ANFA, QVIBVSDAM ANAFFA.

AZAAMVRVM.
Templum D. Virginis
Eremitarum habitatio
Castrum

D I V.
Cum Priuilegio.

GOA fortissima Indiæ vrbs in Christianorum potestatem anno Salutis 1509. deuenit.
Benesterij
Telonium
Mmizquita
Fanu Indorum
Panguru
Nuradoyro

CVSCO.

EA noui orbis pars, quæ meridiem magis reſpicit, quam Hiſpani terram firmam appellitant, Breſiliam Peruuiamque comprehendit. Huius Metropolis, & præcipua eſt ciuitas Cuſco, ea amplitudine, fortitudine, & magnificentia, vt cum pulcherrimis etiam vel Galliæ, vel Hiſpaniæ vrbibus, inuicta arcis munitione, & hominum, potiſsimùm claro genere natorum frequentia, & ædificiorum ſerie & diſpoſitione, & ſitus amœnitate, haud immeritò contendere queat. Nulla in eam multitudo plebeia admittitur, ſed nobilium, procerum, & maximorum principum, inclyta & magnificentiſsima ſedes eſt, qui partim intra vrbis mœnia, partim in villulis ſuburbanis, ruri magno numero degunt. Inter quæ quidem præcipua ſunt palatia procerum quatuor, qui huius Reipub. clauum moderantur, quæ ſuperbiſsimè, ſumptu propè immenſo, marmoreis quadratisque lapidibus ſtructa, atque depicta videntur. Plateæ cùm omnes ſint rectæ, crucis formam pleriſque in locis efficiunt, nulla autem eſt, per quam non amœnus delabatur riuulus, canali ductus, vtrinque lapidibus veſtito. Forma ciuitatis quadrangula, in latere collis, exiliter, atque venuſtè deprimitur: In cliuoſo & difficili montis aſcenſu, admirandæ pulchritudinis arx ſpectabilem, atque amœnam hanc vrbem reddit, cuius ſiue pulchritudinem, ſiue ingentem ædificij molem conſideres, perpaucæ ſimiles in vniuerſa Europa illis ſunt viſæ, qui terras quamplurimas perluſtrarunt. Habet ea in ſummo montis vertice turrim, rotundo opertam tecto, ex qua longè lateque proſpectus panditur, ædibus paruis habitationi deſtinatis abundat, quæ omnes ex lapide viuo nitidiſsimè ſunt ædificatæ. Etenim tam accurata, & planè noua iunctura, videndi ſenſum fallente, compoſitos habent lapides, vt non colligatum, ſed perpetuum, ac fuſum opus videatur. Quinque hominum milia, citra difficultatem, recipiunt. Illud arcis latus quod nullis tormentorum viribus verberari poteſt, vnius tantùm muri ambitum habet: vbi verò facilior eſt in collem aſcenſus, triplici muro gradatim ea ratione ambitur, vt prioris faſtigio ſequentis fundamentum reſpondeat, ac pari altitudine deinde aſcendat, mediocri interiecto ſpacio, quod perpolitas continuo ordine domus continet, eaque eſt latitudine, vt coniunctim vehicula tria citra offenſionem liberè commeare queant. Tam firma hæc mœnia cenſentur, vt nec quaſſari tormentorum ſtrepitu, nec occultis terræ cuniculis, cùm petroſæ rupi inſiſtant, poſſint euerti. Peringentes ſunt, ac validiſsimi lapides, ex quibus ea conſtant, quorum inuſitata, immenſa, ac rara magnitudo facit, vt humana induſtria huc eos eſſe congeſtos credi vix poſsit. Eſt in hac arce armamentarium oppidanorum armis refertiſsimum. Delectantur incolæ rebus depictis. Abundant panno, plumbi, ſtannique fodinis, argenti vim magnam, auri perparum habent.

MEXICO.

MExico, ſiue Temixtita, in Hiſpania noua Mexicanæ Prouinciæ opulenta & celeberrima ciuitas, vliginoſo & ſalſo in lacu mirabiliter conſtituta, amplitudine Hiſpalim, aut Corduham ſuperat: via quæ ad illuſtrem hanc vrbem deducit, ampla eſt, & viſu iucunda. Vici quoque omnes habent ſuos exitus, vt ab vno ad alium aquâ permeare poſsint. Habent plurimas plateas, vbi aſsiduè ſua habent fora, & commercia ad emendum & vendendum. Quarum vna eſt duplo maior foro Salamanticæ ciuitatis, vndique porticibus circundata, vbi quotidie vltra ſexaginta millia hominum vendentium ementiúmque cernuntur. Eſt in iſta platea permagna domus, in modum iudicij, in qua incidentes in foro contentiones dirimuntur. Sunt etiam hic plurimæ Meſchitæ, & Idolorum domus, quas religioſi incolunt. Eſt inter Meſchitas vna ſuprema, cuius vix credibilem magnificentiam Corteſius copioſè explicat. Idola ſua, ex farina & humano ſanguine conficiunt, quibus multa hominum corda ex viuentium corporibus extracta, quotidie offerunt. Eſt & hic magnifica Regia potentiſsimi illius domini Mutezuma, cui noui orbis adeò multæ prouinciæ parebant, vt non eſſe alium in vniuerſo terrarum orbe dominum, eius ſubditi crederent. De rara huius Mutezumæ magnificentia, & de alijs cùm harum ciuitatum, tum orbis nuper inuenti hiſtorijs, multa ſuppeditabunt illi, quos D. Abrahamus Orttelius, celeberrimus ille Geographus, in perilluſtri Theatro ſuo, folio. 2. noui orbis deſcriptores allegat.

MEXICO.

MEXICO, REGIA
ET CELEBRIS
HISPANIÆ NO.
VAE CIVITAS.

Cum Priuilegio.

CVSCO.

PRIVILEGIVM

REGIS HISPANIARVM.

PHILIPS bijder gratien Gods, Coninck van Castilien, van Leon, van Arragon, van Nauarre, van Naples, van Secillien, van Sardayne, vanden Eylanden Indien, ende vasten Landen der zee Oceane, Ertzhertoge van Oistenryck, Hertoge van Bourgoingnen, van Lothryck, van Brabant, van Limborch, ende van Luxemborch, van Gheldre, ende van Milanen. Graue van Habsbourg, van Vlaenderen, van Arthois, van Bourgoingnen, Palsgraue, ende van Henegouwe, van Hollandt, van Zeelandt, van Namen, ende van Zutphen. Prince van Zwaue. Marck graue des Heylichs Ryex. Heere van Vrieslandt, van Salins, van Mechelen, Vander Stadt, steden ende Landen, van Vuytrecht, Oueryssel, ende Groeningë. Ende Dominateur in Asien ende in Affrycken, Allen den ghenen, die desen onsen brieff sullen sien, oft hooren lesen, saluyt. Doen te weetene, Dat wy ontfangen hebben, die oetmoedige supplicatie van Franciscus Hoogenberghe, Schilder, woonende binnen der Stadt van Cuelen, Inhoudende, hoe dat hy suppliant, tot zijnen grootê coste, moeyte, ende aerbeyt, heeft doen graueren, oft steken in copere platen, die figuren vande principaelste steden vander Weerldt, die hy heeft cunnen gerecouureren, hebbende deselue binnen der Stadt van Cuelen, in een volumen doen drucken, metter descriptie vander gelegenheyt ende scituatie van elcker stadt. Ende hebben voorsz. Boek oft volumen nader handt doen visiteren, by Heeren ende Meesteren Sebastianen Baer, Plebaen der Kercken van onser Lieuer Vrouwen binnen Antwerpen, Soude tselue gherne doen drucken ende vercoopê, by sulcken gestoren drucker ende boeckuercooper binnen onsen Lande van Brabant geseten, als hem goet duncken sal, Maer en soude tselue nyet dorren noch moegen doen, obsterende onse ordinantien ter contrarien, Oick weesende dat yemant anders den voirsz. boeck soude geraecken nae te drucken oft contrefeyten, warduere hy van zijnder coste, moyete, ende aerbeyt, gefrustreert soude zijn, Ten waere dat hem hierinne worde versien met onse opene brieuen von Ottroye, Inhoudende clause van Interdictie voerden rijt van zestthien Iaeren naestcommende. Soe eest, dat wy die saken voirsz. ouergemerckt, Genegen wesende ter beden vanden voirsz. Franciscus Hoogenberghe suppliant, denselue hebbende gegundt, geottroyeert, ende geconsenteert, Gunnen, ottroyeren, ende consenteren, wyt sonderlinger gratien by desen onsen brieue, dat hy tvoirsz. boeck oft volumen, nauolgende der correctie daerop gedaen, soe verre daer eenige geschiedt is, by sulcken gestoren drucker oft boeckvercooper binnen onsen voirsz. Lande van Brabant geseten, als hem goet duncken ende gelieuen sal, sal moegen doen drucken, vercoopen, ende distribueren, alomme binnen denselue onsen Lande van Brabant, ende van Ouermaze, daert hem goet duncken ende gelieuê sal, Sonder daromme tegen ons, oft onse ordinantien verboden, ende placcaten, eenighins te misdoene, Behoudelijck dat de voirsz. suppliant schuldich sal zijn hem in desen te Regulieren nauolgende der ordinantie opt stuck van der printe gemaeckt, ende ten eynde dat die suppliant vanden cost vnd moyte, by hem alreede gedaen, ende alnoch te doene nyet gefrustreert en worde. So hebben wy geinterdiceert ende verboden, Interdiceren ende verbieden by desen, allen anderen van wat state, qualiteyt oft conditie zy zijn, den voirsz. boeck oft volumen nae te drucken oft contrefeyten, oft elders gedruckt ende gecôtrefeyt zijnde, te vercoopen binnen onsen voirsz. Lande van Brabant, ende van Ouermaze, geduerende den tijt ende termijn van thien Iaeren naestkommende, Ten waere by weten ende expressen consente vanden suppliant, Oppene van telcker Reysen zy beuonden zullen worden gedaen te hebbene ter contrarien, te verliesen allen dexemplarien ende boecken, alsoe by hen gedruckt ende gecontrefeyt, ende bouen dien drije Caroluszulden voer elcken boeck, deselue peyne tappliceren een derdendeel tonsen prouffyte, Dander derdendeel aenden officier die daer af dexecutie doen sal, ende het derdendeel tot behoef vanden suppliant. Ontbieden daerom ende beuelen onsen zeer lieuen ende getrouwen Cancellier, ende den anderen lieden van onsen Rade in Brabant, Meyer van Loeuene, Amptman van Bruessele, Schoutetten van Antwerpen, ende vanden Bosschе, ende allen anderen onsen, ende der smaelre Heeren, Rechteren, Justicieren, Officieren, ende Ondersaten ons voirsz. Lants van Brabant ende van Ouermaze, wyen dat aengaen sal moegen, huere Stedthouderen, ende eenenyegelicken van hen, soe hem toebehoiren sal, dat zy den voirsz. suppliant van dese onse gratie ottroye, ende consente, ende van allen den Inhouden van desen, doen laten, ende gedoogen, Rastelijck ende vredelijk gemeten ende gebruicken, sonder hem daerinne te doene oft te laten geschieden eenich hinder, letssel, oft moeyenisse, ter contrarien, Procederende ende doende procederen tegen die transgresseurs, ende ouertreders van desen, by den peenen hierbouen geruert, sonder dissimulatie, Want ons also gelieft. Des torconden hebben wy onsen Seghel hier aen doen hangen. Gegeuen in onser Stadt van Bruessele, den XXII. dach der Maent van Nouember, Int Iaer ons Heeren M. D. LXXIIII. Van onsen Rijcken van Spaingnen, Secilien, &c. XIX. Ende van Neaples &c. XXI.

ANTVVERPIAE,

APVD AEGIDIVM RADEVM,

ANNO PARTAE SALVTIS.

CIↃ. IↃ. LXXV.

Vidit, & approbauit D. Sebastianus Baer
Delphius, Plebanus & Canonicus Ecclesiæ
Cathedralis B. Mariæ virginis Antuerpien.

GEORGIVS BRVIN AGRIPP.

CANDIDO LECVORI S. D.

QVIA IN HAC VRBIVM TOPOGRAPHIA, CANDIDE LECTOR, LIberiore sermone, expatiari non licuit, sed pro capacitate loci, in altera picturarum facie vacui, vrbium, oppidorum que constringenda fuit descriptio, hinc factum, vt non ea, qua par erat, dignitate, de eorum magnificentiâ differere potuerim. Itaque in ea, quam nunc appendice, iungimus, quæ simul & indicis vicem subibit, dum paulò fusius de quibusdam scribimus, veram indicis rationem (quem breuem, angustisque limitibus comprehensum esse decet) minus obseruamus. Non quidem eo instituto, quasi ea omnia, quæ de vrbium primordio, antiquitate, conditoribus, situ, politica administratione, prærogatiuis, ac priuilegijs, de magistratuum, variaque fortunæ mutatione, conscribi poterant, in appendice hac comprehendere velim, hoc enim, vti laboris esset perardui, operisque immẽsi, ita fallacis, incertæque inquisitionis foret. Eò, quòd de primis vrbium fundationibus, de originibus nominum, multa fabulis propinqua, scribantur, de multarum etiam principio, et Historiarum inopia, & hominum incuria, perparum, aut nihil certi inueniatur. Quod, cum de multis Germaniæ vrbibus, doceri facilè possit, tum de totius vniuersi domina, vrbe Romana, indubitatum est, quam aliqui à congregatione hominum, nomẽ habere, alij à Troianis, alij ab Euandro, cæteri à Romulo conditam, scribunt. De quibus autem certi quippiam, historiarum monumentis commissum, extat; ex his præcipua, tum in ipsa enarratione, tum in hac appendice, ac indice, delibaui, quibus etsi curiosis, non per omnia satis fiat, tamen candidis ingenijs, his, quæ non sine labore perquisita, candidè profero, ex parte me satis facturum, omninò spero. Maximè quidem, dum auctorum insertis nominibus, lectionem, fide dignam, reddimus. Quo etiam ipso, eorum obiectioni respondeo, qui in longinqua, minusque mihi cognita loca, me calamum transtulisse, obijcient. Si quid verò mihi in his, quibus auctorum destituor scriptis, ob rerum ignorantiam, aut imbecillitatem ingenij, fidei fortasse decedet, id, admirandâ pictoris industriâ, artificiosa Hogenbergij manus, viuis vrbium delineationibus, cumulatissimè compensabit, qui tanto studio, eas graphicè, accurratèque depinxit, earumque hoc libro imagines, tuta oculorum lustratione, citra itinerum peregrinationis que pericula, vno, quietè sedentis intuitu (quod in ipso loco, non ita commodè fieri posset) spectandas exhibet, vt etiam sine enarratione historica, earum situs, forma, structurą, atq; conditio, non incommodè perspici queat. Vale. Ex Musæolo nostro Agrippinensi, Calend. Ianuarij. Anno partæ Salutis CIↃ. IↃ. LXXV.

A.

ADENA, vrbs est Arabiæ metropolitica, & munitissima, in radicibus montis editi, qui in mare lingula procurrit, sita, & vtrinque fluctibus in sinus reductis alluitur, ita, vt peninsula fiat. Mons est adeò sterilis, vt nec arbores vllas, neque plantas efferat, nempè, qui sit saxosus, & præruptis rupibus in altum promineat. Aquis caret, raro admodũ plũuijs irrigatur. EX longinquo pago aqua, per aquæductum, in locum, qui ab vrbe quatuor millibus passuum distat, deriuatur. Ea vrbis aquatio est. Annona & cibarijs importatis vtitur, quorum tamen est incredibilis copia. Est cincta muris, munita turrib. exculta mœnibus, & ad aspectum pulcherrima. In illam mercatores è Perside, & India, & AEthiopia, & ex multis Arabiæ regionib. sæpè commeant. Incolæ Mahumetem colũt, colore cãdido, & specie liberali sũt, Homines nobiles armis exercentur, & militaris gloriæ decus ardẽter expetũt. Rex alias ciuitates in mediterranea regione possiidet, & milites non paucos stipendijs alit, & è suis tantùm subditis, in prælium cum opus est, duo millia equitũ educit. Vrbi verò huic moderatorẽ, cuius virtuti multum confidit, præponere solet. Hæc Osorius lib. IX de rebus ab Emanuele, Lusitaniæ Rege, gestis. Paulus Venetus autem, hunc in modum de hac vrbe, eiusque prouincia, scribit. Aden, inquit, optimo portu excellit, ad quem ex India plurimæ appellunt naues, aromata deferentes. Et negotiatores quidem Alexandrini, illic ementes aromata, ponunt ea in naues paruas, atque septem diebus per flumen quoddam ducentes, postea humeris camelorum imponunt, & triginta dierum itinere, per terram vsque ad fluuium AEgypti deportant, & rursus in naues exonerãtes, tandem vsque ad Alexandriam, perducunt: Nec potest compendiosior haberi via ab orientis partibus vsq; Alexandriam: Negotiatores verò illi ducunt secum plurimos equos, quando nundinandi gratia, in Indiam concedũt. Exigit autẽ Rex Aden ab illis mercatoribus, qui per regionem suam aromata & alias merces deferunt, vectigal maximum, vnde plurimum ditescit. Quum Sultanus Babyloniæ obsideret ciuitatem Aconensem, & eam expugnaret, Anno scilicet D. M. C C. misit Sultanus Aden in auxilium eius triginta millia equitum, & quadraginta millia camelorum, non, quòd vsqueadeo illius cuperet augere felicitatem, sed, quod omnes maluit extinctos Christianos. A portu Aden, eundo versus Septentrionem, sita est ciuitas Escier, quadraginta distãs miliaribus ab illo portu, & habet sub se multas alias ciuitates & castra, sed quæ omnia sunt de dominio Regis Aden. Est quoq; iuxta hanc ciuitatem optimus portus, à quo innumeri equi ducuntur in Indiam. Abundat hæc Regio ture albo atque optimo, quod de paruis arboribus, abietibus tamen similibus, stillat. Incolæ crebris incisionibus perforant harum arborum cortices, vt thus extrahant, tamesi calor quoque, qui ibi maximus est, plurimũ eliciat liquoris. Habet quoq; Regio ipsa palmas cum dactylis, sed, præter modicum risum nullum producit frumẽtum, verùm aliundè importandum est Abundant autem piscibus optimis, presertim tunnis, qui ibi optimi habentur. Vinum non habent; sed ex dactylis, riso, & saccaro, optimum faciunt potum. Veruеces, qui in hac regione inueniuntur, sunt statura parui, auribus omninò carentes, sed loco earum, cornua parua habent. Equi, boues, cameli, atq; oues, vescuntur piscibus, qui quotidianus illorũ sunt cibus, quum illic ob immensum calorem, herbæ & frumenta, ex terra haberi non possint. Fit autem tribus anni mensibus piscium captura, scilicet, Martio, Aprili, & Maio, tantusq; illorum capitur numerus, vt non facilè explicari possit. Hos pisces siccant, & seruant, atque per totũ annum animalibus edendos, pabuli loco, proponunt. Vescuntur autem animalia libentius de siccatis piscibus, quàm recentibus. Fiunt etiam ab incolis panes bis cocti ex piscibus, idque in hunc modum. Concidunt pisces minutatim, atque contundunt in modum farinæ, & postea commiscent, & subagitant quasi pastũ panis, atquè ad solem desiccari faciunt, & viuunt ipsi, & iumenta ipsorum de illis panibus factitijs, per totum annum.

20. AMSTELREDAMVM, Hollandię Metropolis, de qua hũc in modum Hadrianus Barlandus. Hoc cæteris, quæ nominaui, recentius oppidum, genus hominum in colit pecuniæ studiosius. Quocirca in remotissimis etiam terris, negotiantur, habentque toto ferè anno, externum, domi suæ, mercatorem. præstat hocillis commoditas portus. Sunt alia quædam nõ pœnitenda Hollandię oppida, Goricum, Gouda, Alemaria, Roterodamum, eximij illius viri Erasmi Roterodami, vrbs nutricula.

46 ANCONA, Hadriaticum mare; venustissimo, in Piceno situ, superbissimoquè portu, nobilitat. Agrum habet bonitate, fertilitate, ac vbertate multorum nobilium fructuum, & frumenti, præstantem, maximè verò celebrem, generositate vini, à Strabone, Plinioque, laudati. lib. 14. cap. 6. Quod hodie nominatissimum Siroli, esse puto.

57. ANFA, celebre quondam Africæ, multisque ædificijs nobile, oppidum, nunc habitatoribus vacuum, cuius ruinas, & desolatos, ab omni cultore, hortos, cum Ioannes Leonis Africanus conspexisset. Vix, inquit, lachrymas tenere potui, vbi quorundam ædificiorum atque templorum (quorum adhuc quædam extabant monumenta, miserandam ruinam serio contemplatus fuissem. Horti, etsi non nihil adhuc fructū producant, syluas tamen magis dicas, quàm hortos. Nunc autem Fessanorum iniuria, ad tantam redacta est, ea vrbs calamitatem, vt nulla prorsus spes sit, nouos, in posterum, colonos, recipiendi.

17 ANVERPIA, longè celeberrimum in Brabantia Emporiū, dextram Scaldis ripam, longo tractu mœnibus & turribus coronans, ab Oceano secundum flumen quindecim circiter milliarib. brabanticis distat, quorum singula in terra tantum spacij complectuntur, quantum si expeditus pedes, statо & ordinario gradu, intra horam vnam, absoluat, & laboris satis sit habiturus, & non minum difficultatis. De huius vrbis situ, splendore ædificiorum, populi industria atq; diuitijs, quorundam extant scripti libelli. Est hoc nobile oppidum partim maritimum, Gallis, Germanis, Hispanis, Britannis, Italis frequentatum. Hodie diuino munere, & senatus prouidentiâ, sic floret mercimonijs, vt nec Londino in Anglia, nec apud Germanos Francofordiæ, nec in Gallijs Parisio cedere debeat: priuata hic domus affabrè constructa. Certamen est in vrbe, quis elegantius ædificet. Grandia sunt templa, vnum Deiparæ virginis augustissimum, cum turri altissima, ex candido lapide. Gentis mirum in opificijs acumen, domos extruunt altas magis, quàm amplas, propter locorum angustiam, & ex Senatus edicto, ex lapide. Vrbs est quam optimè munita, mœnijs circūdata altissimis, viuo, sectoque ex lapide stupendis impensarum sumpribus Diuæ Marię Hungariæ Reginæ &c. hortatu, Anno A.C.N. M.CCCCC.LII. constructis, quæ in ambitu propugnacula multa plana, & summæ vastitatis, inuictasque moles ostentant, in quarum altera hæc eximiæ pietatis S.P.Q. Anuerpiensis nuncupatio, legitur.

DIVAE MARIAE HVNG. REG. DIVI CAROL. V. CAES. SORORI, PATRIAE EX FRATRIS AVCTORITATE TVTRICI, S.P.Q.A. HANC MOLEM EX EIVS NOMINE MARIANAM, NVNCVPANTES, PIIS VOTIS D.D. QVOD SOLICITO ILLIVS HORTATV, TANTAE HAEC VASTITATIS MOENIA, GRAVISS. REIP. IMPENSIS, VEL QVADRIMESTRI SPACIO, AD MILLE PASSVVM LONGITVDINEM, IN SVPERIOREM VSQVE LIMBVM EXCITATA SINT, VNIVERSVM. QVE VRBIS AMBITVM HAC PARTE COMPLERINT, MENSE AVGVSTO. M. CCCCC. LII.

CONSTANT. HALMALVS, EQVES AVRATVS, HVIC MOLI PRIMVM IECIT LAPIDEM, DIE XVII IVLII, M. CCCCC LII.

In altera mole, hunc in modum legitur.

IVSSV CAROLI V. CAES.

IOANNES A CROMBACH, EQVES AVR. HVIVS VRBIS SENATOR, HVIC MOLI, INDITO NOMINE, DIVI IACOBI, PRIMVM IECIT LAPIDEM, ANNO M. CCCCC. XLII. DIE III. IVNII.

Est hæc ciuitas vna omnium, quæ sunt hodie in Inferiori Germania, sacrarum ceremoniarum studiosissima, veræque pietatis cultrix. Monasterium habet prænostratensium, & structurâ magnificum, & monumento Isabelę Caroli Ducis Burgundionum Coniugis, nobile. Hæc partim ex Hadriano Barlando excerpsimus. De florentissimæ autem Anuerpianæ Reipub. præstantia, dignitate, nomine, atque origine, præter accuratissimam Guiciardini descriptionem, Anuerpianas etiam origines consule, Eruditissimi viri, Doctoris Ioannis Goropij Becani, qui eas, nouem libris, doctissimè, complexus est.

12. AQVISGRANVM. Sacri Romani imperij ciuitas libera, aliquot milis, à Colonia Agrippina distans, à Grano, Duce Romano, Neronis fratre, primęua fundatiōe cōstructa, ab eo, & ab aquis calidis, plano in loco ibidem repertis (vti multi, incerto tamen authore, perhibent) Aquisgranum, denominata. Deuastata ab Hunis, à Carolo Magno restauratur, murisque cingitur. Qui & primus religionis Christianæ pædotriba, hic extitit. Summamque ibidem Ecclesiam, auro, argento, perpetuis fundationibus, & præstantissimis sanctorum reliquijs, diuersis ex locis, mirificè exornauit. Pallatio etiā, regiā magnificentiā cōspicuo, huius vrbis splendorem adauxit. Quod Anno Christi D.CCC.LXXXI à Nordmanis igni consumptum est. Ex eadem hac vrbe Carolus, re & nomine Magnus, Anno partæ Salutis, D.CCC.XIIII. ad fœlicem beatorum patriam, emigrauit, ætatis suæ LXXIIII. Imperij verò, anno XIIII. Cuius tumulo, B. Virginis templum; quod Paulo ante construxerat, inclarescit. Prodijt ex hac vrbe egregiū patriæ, & Agrippinensium decus, summus, ac Reuerendus vir, D. Theobaldus Crasselius, Theologica professione eximius, qui florentem Colonienſem Rempub. annos triginta, quemadmodum & hoc tempore, pari cum, fructu, tum diligentia facit, verbi diuini administratione pauit nunc verò, Cyrenensis Ecclesiæ Episcopus, & Reuerendissimi: Archiantistitis Colonięnsis, Suffraganeus designatus, confirmatusque est.

33. ARGENTORATVM, Elsatiæ Metropolis, sedes veterum Tribocorum, siue Tribonorum, qui ante Iulij Cæsaris octauij Augusti tempora, in hanc prouinciam, cum reliquis Germanis transgressi sunt, posteaquam Romanis parere cœpit, ac vnà cum Imperio, Latinum vocabulum habere meruit, inter ciuitates Rheni, quæ Treuirorum latissimè patentem Iuris dictionem agnoscebant, sub primis Romanorum Imperatoribus, haud obscuri nominis fuit, sub posteriobus Comitem habuit, qui, Tractum Argentoratensem gubernabat, in Germania prima, Sequens ætas Alsatiam à flumine irrigante vocauit. Quo tempore subinde à Transrhenanis gentibus Romanorum hostibus perpetuis, hæc vrbs infestabatur, donec sub Galliarum occupatoribus Francis indigenis illis, & veteribus Germanorum populis, Romanam administrationem, quoad fieri potuit, retinentibus, (id quod & à diuo Theodorico ostrogotho Cæsare, quē Veronensem appellamus, atq; cæteris huius gentis primis inter Germanos Romanorum regibus, in Italia ac prouincijs id temporis obseruabatur) post deuictos Alemanos, nouum & hoc nomen, vt etiā Francorum, donec, in quā Rege Lodouico Magno, siue Clodouce iam Christiano facto, religio nostra publicè, & absque metu passim ab omnibus susciperetur, atque pace firma constituta, sacricolæ Dominicam illā domum, tantum non totam ex regia liberalitate dono acciperent, sacello etiam dilatato, virginisque matris Mariæ, titulo adscripto, Quibus subsecuti Francorum Reges post ordinata primi Scotorum cœnobitarum Xenodochia, Gerontocomiaq;, & Pthocotrophia, adiunctis, nosocomijs, instituto etiam Episcopo per totam Caroli Magni posteritatem, nihil non concesserunt. Deinde vero Diuis Othonibus & Henrichis imperātibus, libertas ciuitati multo plenior contigit, vrbe iam pridem ita amplificata, vt partim nouam, partim antiquam, vulgus diceret. Porro Germani, vetus illud Romanum & prouinciale Argentorati vocabulum, ademptis prioribus syllabis, & Burgum adijcientes, in Storatis burgum detorserunt. Hunis, Attila duce, è Catalaunico illo conflictu domum reuertentibus, huius vrbis euersionem Annales tribuunt. Hinc Sidonius Apollinaris Attilam Rheni hostem dixit. Huiusmodi sunt vrbium & Regionum fata per vtranque fortunam, quando hic mundus nihil firmum & perpetuò stabile continet, assiduis mutationibus obnoxius. Argentoratum insuper, templo eleganti structurâ, & præcelsa turri conspicuo, illustratur. Quod haud immeritò, inter totius vniuersi stupenda, octauum obtinet locum. Cœptum est autem augustissimnm hoc templum, in fundamento Anno Christi M.XV. Episcopatus Berengarij septimo. Anno autem domini M.CC.LXXVII. sub Episcopo Conrado à Liechttenberg. Erc fuinus à Steinbach, Architectus, turrim extruere cœpit, & perducta fuit structura vsque ad quatuor testudines galeę, vel fastigij turris, circa Annum Domini M.CCC.LXXXIIII. reliquum vsque ad Coronam, beneficio Iunckherorum Pragensium, perfectum fuit, suprema autem ista corona, in circumferentia hisce sententijs sacris, Germanico idiomate, veluti gemmis quibusdam pretiosis, decoratur. Versus orientem: Christus clarificat: Christus, singulis sua dona largitur. Septentrionem versus: Christus in æternum coronat. Qua autē meridiem respicit: Christus Imperator. Christus renouat omnia. Ad occasum denique: Rex Christus triumphat. Christus in æterna sæcula Rex, &c. Vide B. Rhenanum lib 3 Rerum Germanicarū, accuratissimè de huius vrbis appellatione, differentem.

56. ARZILLA, potens quondam & ampla Africæ vrbs, nūc à Christianis, ob bellorum fœuitiam, anguſtioribus septa limitibus, Anno à Christo nato, M, CCCC.LXXI, in Lusitanorum potestatem deuenit. In qua expugnatione, Rex Mahumetes, cum socorcula, captiuus in Lusitaniam abductus est, vbi septem continuos transegit annos, intra quos exactissimè Lusitanum idioma didicit. Tandem, ingenti numerata pecunia, pater filium è Lusitania reuocauit, qui ad regnum ascitus, propter-consuetudinem, quam cum Lusitanis contraxerat, Rex Mahumetes Lusitanus, appellatus est, sæpenumerò postmodum vindictam de Lusitanis sumere, nec non Arzillam sibi ademptam, recuperare conatus est. Primo ciuitatem ex improuiso, cum omnibus copijs, adortus, bonam muri partem, solo æquauit, eamq; ingressus, Mauros omnes, in seruitutem redactos, liberauit. Christiani se in arcem receperunt, Regi, post biduum, deditionem polliciti. Interim superueniente Petro Nauarro, cum expedita classe, multarū nauium, perpetua bombardarum eiaculatione, Regem, non solùm ciuitatem dimittere, verùm cum toto exercitu abscedere coēgit, Post hæc, ita per Lusitanos, omnibus locis, communita fuit, vt prædictus Rex eam recuperare tentans, sinistro semper pugnauerit Marte. Cum in hac obsidione apud Regem stipendium mererem, è nostris vltra quingentos interfectos, aumerau. Hæc Ioannes Leo Aphricanus.

13. ATRE-

13. ATREBATVM, ex voce Attrebates, qua Cæsar vniuersitatem accipit, recētiores Latinè scripturi, scilicet effinxère, p vrbe & capite, gētis: sed quàm rectè, aliorum esto iudicium. Nos antiquitatis imitatiōe, Atrebatum, Augustam mallemus dicere, sicut ciuitatem pro Repub. vniuersa, Iulius purè loquens, protulit. Vtcumque est, instantia nunc prosequamur. Intra teli iactum indidem Scarpa præterfluit: Duaco, senis: Dorleno, octenis: Cameraco nouenis: & Ambianis, denis quaternis abest milliaribus. Vrbs ampla, augusta, & spaciosa, imo dipolis. Nam pariete quodam intergerino, ac mediano scinditur, diuiditur, ac secernitur, quarū parte altera ciuitas, antistiti nimirum obnoxia, vulgo vocatur: altera autem, quæ dominum agnoscit, vulgo, male, villa dicitur, ea vrbs est. Interim ciuitas, vt vrbe minor, angustiorque, tamen propugnaculis, molibus, & opere firmissima est, & affabrè facta. Vbi cathedra, fama celebris, Mariana, ac inibi bibliotheca manuscripta. Libri verò omnes Theologici. Omnium primum antistitem hic instituit D. illum Vedastum. D. item Remigius Rhemorū Archiepiscopus, anno D. XXXI. Procedente tempore, ea dignitas in Cameracensium, itidem antistitem transcripta est, sic, vt ex gemino, vnus duntaxat, coalescere Episcopatus. Atque adeò, ad multā ætatem, Atrebates huiusmodi dignitate frustrati. Forte autem euenit, vt Samarobrini, siue Cameracenses, Henrico IIII. Imperatori studerent, ac fauerent. Hunc ceperat inimicum Pont. Max. Rom. Vrbanus II, hostemq; Ecclesiæ Romanæ proscripserat, qui aliqua ex parte ita animaduertere volens in Cameracenses perduelles, ac Imp. iam dicti socios, Attrebatibus pristinū Episcopatus honorem restituit, Episcopumq; creauit, Lambertum ad Terouanam, tunc Archidiaconum, id quod cōtigit anno M. LXXXXV. Egit ibi haud ita pridem antistitem, Antonius Perenothus, hodie, Cardinalis Granuellanus, insignis & fama notissimus, quo Episcopatum hunc abdicante, fuffectus est in eius locum, Franciscus Ricardotus, vir spectatus & literatus. Hic in sua ciuitate Atrebatum singulare habet imperium, hoc est, magistratus creat, leges irrogat, ius dicit vniuersę, denique eam profanarū, quā sacrarum rerū Dominus, patronum tamē Beigarum principem, ac nominatim, Atrebatum comitem, recognoscit, à quo electus est, &à Rom. Pontif. confirmatus, vel inauguratus. Annuali Episcopatui tanta quanta fuerit messis frumentaria, nempe quaterna, vel quina, ac interdum sena, scutatorum millia. Ibi ad D. Mariæ, magna religione, & egregio cum peregrinorum lapidum apparatu, certum manna adseruatur, instar lanę, quod D. Hieronymus, ætate sua, ad hanc regionem pluisse, suis in epistolis, refert, quod etiam certo & statuto tempore, nimirum in maxima aëris terreq; siccitate, ac sideratione, ad eliciendam implorandamq; è superis pluuiam commonstratur. Nec deest vrbi etiam sua religio. Nam illic ad secundum compitum, summa cum cæremonia, in delubro lucerna custoditur διόπετης vtpote, quam rem sanctā, & cælitùs acceptam, antiquitùs credunt, cuius occasione, iam commodum in vrbem transmissimus. Ea ampla in primis, ac situ, & opere, arx habetur, quam nisi longinqua obsidione non facilè quis capiat. Plateę heic apertæ. Forum spaciosum. Vedastinorum sodalium cœnobium inibi, diuitijs, reliquas omnes monastieas sodalitates, longe antecellit, vti percūctatione didicimus. Vectigal enim ei immēsum, nempe vicena ducatorum millia, & eo amplius. Deinceps multa passim templa, apprimè ornata & culta. Domicilia ciuium apposite facta & commoda, & eò magis admiranda peregrinis, quòd Hypogæa in omnibus, & ipsa affabrè facta, pauimento nimirum, aut lithostrato, aut lateritio, eaq; altè effossa, de industria, in quātum audiuimus. Necessitate enim ea ratione, ac vía ciues prouidi, suarum rerum consulunt, qua vrgente, sicuti aliquando vsu venit, Hypogæa illis sunt, quæ alijs cœnacula. Bello, nimirum æstuante, & hoste mœnia tormentis concutiente, in subterraneis illis sedibus, dum extra telorum omnem sunt iactum, cum omni re sua incolumes, facilius ferunt, tolerantq; obsidionem. Hanc gentem antiquitate, fortitudine, & virtute vel vnus cohonestāt Comicus ille Atrebas, summopere ab ipso Cæsare commendatus. In instanti tempore, heic præter cęteros, clarēt, Christophorus Assonuillanus, in Consilium Regis priuatū adscitus, vir spectatus & doctus, ac deinde Nicolaus Bornius, Antistes designatus Atrebatum, cum rara doctrina, insignis orator, nō inuenustus poēta, & luculentus historiographus. Supremus heic sessitat prouinciæ senatus, vndè restè Machliniam-prouocare fas est, reo actoreq; causa cadenti. Vrbs sic satis frequentata est Attrebatum, quorū alij mercatores, alij opifices. Horum sunt multa collegia, quorum maxima pars, lanarię studet. Hinc leuidense, & textile Atrebas nulla non in parte Europæ, & cognitum, & acquisitum. Hoc iam inde ab ipso Cæsare caput numerosę gentis, vti diximus, fuit. Adhęc Carolo Caluo iniente Petro Nauarro, cum expedita classe, multarū nauium, perpetua bombardarum eiaculatione, Regem, non solùm ciuitatem dimittere, verùm cum toto exercitu abscedere coēgit, Post hæc, ita per Lusitanos, omnibus locis, communita fuit, vt prædictus Rex eam recuperare tentans, sinistro semper pugnauerit Marte. Cum in hac obsidione apud Regem stipendium mererem, è nostris vltra quingentos interfectos, aumerau. Hæc ex Guiccardini descriptione.

39. AVGVSTA Vindelicorum, in Vindelicia, aut Rhetia, vetustissimum Romani imperij municipium, vulgo Augspurg. Primum, nullius famæ aut nobilitatis vicus, ad Lechi flumen fuisse perhibetur. De primis autem huius vrbis initijs, atque progressu, hæc Argentinensium chronica, perhibent. Augustæ originem aliqui quam vetustissimam ostendere cupientes, Gentem Suevorū à Iaphet descendentem, eam primò inhabitasse prouinciam, scribunt, ibique eam condidisse, vbi abundantia aquarum, salubris aër, & aliæ commoditates facilè haberi possent, Venientes enim Sueui ad Rhetiā, locum aptum considerantes, & ad tuendum, naturā, munitum, ob concursum duorum rapidissimorum fluuiorū, Vinde, & Lici, hanc vrbem primo ædificauerunt, eamque Vindelicam, à Vindo & Lico, appellabant. Ea enim regio, postea ad Alpes, vindelica appellabatur, vniuersąque montana, pars in orientem & Austrum vergens, à Rhetis Vindelicisq; tenetur, vt Strabo scribit. Eam autem, more vetusto, vallo ac fossa, cinxerūt Amazones, postquam Europam inuaserunt, Sueuos sub Marsepia, insuetis armis, & securibus præuactis, ex hac vrbe cedere, vsq; ad Alpes coegerūt, & desolatam reliquerunt. Cum hæc ante cladem Troię peracta sint, hanc ciuitatem, ante Troiam fuisse, existimant. Et temporibus exitus filiorum Israel de Egypto, ante Romam quingentos & quinquaginta annos, cōditam, asserunt. Quam quidam, à Troianis, ortam dicūt. Eligentes autem sibi deam Zizam, quam Cererem fuisse opinātur, à qua hæc vrbs Zizaria dicta, cuius templum vsque ad tempora Romanorum inuiolatum permansit. Iam vetustate collapsum, nomen collis seruauit, qui ab incolis, Eisenberg, hodie vocitatur. Per Vindelicos inde ac Rhetos, florētissima cum muris ac propugnaculis facta. A Romanis plurima bella perpessa est, cum libertatem semper optaret, se à Romanis Vindelici alienārunt. Ideo Diuus Octauianus Augustus, Titum Ennium Prætorem, cum legione Marcia, ac alijs ducibus, in eos misit, in qua Auar, Bogudis Regis filius, adolescens, in armis apud Græco Latinos peritus, & Varro, tribunus militum, claruerunt. Hi ciuitatem in fine æstatis, multitudine Romanorum obsessam, varijs affecerunt incommodis, in ea oppugnatione, Auar, Græcus, occiditur, Et in vico, Criechisaueron, vbi sepultus fuit, eiusdemodi Epigramma, reperitur.

His nomen terris, Bogudis dat regia prolet,
Græcus Auar, pecudis, de Sueuis, more, latitus.

Perijt & Prætor cum legione Marcia, vt pauci superessent in ea clade, qui rem gestam recitarent. Locoq; cædis nomen dedit perdita legia, in media nunc ciuitate, Perleich, dicta. Ideoque heic legitur.

Indicat hic collis, Romanam nomine cladem
Marcia, quo legio tota simul perijt.

Varro, quem verem nominant, amne transmisso, in paludibus se occultans, lacui, Vernensee, nomen dedit. Is postea consul Cicilię, infœliciter obijt. Et vt Suetonius refert, quod Octauianus Augustus, omnes graues ignominias, cladesquè duas omninò, nec alibi, quàm in Germaniana accepit, Lolianam, atque Varrianam, Varrianā penè exitiabilem tribus legionibus, cum duce legatisq;, & auxilijs communibus, cæsis. Deinde Augustus per Tiberium Neronem (cùm Drusus frater eius Rhenales regiones aggressus est) post varrianam cladem, effluxo triennio, Vindelicos deuicit, atq; vrbem eorum immunitam reddidit, & vt verba Strabonis libro 4. affirmant. Tribus Romanorum millibus, Cæsar Augustus missis, vrbem Augustam habitandam tradidit, quo in loco, Varro castra iam habuerat, Claudius Drusus tamen eam postea instaurauit muris ac turribus ampliauit. Cumq; auspicijs Augusti victa & aucta erat, in honorem Augusti Octauiani, Augustam appellauēre. De his bellis Horatius in odis mētionem facit. Videre Rethi bella sub alpibus, Drusum gerentem, Vindelici Quibus mos, vnde ductus perenne tempus Amazana securi dextras obarmet. &c. Cum autem Sueui, qui potentiā & hominum frequentiā, reliquos antecellunt, hanc vrbem pertinacissimè elegerunt: Deinde in Romano imperio stabilis ac fidelis permansit, magnum incrementū habuit, ac multa priscæ vetustatis monimenta in ea relicta sunt. Anno autem salutis quarto & quinquagesimo, supra nongentesimam & vltra, Vngari Germaniam & Sueuiam vastates, Augustā obsiderunt: varijsq; cladibus Noricos, Rhetos, ac Sueuos afflixerunt. Otto primus imperator, aduersus eos pluribus diebus decertauit, eosq; tandem, ad internetionem, prope Augustam, deleuit. Tres quoq; in eo prælio eorum regulos captos, à militibus suis ad eum perductos, cùm ob elementiam seruare conaretur, Sueui (eo nolente) suspendio, necārunt. Cecidit in eo bello Diopoldus comes, frater Sācti Vdalrici, & Regniboldus, filius sororis sue. Deinde diuus Vdalricus Episcopus, vrbem illustriorē fecit, & Ecclesiam Sanctæ Affrę instauravit, quæ olim ab Attila, & nunc ab Hunis lesionem sensit. Et ecclesiam sancti Ioannis, & sancti Stephani construxit, Ornatusq; hæc imperialis ciuitas publicis & priuatis ędificijs pulcherrimis, & præsertim Basilica episcopali ampla, beatę Mariæ virgini dicata.

57. AZAMVRVM, Africæ oppidum, expugnatum est à Christianis Anno salutis, M.D.XIII. Quo tempore venerat huic oppido in auxilium Princeps quidam, qui vt suę saluti consuleret, se ex alia vrbis parte sune demisit, Mox varię huc, atq; illuc dispersi sūt incolę: hic nudis pedibus, ille equo fugit. Nec potuisses, scio,

à lachrymis continere, si fœminas, si senes atq; pueros, capillis passis, nudisq; pedibus fugere vidisses. At, priusquam Christiani cum Iudæis aliquod sint prælium auspicati, qui relicti erant à fuga ciues, eo pacto sunt in gratiam recepti, vt Lusitanus, nullis inuitis, portisq; vndiq; patentibus, illarum rerum potiretur, quę ciuitatis erant: proinde nulla præterea inferretur ciuibus iniuria. Hunc in modum cœperunt Lusitani eam incolere regionem. Iudæi verò, partim Salæ, partim Fessę, adierunt regnum. Nec puto aliam ob causam id illis à Deo opt. Max. fuisse illatũ, quàm propter horrendum illud Sodomitarum crimen, cui ciuium pars maxima tam fuit addicta, vt iuuenem vix non corruptum, à se dimitterent.

B.

5. BARCINO, omnium vrbium citerioris Hispaniæ, florentissima, pulcherrimaq;, quam Lucius Marineus Syculus, lib. XIII. de Arragoniæ regibus, mirificè commendat. De Bacinone etiam. comitibus, & eorum origine, alio loco scribit. Anno salutis M D XXXXVI, in hac vrbe, societati Iesu, Collegium, à pijs quibusdã, auitæ religioni deditis viris, inchoatum est, qui pietate & zelo christiano, R. D. Patris Araoz, qui aliquandiu ea in vrbe commoratus est, moti, amplissimas, in eiusdẽ collegij fundationem, elemosinas, contulerunt.

92. BASILEAM ciuitatem amplam, clarissimamq́e, in loco regio extructam, temporibus Imperatorum Gratiani & Valentiniani, qui simul imperio præfuerunt, Anno scilicet Christi, CCC. LXXXII. in rerum natura fuisse, conuincit Ammianus Marcellinus, tricesimo historiarum libro: Meminit autem Gratianum construxisse fortalitium quoddam contra Germanos, non procul à Basilea, (sic vocat Basileam) quod incolæ, Robur vocant. Itaque ante Gratiani tempora Basileam extitisse, apparet. Ita enim Felix Malleolus in viridario imperatorum, & Regum Romanorũ scribit. Tempore Arnolfi Imperatoris, irruentes Vngari magna vi in Germaniam, destruxerunt Basileam, quæ tum Augusta magna vocabatur. Sed Henricus Rex, pater Ottonis primi, rursus eam vrbem excitauit, transtulitque in eum locum, quem hodie Basilea occupat. Fundauit quoque ibi Ecclesiam Episcopalem, & alias Ecclesias, magnificeq; dotauit, Hæc ille. De nomine huius vrbis quidam, sed tamen sine probatione scribunt, ipsum à basiliseo deductum. Fuerunt alij, qui, priusquam omnes Ammiani Marcellini libri, qui extant, euulgarentur, Basileam sic dictam putabant, à passagio & traiectu, qui in eo fuit loco, antequam ciuitas extrueretur, vt scilicet inde rectius Pasel, quàm Basel, primum fuerit vocata. At Ammianus irrità hanc coniecturã reddit, qui ciuitatem illam græca voce βασιλείαν quasi Regnopolim, seu regiam vocat. Alluitur Rheno, qui eam penè mediam diuidit, nisi, quod ponte vnitur. Habet vrbs ipsa commoditatem magnam à Rheno, quia ad eam plures sunt nauigationes, magnisque potestadi ri oneribus. Agrum habet amplissimum, extra & intra montana, qui frumenti & vini ferax est. Passa autem est ducentos annos, multos & graues terræmotus, sed rursum est instaurata, & nostris ferè temporibus bonarum artium Gymnasio ornata, à Pio, eius nominis Pontifice secundo, instituto. Cæterum, situs ciuitatis Basileensis, omnibus modis commodior est, quàm situs Augustæ Rauracę, quod in libero terræ spacio, & planicie condita sit, vbi aër est salubberrimus, solum terræ fecundum, scaturigines multorum fontiũ, concursus multorum amnium, præsertim Rheni, Birsæ, VViesæ. Byrsa ex Iure Monte, per multas conualles, Basileam vsque deuoluitur, plurima secum deferens ligna, & lignorum rates. VViesa verò fluuius, ab opposita parte, à Nigra sylua segregatur, adferunturquè per eum plurimæ trabes, ædificijs aptæ, ac deinde in minori Basilea multis inseruit officinis. Nam serrantur eius beneficio, molà versatili, arbores in asseres, commolitur frumẽtum, acuuntnr fabrilia instrumẽta, ducuntur in bracteas ferreę massæ, multisque alijs conducit vsibus, præter id, quod habet nobiles pisces, præsertim trutas. Et quamquam minor sit opposito fluuio Byrsa, est tamen eo piscosior, plurimisque officinis inseruit, etiamsi Byrsa non modica quoque exhibeat ministeria molitoribus, & papyri confectoribus, qui aliquot insignes habent officinas iuxta hunc fluuium, aut potius iuxta riuulum ab eo segregatum, & ad mœnia vsque maioris Basilea facto alueo, deductum.

1. BETHLEEM, Lusitaniæ vicus, situ tam opportuno excellens, vt quasi vallum ac propugnaculum sit Olisiponensium portus, à potentissimo inuictissimoq; Emanuele, Lusitanorum Rege (de cuius virtutibus, rebusq; magnificè gestis, Hieronymus Osorius, Algarbiorum Episcopus, duodecim libros, eruditè conscripsit:) perauguſto fano, D. Virgini dicato, magna celebritate illustratus, qui & locum illum Betleheem appellari voluit, nomine ab ea ciuitate sumpto, in qua Christus, ad humani generis salutem, natus est. Asciuit autem homines singulari religione, qui se D. Hieronymi institutum sequi profitebantur: quos in illius templi caltodia, ponere t, qui sacra conficerent, & numen diuinum religione placarent: & omnes nautas atquè vectores, qui ex varijs partibus eò commeare solent, sanctis disciplinis, eruditent. Eum verò locum, sepulturæ sibi delegit. Arcem deinde in rupe, quam marini fluctus circumfluunt, non longè à templo, occasum solis versus, instituit munitissimam, quæ prohiberet portus Olisiponẽsis aditu naues omnes, quæ non se pacificas esse, signo nautis vsitato, significarent.

23. BREMA, amplissima VVestphaliæ vrbs, episcopatu insignis, multo tempore cum vicina ciuitate Hamburgensi de primatu contendit. Habet sub se Episcopatus Lubecensem, olim Aldeburgensem, Suerinensem in Meckelburga, Lebussinensem, Schlesuicensem, Racemburgensem, Hamburgensem, vbi olim Archiepiscopatus fuit omnium Aquilonarium prouinciarum. Bremenses gloriam suam ducunt, Danorum gentem, à se, ad Christum esse conuersam.

21. BRVVERSAVIA, Zelandiæ haud ignobile oppidum, eamque huius prouinciæ insulam, quæ à præterlabente Scalde, Schaldia cognominatur, situ occupat.

16. BRVGAE, Flandrorum oppidum ad Oceanum in æstu marino situm, amplitudine spaciosum, ædificiorum magnificentiâ tam priuatim, quàm publicè, platearumq; nitore, ac latitudine, spectabile, canonicorum & monachorum collegijs, frequens, maiestate ciuium & splendore, cultuquo venerandum, populi gratia elegantiaq;, & hospitalitate nobile, doctis viris ingenijsq;, & omnis generis artificibus excellens, supra quàm dici potest. Plerique Louanio Grudios, quorum Cæsar meminit, asscripserunt Sed Doc: Becanus, lib. I. Atuaticorum, Grudios Brugenses fuisse, confirmat, in quorum oppido hactenus est domus Gruthusa nominata, id est, Domus Grutia, à qua nobilis quædã Flandriæ progenies, & nomen, & Gentilitatis originem accepit. Cum autem Gruiten, siue Ruiten, canales, seu fossas ad ciuium commoditates deductas, Belgis significent, constare hinc potest, plurimis olim canalibus, ad diuersos vsus, hoc oppidum nobile fuisse. Atqi hinc ciues Grutios, siue per mediam litteram, Grudios, cepisse nominari. Eadem autem ratione post Brugij, siue Brugenses sunt nominati, propterea, quòd pontibus, quos Bruggen, nostrates dicũt, pluribus abundarent. Vbi enim plurium est canaliũ, ad naualem vecturam, illic ad pedestre & equestre iter, quamplurimis opus est pontibus, ita, vt Brugij, cum Grudijs, optimè quadrent. Ossa Ludouicia Viuis, in hac vrbe, terræ commissa iacent, qui quidem vir, quam benè de re litteraria meritus sit, cùm doctissima ipsius, variorum argumentorum, scripta, tum vel sola illa commentaria, quib. II. & XX. D. Augustini, de ciuitate Dei libros. illustrauit, nõ obscurè demonstrant. Hoc anno M. D. LXXIIII. amplissimũ, in hac vrbe, Collegium, societati Iesu, ab Episcopo eiusdem loci secundo, erigitur, cuius prima fundamenta, summus & philosophus, atq; Theologus, R. D. Franciscus Costerus, Machlinienſis, iam hoc tempore ponit.

14. BRVXELLAE, Regia in Brabãtia sedes, incredibili aëris, situsque amœnitate, cætetas Brabantiæ ciuitates, superat, lympidissimis abundat fontibus, quorum septem hic publici inueniuntur. (priuati alioqui in ædibus & ciuium hortis, complures habentur) totidem portæ, totidemque deducentes in forum plateę. In quo & septem sunt ex ordine domus amplissimæ, pari, elegantiquè structurâ, conspicuæ, quæ à Senatu, honestis ciuibus priuatũ in vsum elocantur. Sunt etiam hic septem parrochiales Ecclesiæ, septem denique in hac vrbe obstetrices inueniuntur, quæ mulierũ parturientium cũram, suscipiunt. Quę quidem, cùm eius artis, admodum habeantur peritæ, & Senatui iuramento sint obligatæ, tam tenuioris, quàm splendidioris fortunę matronis, ex Magistratus edicto, vsũi, & auxilio esse coguntur.

23. BRVNSVICVM, Vrbs Imperialis Superioris Saxoniæ cẽtrum, à plerisque statuitur. Hinc duces Brunsuicẽses, tota Germania nobilissimi, nominãtur, Generosa Othonum soboles, Onacrã, fluuio irrigua, cepta est primùm ædificari à filijs Ludolphi Brunsuicensium Ducis, deinde verò, à Brunone nomen obtinuit, vt Brunsuicum, nominaretur.

41. BVDA, Hungarici regni caput, in Pilissiensi Comitatu, in quo vinum nascitur sulphureum, ebrietatem vetans. Suntquè ibi aquæ sulphureæ calidissimæ, quibus lanij vtuntur ad depotandos porcos. Ranæ multæ in balneis. olim Sicambria dicta, à Sicambrorum Legione, id est, prima auxiliatrice, quæ ibi locata fuẽrat. Hanc cum Atthila fratri Budæ mandasset instaurandam, & de suo nomine vocandam, is contrà, proprium imposuit nomen, Vndeiratus Atthila, germanum suum, regnique cõsortem, proprijs manibus nefariè interemit, ac in Danubium præcipitari iussit. Et huic vrbi nomen Atthilæ imposuit. Alemani, qui eius iugum ferebant, Ethelburgk, vocãrunt. Alij Offen, à fornacibus calcis, quarum olim complures ibi inueniebantur, Alij in vetitum nisi sunt. Sunt etiam, qui Buda nomẽ, à Budinis populis, quorum Herodotus meminit, descendere existimant. Eius vrbis, ea est conditio, vt nec quicamque munitius, nec certè amœnius, in tota ferè Hungaria, inueniri possit.

9. BVRDEGALA, nobilis ac illustris Galliæ ciuitas, optimo iure, caput est totus Aquitaniæ, non propter antiquitatem tantũ, sed etiam propter insignem eius magnificentiam. De cuius origine referunt, quondam, Gallia nimiũ populi multitudine abundante, Bellouesum, & Sigouesum, Biturigũ principes, vt patriam quasi exonerarent, binos copiosos exercitus collegisse, quorum alterum, in Italiam; alterum, in Germaniam miserint, deinde in Aquitaniæ fines extendisse, & hanc vrbem ad mare fundãsse. Multo tempore, libertatem suam tutata, nemini paruit, à tempore videlicet Tarquinij Imperatoris, vsque ad Traianum, ac diu etiam post. Tandem Gallię Reges, sibi imperium in eam vindicarunt, hactenusque retinent, ac tertium ibi regni sui Parlamentum, constituêre. Bis amplificata est. Primò quadrangularis fuit, longior tamen, quàm lata. Primo amplificationis circulo cõtinetur, quicquid est intra fossas, quæ in ipsa vrbe sunt; & forum, quod est ante palatium, versus castrum, du Ha, vel du Fa, dictum. Inde, quicquid est vsque ad extrema mœnia, id totum habetur pro secundo augmento. Varias in ea videre est antiquitates, inter quas in primis numeratur Palatium Turelæ, vulgo, Pallais Turele, quod est ædificium quadratum, octo columnis in longitudine, & sex, in latitudine, innixum. Id existimant quõdam prætorium fuisse, vbi causæ dici, & per prætores ac prouinciarum præfectos, ac gubernatores, iustitia administrari solita fuit. Extra vrbem, versus portam Sancti Germani, aliud extat valdè quoq; antiquum ædificium Id Galieni palatium appellant, vulgò Pallais Galiene. Dubium non est, ciusmodi reliquias esse amplissimi ciuisdam theatri, vbi publicè ludi exhiberi, agique solti fuêre. Hoc ambitu clauditur etiam ecclesia metropolitana, D. Andreæ sacra: item arx, quam Trompettã nominant, plurimaq; alia ditissima, ac sumptuosissima ædificia. Portum habet in crescentis Lunæ modum, appositissimè constructum, à qua forma, illi quoque nomen Lunæ, indirum est, nauibus recipiendis, vti commodissimum, ita receptis tutissimum. Hæc ex Antonio, Pineto excerpta sunt.

6. BVRGOS, Antiquissima Gallecæ Prouinciæ in Hispania vrbs, situ est partim plano, partim montoso, arce in culmine montis, vetustatem structurâ indicante, decorata, machinarum & tormentorum æneorum apparatu, quæ ex Germanico bello, eò translata sunt, instructissima. Iuxta vrbem Burgensem Carthusianorum cœnobium est longe amplissimum, celebri templo, & præcellenti structurâ nobile, vulgo, Mille flour, nuncupatum. Habet in hac vrbe, societas Iesu, Collegium præstans, cui quidem instituendo, Franciscus Mendoza, eiusdem loci Episcopus, ac S. R. E. Cardinalis, præclaram occasionem dedit, Anno Salutis. M. D. L I. Quod R. D. Franciscus Strada, multum deinde, doctissimis suis concionibus, illustrauit.

18. BVSCVMDVCIS, firmum Brabantiæ oppidum, ludo literario, & pugnaci populo, nobile. Horum arma superioribus annis haud semel Geldrij sensêre, cum qua gente vario certamen est euentu nostris hominibus. In hac vrbe templum est Deiparæ sacrum, opus visendo apparatu. Hæc Hadrianus Barlandus.

C.

54. CANONOR, Vrbs Indiæ maxima, & præstantissima, cuius Incolæ pane non vescuntur, sed oriza, pisce ac carnibus, nec non iuglandibus, quas fert regio. Inibi cœpta sunt inueniri zinziber, piperq;, myrobolanum, cardamomum, cassia, & id genus aromata complura. Vrbem mœnia haud circundant: ædes sunt despicabiles, illic reperiuntur fructuum complura genera, nostris absimilia, verùm longè suauia: Regio est propè inaccessa, ob frequentiores specus, vi extructos. Regi sunt in armis ad quinquaginta nobilium millia. Heros, ipsi appellant. In prælijs vtuntur ense, clypeo obrotundo, hastis, ac arcubus: nunc verò tormentis etiam vti consueuerunt. Nudi incedunt, obscœna tantum velati: ijs apertum est caput, nisi, vbi ad bella contendunt, tunc caput subrutilo galero tegunt, eoque bis inuoluunt, vittaq; nescio qua, vinciũt. Equis, mulis, asinisque non vtuntur, minusque camelis, quos dromedarios passim vocitamus. Elephantis tantum vtutur, non tamen præliaturi.

54. CALECHVT, in India celeberrimi nominis emporium, in quo opulentissimi inueniuntur mercatores, qui Regem tum muneribus, tum ingenio sibi conciliant, ac ferè pro libito cuncta gubernant. Habent Moscheam in foro, vbi mercimonia exercent sua, plerumque sunt Mauri, viri acres, & excreti mercimonijs. In vrbem ita que Calechut comportant aromata ferè omne genus, videlicet, cinamum, piper, Gariophyllum, Zinziberim, thus, lacham. Sunt & sylue, sandalij condensissimę, nõ tamen hu-iusmodi aromatum genera ibi nascuntur: sed ferè vndequaque importantur, ab insula præsertim, quæ abest ab vrbe Calechut, eò itur terrestri itinere 20. dierum spatio. incolitur à Mauris. neque Christianis Mauri dominantur, & inde p'ura aromata Calechut exportantur, quoniam ibi est emporium, & eorum statio. Portugalenses in hac vrbe Calechut commorati sunt, à die decimo nono Maij, vsque ad diem X X V. Augusti. Et per id tempus viderunt innumeras naues, vtputa supra mille ac D. quæ vltro citro que commeant commertij gratia, & præsertim aromatũ. Inter has naues, quæ magnitudine alias excedit. nõ est capax C C. doliorũ: earum sunt magnæ quædam, nonnullæ verò paruę, vnum tantum malũ habent: nec nauigant, nisi ventum habeant in puppi, adeoque æstibus maris interturbantur, vt nonnunquam semestri ferè continuo, vt tranquillum fiat mare, expectent: submerguntur plurimę, & miro artificio sunt fabricatæ: sunt tamen debiles, perinde, vt armorum pariter, ac tormentorum sint impatientes: quæ verò cõtendunt ad insulas, vt inde comportent aromata omne genus, fundi sunt per quàm mediocris, adeò, vt paruo ad nauigandum alueo, egeant. Aliæ sunt, quæ ideirco absq; ferro sunt, quoniam vim magnetis pauent: nam is lapis visitur supra dictas Insulas, quà iter ipsi faciunt. Dum vrbi appellere vsu venerit, illarum statio est in terra, in luto tamẽ. Id enim curant ex compositio, vt tutius degant in arido: quum increscit mare, dant operam, vt eius æstu naues impellantur in siccum, & ibi tantisper manent, donec finitis commercijs, soluere illinc complacitum fuerit: mare ibi crescit & decrescit singulis sex horis, vt apud nos: visuntur aliquando in sicco naues quingentæ, vel D. C. quæ res propè est incredibilis. Regia Principis Calechut, patet non minus mille passibus, si ambitum spectaueris. Paries parum consurgit, ob instabile solum, quo fundamenta iaci nequeunt, mox aquis featurientibus. Structuram assabrè elaboratæ trabes superimpositæ, coniunguntur, toreutico opere intercursantibus dæmonũ figuris. Quas verò margaritas, & id genus pretiosos lapillos, rex cultus circumferat, præmagnitudine, explicari non potest, omnem enim æstimationem planè excedunt. Ab omni morticinio Rex abstiner, quemadmodũ & reliqui aulici, & primores ferè omnes, nihil, quod mortẽ patiatur, edunt. Promiscuus autem populus, carnibus, mure, ac piscibus sole exustis, vescuntur. Præstantiora tamen animalia, vti boues, nõ necant, eosq; benedictos nuncupant, quos, cum præstereunt, contingunt manibus, & deosculantur. Rex proinde, & proceres lacte, butiro, oriza, & similibus, quæ terra ex se fundit, victitant. Humi absq; stragulis, inter edendum, recubant. Discumbentem sacerdotes circunstant, nusquam propius, quàm ad quaternos passus accedentes, regis verba reuerentissimè obseruantes. Palmarum succo, pro vino vtitur, è vase argenteo bibit, ita tamen, vt vas labra non contingat. Suspenso itaque vace, instar crateris vinum demittit guttatim, & ori infundit. Prius Rex cibum sumpturus, non discumbit, quàm quaterni sacerdotes regias dapes Dæmoni (cuius sacellum & simulachrum domi, miro apparatu, habet) peculiari ritu, obtulerint. Vbi verò rex esse desierit, actutum sacerdotes, quicquid dapum superfuerit, in locum quendam transferunt, & in nuda humo collocant: quo facto, rursus & iterum manibus cõplosis, excitant corniculas, aues nigricantes, quæ ad hoc vnum aluntur. hæ enim signo huius modi assuescêre, propterea veluti tessera data, ilico aduolant, regiasque reliquias depascuntur, eas volucres, nephas est lædere, ac proinde tuto volitant, quocunque libuerit. Ductarus Rex vxorem, prius thorum inire non consueuit, quàm à digniore sacerdote, noua nupta, defloratа fuerit. Nec id munus vltro subeunt sacerdotes, stupri à Rege pretium constitutur quingentorum aureorum. Hunc morem, præter Calechut, nemo obseruat. Exempto, rebus humanis, Rege, si superstites sunt mares liberi, aut germani, aut fratrum filij, ij minimè, regno succedunt: nam filio sororis, ex gentis instituto, sceptra debentur: qui si nullus foret, regno succedit is, qui arctiore coniunctione regem contigit, non alia, aiunt, de causa, nisi quòd Brami-ni sacerdotes, reginam defloraverunt. Peregrè proficiscente, aut exeunte in venationes Rege, sacerdotes, vel vigesimum annum tantùm nati, reginam domi asseruant, illi assistentes: nihilq; gratius Regi contingere posset, quàm vt reginæ per stupri conciliationem assuescant. Propterea exploratum habet rex, ob vulgatam reginæ pudicitiam, ex ea susceptam prolem inter liberos colloeandum minimè fore. At, sororis natos, veluti sibi, iure sanguinis, coniunctissimos, adscire in imperij partem cõsueuit. Regede functo, regni indigenæ omnes barbam ponunt, capiteque tonso, desiderium Regis testantur. Nec omnibus est idem mos, alijs menti partem nouaculâ, nudantibus, alijs verò capitis partem solùm tondentibus, vt sua trahit quemq; voluptas. Per id tempus etiam, quo regem funerantur, qui piscatu vitam trahũt, per speciem mœroris à piscium captura temperant octenis diebus, & vbi ex coniunctis regis quempiam mortem occumbere contigerit, itidem seruant, quod rege defuncto seruari memoraiumus. Patritij ac negotiatores mutuo consensu, arctioris amicitiæ conciliandæ gratia, vxores commutare solent, pignora verò, priorem parentem sequuntur: Alijs verò sacerdotibus, & idolorum cultoribus longe sunt alij mores: nam fœmina septenis nubit viris, qui in concubitu noctes alternant. Vbi autem pepererint mulieres prolem, delegant adquemcunque ex septem coniugibus voluerint, à quarum assertione, nulla est prouocatio.

55. CAYRVS, quondam Babylon, AEgyti maxima ciuitas ad Nili flumẽ, incredibili populi frequentiâ clarissima. Arcem intra mœnia habet, haud minorem ciuitate Vlmensi.

1. CASCALE, elegans Lusitaniæ oppidum, maris vicinitate, clarum.

2. CASSVLA, Ptolemæo Stereontium, vrbs Hasſiæ elegans, vbi Landgrauij arcem habent, validis propugnaculis munitam, & aquis probè instructam, hortum etiam, odoriferis consti-

tam herbis, & opere topiario, more Italico, apprimè ornatum.

52. CEFALA, Africæ non admodum lata insula, cuius incolæ, ex annuo dactylorum prouentu, vitam, vilesq; inhabitant casas, ex palmis compositas, quod ligni genus, cum vibrosum magis, quam solidum sit, minus ædificijs conuenit.

53. COLONIA AGRIPPINA, Suetonio, in Ottone, Agrippina dicitur, ab Agrippa, genero Octauiani, vnde Agrippę meminit Strabo lib. 4. Et ad vlteriorem ripam prius confedisse, hos ab Agrippa reductos scribit, vt manifestè in Cæsare videtur. Sichardus verò, Cremonensis, ab Agrippina Claudij vxore, hanc vrbem dictam existimat. Marlianus illam primo ab Agrippa ædificatam asserit, & tempore Iulij Cæsaris Marchionatum Cleuensem fortitos fuisse Agrippinenses, quos Ptolemæus lib. 2. ca. 8. tabula 3. Agrippinenses appellat. Conuncit hanc ciuitatem Agrippinæ nomen assumpsisse Peutinger authoritate Cornelij lib. 12. hist. Ab Agrippa Claudij vxore. Plinius lib. 4. cap. 17. Agrippinam Coloniam hanc facit, similiter Rhegino, Ammianus Marcellinus lib. 15, hanc in secunda Germania, ampli nominis vrbem esse putat. Sextus quoque Aurelius, Agrippinam esse asserit nobilem Galliæ vrbem. Strabo lib. 4. hos Vbios, & Vibios dixit Vbios Cornelius, Peutinger, Cæsar, & Ptolemæus: Plinius verò lib. 4. mat hist. illos Incubos vocat. Hermolaus Barbarus ad hodiernam diem, ait, vicum ibi Vbium dictum, à quo forsitan dicti sunt Vbij, videri. Dicitur Colonia ex sententia Sicardi Cremonensis à quodam Troiano colono. Alij Coloniam Romanorum dixerunt, vt Peutinger & Chronica Argentinensia tradunt, ab Hilderico Rege, qui huc Romanos deuxerat, vt & Otto scribit lib. 4. cap. 32. Hi Rhenum ingressi, vt eos arcerent, non vt custodirent. Est autem ad ripam Rheni sita vrbs illa lunæ similis imperfectæ. Otto lib. 7. Chronico. cap. 12. Coloniam magnitudine, ædificijs, omnibus Galliæ & Germaniæ ciuitatibus, prætulit, ex quo Treueris defecit. Cæsar. lib. 4. florentem & amplam ciuitatem testatur, & caput Germanorum. Paulus Pataunus L. vl. ff. de cen. Agrippinenses in Germania inferiori, iuris Italici esse scribit. Pomponius Germaniæ inferioris Metropolim eam nominat. Auctor est Sextus Aurelius Victor, Traianum, imperium apud Agrippinam, nobilem Galliæ Coloniam, suscepisse. Francisc⁹ Petrarcha Florentinus. Agrippina, inquit, situ & flumine clara, mirum verò quanta populo ciuilitas, quæ vrbis species, quæ virorum grauitas, quæ mundities matronarum. Peruetustum Gentis Coloniæ ritum esse vulgo persuasum præsertim fœmineo: Porro inligne spectaculum in vigilia Ioannis Baptistæ, Petrarcha se vidisse scribit. Cum sol ad occidentem vergit, omnis ripa præclaro & ingenti mulierum agmine regitur, & incredibilis sine offensione concursus erat, vicissimque alacres, pars herbis odoriferis intinctis reductisque post cubitum manicis, candidas in gurgite manus, & brachia lauitur, & tradunt omnem totius anni calamitatem imminentem, fluuiali istius diei ablutione, purgari, & deinceps lætiora succedere. Itaque lustrationem esse annuam, inexhausto semper studio cultum colendumque. ô nimium fœlices Rheni Accolæ, quorum ille miserias purgat Germaniæ superioris, Nec Hister, nec Albis Italicorum, nec Padus vnquā valuit purgare, nec Tyberis, pigriora sunt hæc flumina. Hæc ille, Vrbs Colonien sis, scribit Franciscus Irenicus, nomen Beatæ sibi asciuit, quia reliquijs nulla profectò sanctior ciuitas est, Hic enim Sanctus Gereon sub Maximiano, & Diocletiano martyr euadens, coruscat. Hic Diua Vrsula, cum virginibus pro Christi fide occisa, quiescit. Huc & tria Magorum corpora translata sunt. Huius vrbis etiam Antoninus Pius meminit, Et Vlpi. ff de censibus lib. vltimo, Vbi & Glossa, Volateranus, & multi Panegyricorum, Hæc ille. Mantuanus etiam florentissimæ Coloniæ laudes litterarum monumentis commisit. Quemadmodum & ex recentioribus Hermannus Buschius Flora sua, docto & eleganti carmine, eandem descripsit, Præstitit hoc idem simili dicendi genere, Rhodolphus Langius: Ioannes Murmellius Rure-mundanus, Anthonius Liberius: Et Petrus Rauennas, Iuris quondam, in vniuersitate Colonien si, Professor. Soluta verò oratione clarissima passim extant grauissimorum virorum, huius vrbis encomia. AEneæ Syluij: Antonij Robergij in Chronicis Norinbergensibus: Erasmi Roterodami: Hadriani Barlandi. Guilhelmi Insulani: Francisci Ireni-ci: D. Iacobi Middendorppij, S. Theologiæ & Iuris L. doctissimi, qui hanc vrbem, ipsamque Vniuersitatem, in libris suis de Academijs totius Vniuersi, omnium accuratissimè descripsit. Anno post CH. N. M. D. L. V. in florentissima hac Colonien si vrbe, Societati Iesu, nouum, trium coronarum collegiū, ab Amplissimo Senatu concessum est, primo eius instituti, in hanc Vrbem introductore, Patre Leonardo Hesselio, Louanien si, primoq; Gymnasij Regente, R. D. Ioanne Rhetio, patritio Agrippinen si, Theologo, omnis humanitatis, pietatis, & mansuetudinis autore, ornatissimo, cuius quidem præstantissimi Viri, miseranda cædes, quia a multis, tam integrę, quàm adultes inæ religionis hominibus, non vno modo narratur, placuit verissimam, eius rei historiam, hic paucis subiungere.

Accidit Coloniæ hoc anno, 1574. 26. Octobris, tristis, & acerbus casus, cæde trium sacerdotum, ex Societate Iesu, quorum duo, non solum in illa ciuitate, sed & per Germaniam, atq; adeò per exteras Europæ gentes, præsertim inter Societatis homines, celebres habebātur. Primus enim, Leonardus Kessell, Louanij natus, in Vrbem Colonien sem, Societatem, non solum inuexit, sed & inter multa aduersa sine vlla dotatione, diuino potius, quàm humano cōsilio, in summa paupertate administrauit, & sustentauit. Quanto autem cum fructu spirituali, vt nihil dicatur priuatim de singulorum profectu, qui sub eius magisterio didicēre, declinare à malo, & facere bonum, nihil etiam de studijs literarum, quæ in antiquissima, & celeberrima Colonien si Academia, hac occasione, excitata, restoruerūt. Vel ex eo perspicuè intelligere licet, quod pleraq; per Germaniam, Poloniam, nonnulla etiam in Galliam Societatis collegia, de Colonien si potissimum seminario, aut nata sint, aut amplificata. Secūdus, Ioannes Rhetius, Doctor Theologus, ex clarissima, & consulari familia, Coloniæ ortus, tum in patria, tum apud externos principes, de pietatis, & literarum studijs, deque Catholica religione, egregiè meritus, vbiq; se, & semper fortissimè, aduersariorum conatibus obiecit, eorumq; occulta, & pernicio sissima consilia inuestigauit, patefecit, & vt dissipentur, perfecit, multisq; annis disertissimis concionibus, & prudentissimis consilijs, populum Colonien sem instituit. Tertius, Nicolaus Faber, Leodien sis natione, Ministri & procuratoris munere, diu cum diligentiæ & industriæ laude, functus, perutilem Collegio, & conuictorum familiæ, quæ sub optima & sanctissima disciplina, in litteris, & pietate informatur, operam nauauit. Hi tres breuissimi temporis spatio, ac veluti momento, indigna morte quam longinquis peregrinationibus, pro Christi gloria, susceptis, sæpè effugerunt, domestica sunt, securitate perempti. Nam quidam Gerardus Pe schius Kempensis, quod oppidum est Diocesis Colonien sis, ante annos plus minus 14. ad probationem Societatis Iesu admissus, vbi cum in studijs Rhetoricæ, Philosophiæ, Theologiæ, neq; modò latinæ linguæ, sed & Græcæ & Hebraicæ enituisset, tandem, ante quatuor annos, occulto, & iusto Dei iudicio, in mentis errorem lapsus, cumq; hominis phrænesis, & illi, & alijs periculosa, iudicaretur, consilio Consulis & Medici, in domesticam custodiam est inclusus. Sed insania, quò magis coerceretur, eò magis cœpit exagitari, vt laceratione vestium, diurnis nocturnisq; clamoribus, non modò Collegium, sed & viciniam perturbaret. Quamobrem, cum per interualla se furor remitteret, & ea interdum diceret, ac faceret, quæ disciplinam viderentur nonnullam admittere, maximè, quod esset admiraduersum, virgarum comminatione, posse eum commoueri, & ad officium, aliquo modo cogi, laxata est custodia, & paulatim eò est adductus, vt refectorij cura suscepta, etiam ad mensam legeret, & non nihil operis aliquando faceret. Atq; hoc modo, sine cuiusquam iniuria, ac sine omni malefitio, ad triennium, inter fratres liberiùs versatus, ad arcularios, qui tum fortè in eo hypocausto, in quo ipse, ante quadriennium inclusus fuerat, ad hiberna studia, & ad refectorij vsum accommodando, occupati erant, die supra memorato, nempe 26. Octobris, circa horam 4. pomeridianam, accessit, & ab ijs, propter nugas, & ineptias, vt solet, repulsus, molestè id tulit, præsertim, cum alter arculariorum, se ad Ministrum Collegij eum delaturum, minaretur: Ministrum enim, & omnes superiores, ob id videbatur odisse, quòd ijs obtemperare cogeretur, & cum se Summū pontificem & Imperatorem esse persuasum haberet, præter se, superiorem neminem agnosci volebat. Itaq; commotus, propter hanc comminationem, & Ministri factam mentionē, adeò, vt responderet arcularios, si ita loqui pergerer, breui futurū, vt humi iaceret (ijs enim verbis, Germanicè vsus fertur.) atq; ita Reuerendæ memoriæ, D. Leonardū, cum D. Ioanne Rhetio, Gymnasij Regente, in horto proximo inambulantē, & literas legētem, accessit, eiq; minas arcularij renuntians, & responsum, non quale volebat, referens, solet enim præcipere, vt Ministro se præberet obedientem: sue, vt ipse, magistratui interroganti, postea respondit, quod eo die, quo feriatum esset à studijs, non fuisset cum magistris, & discipulis extra Collegium egressus, quod tamen à toto quadriennio non fecerat: sue deniq;, nam certò constare non potest, quod videret laborari in eo hypocausto, in quo se ante annos 4. circa illud tempus, inclusum esse, meminerat, & paulò antè, apud arcularios narrauerat. Sed quicquid fuerit, vel ab eo dictum, vel à D. Leonardo responsum, illud satis constat, escarium cultrum, ex ijs, quorum vsus fuerat, in refectorio, in latus sinistri sub costis, circa cor, ab eo adactum, tanta vi, vt intestina paulò post sequerentur, & tam occulto vulnere, vt eum vulneraturum, nemo ante animaduerteret, quàm ille paululum progressus, defessus, entibus è manibus litteris, in terram corrueret. Interea fortè, interueniens Minister, hominem furiosum in se conuertit, & dum clauibus, se paulisper defendit, crebris ictibus, cultro in costis, circa cor fracto, deinde fronte cruentata, paulò post concidit etiam ipse. Tertius Doctor Rhetius, cùm eodem ferè loco a duce esset, in quo cum P. Leonardo legerat litteras, & cerneret Ministrum sanguinolentum, accedit ad hominem insanum, blandè illum, vt fæpe consueuerat, cohibiturus. In quo officio ipse quoque vulnus simile accepit in pectus, letale: Et tamen, dum conuersus, vidit charissi-

charissimum suum, P. Leonardum concidisse, ad illum festinans, in quo conatu, animi & corporis viribus deficiens, & paulo post ex aceto recreatus, in propinquum hypocaustum defertur, ibique confessionis, quam propter quotidianam, salutaris victimæ, dispensationem, non multo ante fecerat, desiderium testatus, antequā ea fieri, & chirurgus accersiri posset, inter pias suas, fratrumq; voces & manus, spiritum ad Deum, cum reliquis patribus festinantem reddidit, cadūcamq; & momentaneam hanc vitam, cum immortali commutauit: Hic exitus fuit oprimi & sanctissimi viri, Patris Leonardi, vitæ corporalis, ab eo, quem ipse in Societatem, ad vitam spiritualem receperat: talis finis reliquorum patrum, inter quorum vulnera, vix tantū temporis interfuit, quo psalmus, Miserere, pronūtiari potuisset. Aderat fortè eo tempore medicus, Echtius Iunior, fratri cuidam hydropico, qui dum funestam hanc tragœdiam, per fenestram adspicit, ne homo effrenatus passim discurrens, plures sterneret, nam quemcunq; videret, aut fortè obuium haberet, eum, num suis, an ab aduersariorum partibus stare vellet, interrogauit, fratres Laicos, (alij enim in sito quisque officio aberant) quoscunque potest hortatur, vt simul accurrant, & hominem furientem, quacunque ratione possint, vinculis iniectis compescant. Inter eos Dominicus Leodien sis coquus, à tergo illū adortus, tam graue vulnus, sub sinistro brachio accepit, vt post to dies, præcipui ciuitatis chirurgi vocati, certam vitæ spem, promittere non auderent. Nam is, cuius ad id temporis opera fuerat vsus, cum sibi non confideret, cæteros cupiebat quoq; in consilium adhiberi. Miserandus sanè, & inauditus Coloniæ casus; tam præstantia Ecclesiæ lumina, summosq; viros, vna hora, funestā vnius manu, extingui. Qui quidem viri, infinitis laudum elogijs, & sempiternā memoria digni, tanto bonorū omnium mœrore ac luctu, Reipub. Colonien si sunt erepti, vt non existimem mortuos alios, qui tantum pietatis virtutumq; suarum memoriam, apud catholicam plebem, reliquerint. Nam dum ipso Apostolorum Simonis, & Iudæ die, solemni pompa, vniuersitate, clero, & Reipublicę proceribus, cum incredibili frequentia populi in funera prodeuntibus, terræ mandarentur, videre erat alios multis lachrymis, suspiritjs, atq; gemitibus suum declarare dolorem, Alios, præ inpotenti mœrore, animę deliquium perpeti. Alios, vlulatus, ac lamentabiles edere voces, quibus innocentum necem deflebant. Ego, non modò præceptorum meorum lamentabilem casum desico, sed et alios, acerbissimo luctu, nihil huic malo mederi, & parum proficere, doleo.

56. CONFLVENTIA, oppidum elegans, inter Mogūtiam & Coloniam, Episcopo Treuerensi paret, à Mosellæ & Rheni confluxu sic dictum existimant. Meminit eius loci, Antonius Pius, in Itinerario.

57. CONSTANTINOPOLIS. Metropolytica Thraciæ vrbs, Byzantium, & Argos, prius appellata, à Lacedęmonijs, duce Pausannia, condita perhibetur. Constantinum, verò Imperatorem, cognomine Magnum, cum statuisset Imperij sedem ex vrbe Roma in orientem transferre, quò facilius Parthorum excursiones compescēret, tradunt Ecclesiastici scriptores, in Troiadē prospectum, ibi Regiæ vrbis fundamenta iecisse, vbi quondam Agamemnon, cæteriq; Græciæ Principes, aduersus Priamum Regem fixere tentoria. Sed admonitum in somnis, Christo Saluatore, locum alium desighante, cœptum opus, cuius diu manserē vestigia, insectum reliquisse, atque in Thraciam nauigantem, Byzantium petiuisse, eumque sibi locum diuinitus ostensum dixisse, mox vt bem ampliasse, noua mœnia erexisse, sublimes excitasse turres, magnificentissimis tum priuatis, tum publicis operibus exornasse, tantumque illi decoris adiecisse, vt altera Roma non immeritò dici posset. Scriptores vetusti, qui florentem videre, deorum potius in terris habitaculum, quàm Imperatorum putauerunt. Nomē vrbi nouam Romam, Imperator indidit. Sed vicit obstinatio vulgi, vt à conditore potius Constantinopolis vocaretur. Hæc Pius ii. Tanta huius vrbis magnificentia est, vt non videatur opere & manu confecta, sed etiam consp irantibus elementis, naturæ fælicitate munita. Prouidentia ergo diuina, tot futurorum hominum domicilijs consulente, longo tractu, in promontorij qualitatem spaciosior terra, faucibus Pontici Maris oppositа, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine, circumfluit maris tutela vallatur. Hoc quoque spacium, quod solum apertum, maris circulus derelinquit, duplici muro acies turrium extensa, custodit. Et, vt summatim præcipua Constantinopolitanæ vrbis ornamēta referam; habet ea, palatia quinque, Ecclesias quatuordecim, Domus diuinas Augustarum VI. Domus nobilissimas III. Thermas VIII. Basilicas duas. Fora IIII. Senatus II. Horrea V. Theatra II. Lusoria, II. Portus IIII. Circum I. Cisternas IIII. Nymphea IIII. Vicos trecentos XXII. Domus IIII. milia trecentas octuaginta octo. Portus quinquaginta duas. Balneas priuatas centum quinquaginta. Pistrina publica XX. Pistrina priuata centum XX. Gradus centum decem & septem. Macellos V. Curatores XIII. Vernaculos XIIII. Collegiatos quingentos sexaginta, Vicomagistros sexaginta quinque. Columnam purpuream. Columnas intra se pertuas duas. Colossum vnum. Tetrapylum aureum vnum Augustеū. Capitolium. Monetam. Scalas maritimas tres. Habet sanè longitudo vrbis à porta aurea, vsque ad litus maris directa linea, pedū quatuordecim millia septuaginta quinq;. Latitudo autem pedū sex millia, centum quinquaginta. Sed hæc tanta, tamque præstantia ac nobilis Respub. Anno, qui ab ortu Saluatoris Christi secundus & quinquagesimus supra millenum quadringentesimum effluxit, à Mahumete, immanium siluestrium, Turcarum Imperatore, expugnata est. Funestus is annus, fœdus, ac lugubris Christianis fuit. Perenes, vetus Colonia Genuensium, qui & Galatæ nuncupantur, cognita Byzantiorum clade, priusquàm rogarentur, Mahumeti deditionem fecēre. Muri vrbis diruti, multorum bona cōtra fœdus direpta, fœminæ, puerique ludibrio habiti.

58 CVSCO, Amplissima Peru regni, in nouo orbe, summæ dignitatis ciuitas, incolas nobilitate conspicuos tantum habet, situ, & ædificiorum præstantiā, multis Christianorum vrbibus, antefereṅda. In ea anno Christi M.D. LXXIII. beneficentia Philippi Hispaniarum Regis Catholici, Societati Iesu Collegium erectum est, primo eius Rectore illustre nobilitatis viro, R. Domino Bracamonte.

D.

37. DIV, Regni Cambaie, in India ad solis occasum, Insula parua, exiguo freto à continenti disuncta: eiusdem nominis oppidum continet, quod ob maximam portus bonitatem, multos vndique Mercatores ad commercia allicit. Ita, vt sit emporium valde celebre, opibusque multis opulentum. Albuquercius in ea insula arcem ędificare cupiebat, Et, vt ea potestas sibi fieret, multis officijs animum Regis ad fuam amicitiam pellicere cōtendebat. Verū Melichiazius, vrbis illius Præfectus, in eo verti gentis libertatem, & salutem iudicabat, & idcirco impedimento fuit, nē Rex Albuquercio, arcis construendæ potestatem, concederet. Hæc, & plura, Osorius libro IX. de rebus ab Emanuele Lusitanorum Rege domi militiæque, gestis.

48. DREPANVM, Nobilis & fructuosæ Siciliæ, elegans, & oblongum oppidum: Saturnō è manibus falcem in Sicilium excidisse, fabulantur Poetæ, vnde huic oppido nomen eucnisse existimant, quippe, Græci δρέπανον falcem nominant.

28. DRESA. Florentissima Misniæ vrbs, ad Albim flumen, illustrissimorum Saxoniæ Ducum inclita sedes.

E.

9. ECIIA, Florentissimæ Hispaniæ oppidum nitidum, iuxta auriferum Darri flumen, cuius incolæ, ob incredibilem agri, cælique clementiam, ex lanæ distractione, questus peringentes faciunt.

29. EGRA, Vrbs in primo Bohemiæ aditu sita, à fluuio Egra, cui adiacet, nomen consecuta putatur, olim Imperio Romano, hoc verò tempore, Bohemiæ Regno, subiecta. Tota ornatissima, tota pulcherrima est. Intus pulchris ædificijs, ciuili, vrbanoq; populo, magnificis, & eximia virtute præstantibus viris, illustris. Foris verò, amœnissimis ac fœcundissimis hortis & agris, varijsque pomorum ac fructuum generibus, atq; piscoso flumine, luxurians.

25. ERDFVRDIA. Amplissima Thuringiæ vrbs, eius in regionis medio posita, vbi Gera fluuius, eam illabitur. Optimo gaudet agro, & Sandicis herbæ, fullonum opificio perneccssariæ, feracissimo. Pecorum etiam pascuis abundat. Anno sexagesimo sexto, supra millesimum, muro cincta, turribus & propugnaculis est munita. Ab Henrico III. A. multis est labefactata incommodis, ob importunam decimarum exactionem, à qua Erdfurdia immunis semper ac libera fuit. Itaque, exorto Saxonico bello, auitā libertatem ferro armisque defendere, quàm insolito decimarum iugo, ceruices submittere maluit, idque tanto animorum ardore, vt & vitę, & fortunis Augusti, extremum immineret periculum. Plura de hac vrbe, in Chronicis Norinbergensibus.

F.

30. FAMAVGVSTA. Vrbs Cypri (quę Insula latè Mediterraneo mari protensa, inter Ciciliam, & Syriam sita est, et nunc Regni titulo, ac opibus claret) inqua duę, vti præcipuę, Nicosia nimirum, & Famaugusta, nominantur: Veruntamē eo Famaugusta præcellit, quod & Regiæ potior sedes sit, & Cathedralis Ecclesiæ nomen, ac ius obtineat; Quo accedit, portum, id, quod caput est, ipsam efficere, à quo nobilissimum, Insulę totius, emporium redditur. Porro, ita terra ac mari, natura loci, & à Venetis arte munita est, vt insultantem hostem, eumque prepotentem, sustinere possit. Vtramque Selimus expugnauit, Venetisque eripuit, vna cum reliqua Insula, fracto, ob solam dominandi libidinem, fœdere, quod idem, mortuo Solimano patre, iurarat, solemni more. Capta enim Nicosia Anno Christi M. D. LXX. die septimo Kalendas Sextiles, Mustapha belli Legatus, tertiodecimo Kalendas Octobris, proxime sequentes, Famaugustam obsedit. Selimus interim, ne laboranti vrbi, Veneti succurrerent, triecentarum hauium,

nauium, partim triremium ac biremium, partim lintrium ac Celocium, classem, predandis Hadriatici sinus littoribus, instruxit. Veneti, fortissimos tres viros, ei tuendæ præfecerant. M. Antoniũ Bragadinum, Astorem Bellionium, & Ludouicum Martinengum. Postquam igitur isti, hanc menses vndecim, & aliquot dies defendissent, tandem rerum omnium ad ducendum bellum inopia coacti, & spe frustra expectati auxilij penitus deiecti, quarto Nonas Sextiles subsequentis anni, ea conditione, Mustaphæ Legato, hanc dediderunt, vt vrbe sibi, ac militi, saluos & liberos, cæterisque discedere liceret, vna cum bonis & armis. Barbarus tamen, vinctos concidi tres illos præfectos militares, cum quinquaginta veteranis, qui ipsos comitati fuerant, præcepit; dum claues in ipsius castra ac tentorium, ipsi vrbi tradende, tulissent. Bragadino nares, & aures tantum truncauit, nam viuum ad infamiam reseruabat. Vrbem ingressus, viuo pellem detrahi, eamque hastæ alligari, & militaris signi vice gestari iussit. Laurentium Tepolum, quem Alexandriæ consulem norât, furca laqueo iugulauit. Quam crudelitatem, & contra ius gentium violatæ pacis perfidiam, Deus opt. Maximus, sexaginta quatuor pòst diebus, vltus est. Nam Christiana Pontificis, Philippi Regis, ac Venetorum fœderata classis, Turcicam ad Echinadas, Ithacamue adgressa. Nonis Octobribus, Imperatore Ioanne Austrio Philippi Regis fratre, funditus vndique, cæsis omnibus Turcis, euertit, depressit, atque profligauit, tanta victoria, quanta mari contra Turcas quisquam consecutus dicatur. Exemplo quidem posteritati perpetuo, perfidiam atque nimiam crudelitatem, Dijs & hominibus, non solum displicere; verum etiam seuerissimè puniri.

44. FLORENTIA, nobilissima, inclyta præcipua Hetruriæ vrbium, cuius primordium asserente Kobergio, Sillanis militibus, (quibus is ager à Silla assignatus erat) adscribitur, (negat tamen Volateranus.) Et, quia primas hi sedes ad Arni fluenta cœperunt, Fluentiam primum hinc dictam, existimant. Itaque Plinius populos Arno oppositos, Fluentinos nuncupat. Hinc plerique colligũt, Anno ante natum C. octuagesimo tertio, Florentiam cepisse initium. Quæ quidem vrbs, fœlicibus fundata auspicijs, vicinas passim vrbes dignitate, atque præstantia excellere, mirisq; modis imperium propagare cœpit, vt Florentia nomen non immerito consecuta puretur. Gothorum furoribus, multis est agitata incommodis. Totila siquidem immunitam ipsam, desolatamq; reddidit, Quam Carolus, deinde Magnus restauratam, &, amplifore murorum ambitu ornatam, immunitatibus, & priuilegijs plurimis decorauit. Atque ita temporis successu, ad annum vique salutis quartum, & vigesimum supra millesimum, opibus, ac gloria, mirandum in modum est aucta. Quo item anno, Henricus primus Imperator Ecclesiam S. Miniatis ad Florentiæ muros ædificauit. Præter cætera porro Florentiæ ornamenta, quæ superiore enarratione paucis delibauimus, præclarissima, etiam ædes sacra in celebriori vrbis loco, S. Ioanne Baptistæ dicata, habetur, quam Baptisterium vulgo nuncupant Cuius valuæ, ex solido ære constatæ, noui ac veteris Instrumenti historias, mirabili opere sculptas, continent. Florentia denique, cum, ob pulchritudinem ædificiorum, & ob raram incolarum vrbanitatem, omnium Italicorum vrbium flos nuncupetur. Tum summos etiam viros tam multos produxit, qui natale hoc solum doctrinę splendoribus illustrarũt, vt prolixitatis euitandæ gratia, eos recensere non libeat. Hos ferè omnes, quemadmodum & reliquas Florentiæ laudes, Leander, accuratissimè complexus est. & ante eum Leonardus Aretinus, Iandinus: Nicolaus Maciauellus, qui historiam Florentinam cõscripsit. Consecuta est Societas Iesu, amplissimum in hac vrbe collegium Leonoræ Ducis, Ferdinandi Imperatoris benignitate, Anno ab orbe redempto, M. D. L I.

32. FRIBVRGVM, oppidum apud Nicitones situm in Vchtlandia, à Conrado Zeringensium duce ędificatum est, Regnante siquidem Lothario, Anno Christi, M. C. X X V I I. Guilhelmus Vchtlandiæ Comes, moritur, quo tempore ab Imperatore Lothario, Vchtlandia Conrado Zeringenti Principi committitur. Qui cum viuere desijsset, quartus eius filius Bertholdus vtriusque Friburgi Brisgoiæ & Vchtlandiæ fundamenta posuit, Anno post natum Christum M. C. L I I. non sine priuilegiorum amplisimorum donatione. Quemadmodum & subsequentes ex ordine Imperatores, vtrumque oppidum, non minore fauere prosequuti sunt, quam si Imperij membra essent. Anno deinde Domini M. C C X V I I I. Bertholdo Quinto Zeringensium Duce, è viuis sublato, Friburgum Vchtlandiæ priuilegijs omnibus illę sis, ad Comites Kiburgenses deuenit. Anno verò Christi M C C. L X. Eberhardus comes Habsburgensis, istius vrbis habenas tenuit. Is, Anno Salutis M. C C. L X X. Regi Rudolpho ab Habsburg, peringenti pecunia suum, in hanc vrbem, ius, vendidit. Hinc AEneas Syluius, Friburgum nobilem Austriæ domum nuncupat. Incolæ tandem earum mutationum pertæsi, non sine maxima pecuniarum vi, libertatem ab Austriæ domo redemerunt. Itaque hoc tempore, Heluetici iuris est. Eiusce modi in Friburgensi muro epitaphium inuenitur.

Dum bis sexcentis ter senis iungitur annis,
In Friburg moritur, Bertholdus Dux Alemannus.

40. FRISINGA, ciuitas episcopalis, Bauariæ, sita in colle vbi Mosacus amnis Isaræ commiscetur. Illic B. Corbinianus in cella habitasse, annalium memoria perhibetur, & à Gregorio creatus episcopus, per Tridentinam vallem descendens, à Tassilone Duce susceptus, montem Frisingensem occupauit, ibique Ecclesiam S. Benedicti construxit, & monasterium amœnissimo loco, vbi Ysara & Ambra, fluminibus intercluditur.

35. FRANCOFVRTVM, ad Mœnum, maximum & clarissimum totius Germaniæ Emporium, quasi Francorum furt, id est, vadum, & à Francorum digressione Michael Ricius, lib. 1. de Franciæ Regibus, nuncupat. Otto etiam Frisingensis Carolum Saxones debellantem, huc Francos deduxisse tradit. Gunthero Franconefurt. Celti, libro odarum tertio Francophora. Ligurino, Francofordia, dicitur.

Rapido quæ proxima Mogo,
Clara situ, populoq; frequens, virisque decora:
Sed rude nomen habet, Nam teutonus incola dixit:
Franconefurt liceat sermone latino
Francorum dixisse vadum.

27. FRANCOFVRTVM, ad Oderam, Marchionatus Brandeburgensis oppidum, Anno Christi C. X X X X V I. initium nomenq; à Francis perhibetur cœpisse, qui eo tempore iuxta Rheni ostia sederunt. Nunc vniuersitate, & emporio celebre, varios fortunæ casus, temporum iniuria, pertulit. Nam anno post natum C. 1344. Rodulphus Saxoniæ Dux. Magdeburgensis Antistes; Bernaim, Dux Stettinensis: Et ab Anhalt Princeps, validis coniunctis viribus, Ludouico, Ludouici Imperatoris filio, restiterunt. Cui, cum parens Marchionatum Brandeburgensem, hæreditario iure, tradidisset, oppidum hoc Francofordianum graui obsidione cinxerunt, quorum conatus, tanto animorum ardore, incolæ fregerunt, vt expectatione delusi, obsidionem soluere coacti fuerint. Anno Salutis 14. X X X I I. seditiosa Hussitarum factio, magnanimitate atque constantia ciuium, à mœnibus Francofordianis spherulis machinisq; muralibus arcetur. Paulo grauiora incommeda, anno ab orbe redempto 1437. à Ioane Duce ab Sagen, oppidum hoc sensijt: qui pontem ligneum, quo vtraque Oderæ ripa coniungitur, aceruos, struesque lignorum ante ipsam ciuitatem igni perdidit, abductisque secum pecoribus, agrum vicinum vastauit. Quem quidem, dum manu armata ciues prosequuntur, hostiles copias fundunt ac dissipant, Duxque ipse iustas peractæ sceleris pœnas luit.

25. FVLDA, eiusdem nominis oppidum atque cœnobium, de quo hunc in modum, Centuria prima Monasteriorum Germaniæ, Casparus Bruschius, scribit. Fulda, siue Fuldensę monasteriũ, aut, vt in Caroli Magni diplomatibus reperitur, Monasterium S. Saluatoris, in sylua Buchonia situm: potentissima ordinis & instituti D. Benedicti Abbatia in Buchonia Germaniæ tractu, inter Hassiam, Franciam orientalem, & VVederouiam sito, ad eiusdem nominis amœnissimum & pisculentissimum flumen, & intra eiusdem nominis præclaram ciuitatem, amœnissimo loco fundata, & constructa est Anno Domini 744. sumptibus Carolomanni, & Pipini Galliæ & Franciæ Regum, à S. Bonifacio, siue Vunefrido Anglo, primo Archiepiscopo Mogũtino, qui ibi in præclara Basilica D. Bonifacij, Anno Domini 791. condita, honorifico Mausolæo terræ patenti redditus, & sepultus est. Scribitur, eo ipso die, quo S. Bonifacij à Frisijs occisi cadauer, Fuldam est allatum, omnes Cœnobij campanas, sua sponte, absque omni hominum pariter ac jumentorum ope, agitatas, amœniorem, & suauiorem solito, sonum, reddidisse. Habet potentissimum hoc cœnobium extra ciuitatis mœnia, circa se quatuor alia magnifica Monasteria, inaltissimis montibus sita, & ab Abbatibus Fuldensibus fundata, videlicet D. Ioannis montem, Nouum montem, S. Petri montem, ac Frauenburgum, quasi Dominarum, vel nostræ Dominæ. Id est, B. Virginis montem, & parrochiale templum S. Floriani: in quorum monasteriorum medio quasi, sita est, Fuldensis cum ciuitas, tum Abbatia, aliarum omnium Germaniæ Abbatiarum Illustrissima Domina ac Regina. Eius loci Abbas, Princeps est Romani Imperij, vnus ex quatuor Imperij aut Cathedræ potius Imperialis Abbatibus, sic dictis à Carolo quarto, quod ad Cæsaris pedes in publicis Imperij statuum conuentibus, sedere soleant. Sed & omnium, non Germaniæ solum, sed & Galliæ Abbatum primus, & Romanæ Imperatricis Archicancellarius: sicuti Magdeburgensis Archiepiscopus Episcoporum Germaniæ primus, Moguntinus verò Imperatoris Romanorum Archicancellarius, antiquitus designatus, hac etiamnum tempestate haberi solet. Cubat in Fuldęsi templo honorificentissimè tumulatus Romanorum Imperator A. Conradus 1. Francorum Dux, nouissimus ex nobilissima posteritate Caroli Magni, Imperatoris Ludouici tertij, ex Conrado fratre, nepos, qui obijt Anno Domini 919. Habet hoc cœnobium præter cætera ornamenta insignem & incomparabilem Bibliothecam, primùm à Rabano collectam, & institutam, auctam verò & in ordinem redactam postea, ab Hildeberto, Monachis & Abba-

Abbatibus Fuldensibus literis, & vitæ integritate conspicuis, tandem ad Archiepiscopatus etiam Moguntini gubernationem, ob insignem virtutem, ac vitæ honestatem euocatis: de quibus plura leges in primo nostro Episcopatuum Germaniæ tomo. Fuldense oppidum S. Rabanus, cognomine Magnentius Maurus, ortu illustrauit, qui ex Fuldensis monasterij Abbate Archipræsul Moguntinus creatur, vir in diuinis ac philosophicis literis exercitatissimus. Gymnasij Parisiensis olim professor, philosophus, Rhetor, & Astronomus, suiq; temporis poëtarum nulli secundus, etsi nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem. Quibus rebus argumento sunt tot ac tanta volumina, ipsius diuini ingenij monimẽta. Bibliothecam Fuldensem tanta librorum copia ditauit, vt eo potissimum nomine, monasterium etiam hoc tempore, inclarescat. Reuocantur nunc in Fuldensi oppido, honesta literarum studia, respirat ibidem, hactenus ferè suppressa, religio Christi, ope & auxilio Societatis Iesu, cui Anno Salutis. M D. L X X I I I. collegium assignatum est, à R. D. Balthasaro, Abbate Fuldensi, Imperij Romani Principe, Abbatum per Germaniam & Galliam primate, Augustæ Archicancellario.

G.

2. GADES, Hispaniæ insula & oppidum, templo, & Herculis peregrinatione nobile, vbi exiguo interuallo Granata & Mauritania à se inuicem distant, & Oceanus, per angustias, quas fretum Herculeum, & Strictum Sybillæ nuncupant, ingreditur. Vtrumq; freti latus altissimo monte, in Mauritania quidem Abila, in Hispania verò Calpe, clauditur, Hos quondam solidũ fuisse montem, & rupes perpetuo iugo coniunctas, & ab Hercule separatas tradunt, quò liber Oceano pateret ingressus. Scribunt alij in Gaditano hoc Herculis templo, binas fuisse columnas æreas, iuxta quas nautæ, vota, deuotionis ergo, soluerent, quia salui & incolumes hunc in locum, quem extremum totius Vniuersi finem existimabant, peruenissent. Hinc Gaditanus Hercules cognominatus, cuius non inerudita descriptio & templi, & sacri legitur apud Silium Italicum, libro Punicorum tertio, quo deuicta Sagunto Annibalem scitatum oracula iussisse describi, & munera attulisse. Ita enim canit.

Vulgatum, nec cassa fides, ab origine fani
Impositas durare trabes, solasq; per ęuum
Condentum nouisse manus, hinc credere gaudent
Consedisse deum. seniumque repellere templis:
Tum queis fas & bonos adytis penetralia nosse,
Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues, nec discolor vlli
Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Et Pelusiaco præfulget stamine vertex
Discinctus, mos thura dare, atq; è lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clauo:
Pes nudus, tonsæq; coma, castumque cubile
Irrestincta focis seruant altaria flammæ,
Sed nulla effigies, simulachraue nota deorum.
Atque hactenus Stlius, qui & æruminas, & labores Herculis ibidem paucis. verbis describit.

Has columnas Herculeas, Magnus ille Cæsar & semper Augustus CAROLVS QVINTVS Monarcha inuictissimus, in extremo Hispaniæ & Aphricæ littore, iam dudum erectas, iure optimo Symboli loco, habuisse videtur, cum & fortunæ, magnanimitatis, atque potentiæ suæ ornamenta, non huic tantum freto, sed & vniuersæ Europæ, Asiæ, Aphricæ atque Americæ perspecta & cognita fuerint. Quibus quidem partibus mundi, fato quodam, tanquã Hercules datus, pacem atque iustitiam, & Mineruæ & Martis tempore, summa æquitate, administrauit. Habet etiam in Gadæano hoc oppido Societas Iesu Collegium.

15. GANDAVVM, vrbs Flandriæ celeberrima, & amplissima, à Iulio Cæsare condita, atque à suo nomine Caio denominata, Brabantinorum Chronicis perhibetur. In confluentia Lisæ & Schaldis sita, ex Liuia quoque amni commoditates haud aspernandas percipit. Incolas opulentos, & natalium splendore claros, egregia etiam opificum collegia habet, inter quæ Laniorum, & Nautarum, primatum obtinent.

44. GENOA, Ligurum regina ac domina, Italiæ vrbs celeberrima, totius Ligustici sinus emporium nobilissimum, quo non modò vicini, sed & remotissimarum nationum mercatores confluũt, vbi etiam diuersorum, & longissimè disitorum Regnorum negotiatores, certa domicilia ac sedes suas habẽt. Portu atq; tutissima nauium statione, ædificijs superbissimis, cæterisque nitidissimarum vrbium ornamentis, cæteras Italiæ ciuitates maritimas (præter Venetias) longe superat. Atq; adeo etiam nauali belli peritiâ, semper floruit, vt præstantiores, aut etiam æquales, eius belli gerendi Duces perparuci inuenti fuerint, qui tam multas vrbes expugnârint, tam multas insulas ac barbaras nationes subegerint, tam frequenter hostium spolia, ac naues, triumphantium specie, in patriam leti abduxerint. Ita, vt de Genuensium Repub. idem iure optimo dici posse videatur, quod de Scipionum gente, scriptores antiqui perhibent. Eam fuisse stirpem, vt ipsi loquuntur, faralem, ad hostes mari vincendos. Vibem hanc præclarissimis laudum elogijs Leander immortalitati cõsecrauit. Idem Augustinus Iustinianus, Nebiæ Episcopus ingenti volumine, de Genuensium rebus lingua vernacula condito, præstitit. Iacobus Bracelius, qui loca, situmque Liguriæ diligenter perfecutus est. Magnificum in hac vrbe collegium habet societas Iesu, opera R. Domini Iacobi Laines institutum, Anno partæ Salutis M. D. L I I I I. Quod quidem collegium, cum aliorum ciuium, tum verò, Pauli Doriæ insigni liberalitate & beneuolentia auctum est, & amplificatum.

34 S. GEORGII oppidum. Locus hic prius dictus fuit Aldea (quod Hispanicè villam, aut diuersorium significat) duarũ partium, quod hic duorum regum. Ioanne Lusitaniæ nempe, & Caramansę eius tractus, fœdus ictum sit. Anno M. C C C C L X X X V I. Postea Lusitanus hoc propugnaculũ eo loci extruxit, nomenq; dedit S. Georgij della Mina, ab eius tutelari Deo, cui locum sacrauit, & auri mineris: quibus locus diues est. Ad mare situm est in Guinea, Aethiopię regione. Ex Ioannis Barrij Asiæ decadibus.

32. GLARONA, vulgo Glaris, Heluetici fœderis vallis ac Regio, altissimis vndique montibus cincta. Attingit superiorem grisęam ligam, in qua prior Rhenus originem sumit, ac deinde Vranorum montana. Ad occasum verò solis, terminatur ad Suicerorum montes. Porro ad septentrionem fuit olim clausa muro extenso per transuersum vallis, à monte ad montem. Huius regionis iurisdictio, vnà cum quibusdam prouentibus fuit tempore S. Fridolini per comitem quendam donata monasterio, Seckingensi, tempore scilicet, (vt Fridolini legenda ostendit) Clodouei primi Francorum Christiani regis, nempè Anno Christi 500. qui primus Francorum Rex fuit, qui in Rhetia, Alemannia, & Heluetia imperauit. Consecuta est hæc terra posteris temporibus suam libertatem, & propriam iurisdictionem, confœderauitque se reliquis Heluetijs, Anno Christi M. C C. L I I. Viuunt incolæ lacte, caseo, butyro, & carnibus. Ibi inter angustias montium nulli, aut pauci seruntur agri, raræ plantantur vites. Hortos pomiferos habent, & prata lætissima. Vinum & frumentum aliunde inuehuntur. Pisces lacus ministrant. Aues, carnesque ferinas mõtes syluosi suppeditant. Patriam hanc Henricus Loritus Glareanus, & Egidius Tschudus, doctissimi viri, ortu nobilitârunt.

57 GOA, Insulæ, & vrbis commune nomẽ. Fluuius ingens in duas partes in mare influentes diuisus, insulam efficit. Ambitus illius millia passuum circiter viginti tria continet. Vrbs erat cincta muris, & munita turribus, & tormentis permultis, atque varijs instructa: ædes amplæ. Cœli temperies & regionis amœnitas, & portus securitas multos mercatores inuitabat, vt libenter in ea domicilia collocarent. Emporium erat valdè frequens, & opulentum. Vigebant in ea armorum studia, multique milites, partim equites, partim pedites, Zabaimi stipendijs alebantur. Vestigijs namque patris insistens, omnes, quos in bello virtutis specimen præbuisse nouerat, ad se conijcijs vberrimis alliciebat. Insula multo maiorem, quàm pro illius magnitudine, hominũ multitudinem sustentare potest. Est enim densis arboribus valde fructiferis vestita, abundat varijs frugibus, pecora innumerabilia nutrit, variaque alimenta profundit, & aquas multas atq; perennes habet. Templa ritu Mahumetano erant maximis sumptibus ædificata, & prouentibus etiam, quibus Sacerdotes alerentur, opulenta. Nemini autem licebat in insulam ingredi, priusquam in aditu aliquo, nomẽ suum & patris, & patriæ scripturę magistris in quinque locis, in quibus in insulam facilior erat transmissio, constitutis, exponeret: qui etiam hominis colorem, & staturam, & signa, litteris consignabant. Accidit porro, postquam insula in Lusitanorum potestatem peruenit, vt dum Lusitanus quidam, domus altiora fundamenta iaceret, crucem, ex ære factam, reperiret, quod maximo argumento fuit, eam fuisse olim à Christianis habitatã. &c. Hæc Osorius lib. VII. de rebus Emanuelis Lusitaniæ Regis. Habet hoc oppidum, primum Societatis Iesu, in India, collegium, quod D. Pauli appellatur, à Francisco Xauerio, institutum, Anno Domini. M. D. X X X I I. Seminarium omnium collegiorum Indiæ, liberalitate Regis Lusitaniæ Ioannis I I I. amplissimè dotatum.

21. GORICVM, Sconhouiâ tribus distans milliaribus, in dextra fluminis ripa, quòd eo loco. Vahalis dicitur, positum est, vbi commodum, Lingæ ostium cernitur, honesta ciuitas, cui non inuenusta arx coniungitur. Ex templi, quod in ea est, turri, viginti duas ciuitates, mœnibus clausas, quæ omnes Philippo Regi parent, præter innumera castella, vicos, & villarũ pulcherrimũ aspectum, videre est. Hanc annonam Belgicam, nõ malè dixeris, quippe, heic indies caseum, butyrum, & omnem aliam, humani victus speciem, nundinari, cuiuis integrum. Eo in portu, in horas rerum omnium infinitas, nauibus importatur, in multas orbis vicini par-

res, transmittenda, ac præciaè Antuerpiani, ideoque luculenta res familiaris, & fortuna ciuium, qui simul mercaturam, simulq; naviculariam faciunt. Hinc ortus Henricus ille Gorichemus, vir Theologices peritissimus. Edidit eadem ciuitas, Ioannem Hariū, qui etsi nō esset valde litteratus, virtutis tamen, rei librariæ, & pietatis, qu ni studiosissimum fuisse accepimus: præclaramque semper posu sse operam, in bibliotheca instruenda, quod etiam perfecit. Vndique enim, non minore labore, quàm sumptu, ingentem multiplicium librorum suppellectilem sibi comparauit. Is, cùm Vrbano sacerdotio præcelleret, liberalitate Cæsaris ampliatus est beneficio Hagensis curiæ, ibiq; itidem creatus est Canonicus, quò cum immensam voluminum conquisitorum copiam, transmitteret, admiratus populus, tantam librorum multitudinem, ratusque vix toto orbe tot libros reperiri, Ioannem librarium, vulgo **Johā met den boecken**/appellauit. Vixit Hagæ diu locupletandæ semper bibliothecæ suæ, mirè intentus. Tandem anno M. D. XXXII. infata concedens, Cæsari bibliothecam, testato reliquit. Haud procul à ciuitate, etiamnum locus est, quo castra olim ferunt posuisse Herculem Alemanum, ex quo circūstans plaga, luculentis aliquot imperans municipijs, ad hanc diem vsque, Hercule nomen retinet, vulgò. **Dat Laudt van Arefel.** Ex Lodouico Guicciardino.

25. GOTHA, perantiquum Thuringiæ oppidum, cuius prima fundamenta à Gothis posita, nomen ipsum videtur innuere. Sub Saxoniæ & VVeimariæ ducibus castro munitissimo inclarescere cœpit, quod nunc, ob ortam nuper in Germania seditionem Grumbachicam, omnino dirutum iacet.

4. GRANATA, siue Gar Natæ, Illiberis etiam & Illiberia, amplissima, potentissimaque Regni Granatensis ciuitas, Regia quondam Maurorum sedes fuit. Hoc verò tempore pallatio omnium elegantissimo, aurifero etiam Darro amne, plurimas Hispaniæ vrbes, præcellit, partim montosa, partim etiam librata, ornatur planitie. Altissimus in ea mons. La sierra del sol, lingua vernacula, nomen habet, cui in vertice multa ætate ferè collapsum est Maurorum Fanum, quod nunc S. Helenæ dicatum. Ad quod ferè omnes, qui hanc vrbem, visendi cupiditate illecti, adeunt, conscendere solent, vt eius fani muro, suum, & patriæ nomen, inscribant. Id quidem ea vulgi opinione receptum est, vt is Granatam non existimetur vidisse, qui huic consuetudini non satisfecerit. In eodem hoc monte Maurorum Regibus olim horti, vario herbarum ac florum genere, ad voluptatem & recreationem decenter vestiti, fuerūt, quorum nunc etiam satis manifesta superstant indiria. Iuxta, cisterna est publica, imbribus colligendis, à Romanis quōdam parata. In qua, præter quàm nullum omnino putredinis incommodum aqua sentiat, medicam etiam eandem esse, Hispani, longa sunt experientia, docti, nam pota, periculosum ventris fluxum sedat. In latere eiusdem montis, ædicula sacra est, multa antiquitate, & veneranda martyrum memoriâ, nobilis. Los Martyres, vulgo, Vbi puteī & antra, in rupibus excisa, & scapellis cauata videntur, quorum vt superne ingressus angustior, ita infernè latioris sunt spacij, in quæ Christianos, quos frequenti numero, captiuos tenebant, noctu protrudere, & funibus solebant dimittere, quos, mancipiorum instar, diurnis conficiebant laboribus. Sempiternæ horum martyrum, quos atheorum diuturna cruciauit tyrannis, memoriæ, facellum heic ædificatum est: potissimùm verò, rarę pietatis Episcopo, qui multo tempore, in squalido, tetroq; antro detentus, cum libertatis spe, priuatis, & his quidem longè maximis, impensarum sumptibus, muro ex lapide viuo cōstructo, Granatensem vrbem cinxisset, Maurum Granatæ regem, quani multorum Christianorum, ex misera seruitute, & captiuitate libertatem, ac dimissionem, tantum opus mereretur, rogauit: Numerum, expectatione maiorem, libertate se donaturum Maurus respondit, modo Episcopus ipse, in sua potestate, remaneret captiuus. Pius, ac religiosus Episcopus, communitati magis, quàm priuato commodo studens, dum perpetuis cruciari carceribus, quàm solus (alijs permultis Christianis in summa seruitute degentibus) libertate frui maluit, diuturnum ac voluntarium martyrium, incolumitati multorum præposuit. Atque squalore tandem carceris enectus, ad felicem, æternamque beatorū patriam emigrauit. Is locus Hispanis, Masmoros, dicitur. Anno à Ch. N. M. D. LIII. præclarum, Societati Iesu, Collegium, in florentissima hac Granatensi vrbe institutum est, ad quod stabiliendum, plurimum iuuit Petrus Guerrerius, eius vrbis Archiepiscopus, P. P. Societatis Iacobi Iainis, & Alfonsi Salmaron, vira & eruditione, in Concilio Tridentino, cui interfuit, commotus, Qui instituti Collegij amplificator, deinde fuit.

21. GRVNINGA, vrbs summæ dignitatis in Frisia, Prolomæo Phileum, A viriditate pratorum nuncupatam existimant, cuius primordium ac nomen, alij Gruno Francorum Duci, Alij Priamo, Antenoris fratri; alij verò Grunio cuidam Troiano, attribuunt, eiusque initium in annum, ante Christi aduentum, trecentesimum, septuagesimum septimum, reijciunt. Hunc eundem Troianum, templum in hac vrbe, mirandi operis, condidisse tradunt, vndique quondam peruium, & multis subnixum columnis, hunc verò muro clausum, A Saxoniæ Duce graues olim calamitates, Gruninga pertulit.

H.

24. HAMBVRGA, quasi Hammonis Burgum, vel, vt Celtes, Hammonipolis, Thietmarsis, Holsatis, & Stirmatis quondam Metropolis, in VVagria regione VVandaliæ, sita, nunc inferioris Saxoniæ vrbs præclarissima, vbi Pipinus, eiusque filius Carolus Magnus, vicarium semper administratorem habuerunt. Quem Pomerani, ac Dani ejicientes, vrbem ipsam inuadunt, ac igni tandem perdunt. Collapsam deinde, ac vastam, Carolus Magnus restaurat. Plura de hac vrbe Krantzius in Saxonia sua & VVandalia. Doctor Becanus verò in originibus Anuerpianis hunc in modum de Hamburgo scribit: Quidam à Ioue Hammone (quem villosum arietina facie, Gregorio Gyraldo asserente, depingebat antiquitas) nomen Hamburgo datum credunt, quod in ea vrbe, hæc effigies ad Caroli vsq; ætatem, à quo sit euersa, mansisset. Hammonis equidem nullum apud Cymmeriorum colonos cultum fuisse, satis scio, atq; idcirco neq; vrbi indè nomen datum: quæ qua de causa, Hamburg sit dicta, non facilè sit in tanta scriptorū inopia, explicare. Saxo ab Hama quodam pugile, quem Starcarterus illic deuicerit, vocatam dicit, sed eam fabulam plus quàm anilem mihi non persuasit. Ham, vt alias partes aliquando molis alicuius cibariæ signat, vt, dum dicimus Boterham, quo pars panis inducto butyro significatur: ita pernis saltis & fumo siccatis, ob excellentiam maximè, frequentissimeq; nomen hoc est attributū. Quamuis igitur omnes cibariæ molis partes significet, de porcina tamen carne maximè est in vsu. At nulla gens est, quā equidē noui, apud quā carnis porcinę insumatę plus absumatur, quàm in illa interiore Saxonię parte, in qua Hamburgū princeps & antiquissimum oppidum fuisse, ex Caroli historia satis est apertum, qui totius Septentrionalis, & Transalbianæ Germaniæ metropolitanā hic sedem collocauit. Suspicor igitur hic olim celeberrimum salamentorum & carnis porcinæ fumo duratæ, emporium fuisse: atq; hinc omnes Saxones maritimos & insulares, & vicinos etiam populos litorales, nauibus suis, quibus mare infestum plerumque habebant, commeatum, & cibaria ad diuturnas nauigationes necessaria petiusse: quę, quod carne porcina insumata, quam huc vndique venalem finitimi portabant, maximè constarent, locum huius mercatus Hamburg nominarunt, id est, oppidū pernarum, siue petasonum, & cæterarum porci partium sale tumoq; ad longos vsus conseruatarum. Qui regionis illius naturam, & viuendi consuetudinem, & situm Hamburgi norit, atque ea ad antiquas Saxonum & Francorum, qui vicini erant, piraticas & alias nauigationes contulerit, non dubito, quin statim huic meæ coniecturę sit assensurus. Hucusque verba & coniecturam Doc. Becani retulimus.

34. HEIDELBERGA, iuxta Neccarum & Hercinium, Ptolemæo Budoris, Germanicè Heidelberg, à nigrorū vacineorum vel brunorum, teutonicè Heidelber, multitudine, olim Vangionum imperio subdita fuit: Palatini verò comites partes ab his sumpserunt, adeoque creuerunt, vt eorum iuri nunc adscribatur. Est & Florentissimum Heidelberge Gymnasium à Marsilio primo Rectore, initio institutū, & à Ruperto Palatinò, Anno M. CCC. XXXVI. multis priuilegijs donatum.

37. HERBIPOLIS, vulgo VVirtzburch. Francię oriētalis vrbs inclyta, quam Moganus fluuius ex Bohemię montibus ortus, perlabitur, in qua Diana, vsque ad tempora B. Kiliani, martyris colebatur, qui Duci Gotzberto, ac vniuersę ditioni fidei Christianę pędotriba fuit. eius filius Hetanus, in monte Herbipolensi B. Marię virgini, primam dicauit Ecclesiam. A Ptolemęo Arctauium dicitur, alij Manopolim, teste Abbate Spanheimio, vocant. Plura de hac vrbe in Chronicis Argentinensibus. Hæc vrbs eo nomine felix, quia Societatis Iesu collegiū habeat, à Frederico Episcopo Herbipolensi Franconię Duce, institutum cui deinde eius successor, Iulius, ex nobili Echiterorum familia, Academiam ipsam vniuersam, adiecit.

2. HISPALIS, Seuilla Taraphę; celebre & peruetustum, in Hispania Beticę prouincię, in ripa Bethis fluminis emporium, quod Gaditani maris littus, amœnissimo situ illustrat. Hanc vrbem, inquit Marineus Siculus, ab Hispano, Herculis nepote conditam, vulgus asserit, cuius ego sententię nec accedo, nec refragor: incertum est enim, quod nec autore, nec ratione probatur. Verum enimuero, cuiuscunque sit autoris, vbs est maxima, & opulentissima, meoque iudicio, multis Hispanię ciuitatibus, ne dicā omnibus anteponenda. Est enim ambitu magna, forma rotunda, visu pulchra, templis celebris, Sacerdotibus exculta, multis equitibus nobilis, ciuibus plena, domibus insignis, plateis & vicis hilaris, hortis & fontibus amœna, tuta propugnaculis, mœnibus cincta, defensa portis & turribus, campis iucunda, agrorum frugibus abundans, oliuetis & magnis oliuis, oleoque fœlix, mercatorum commercijs diues, artibus adornata mechanicis, & liberalibus studijs illustris. Plena multis piscium generibus, & magnis citreis, palmetis; & palmulis, & arborum fructibus exuberans. Ostio maris, & nauigabili flumine, ponteque, admodum delectabilis. Tantā denique rerum omnium copiā excellit, vt in ea multo

vi.

viuatur melius, quàm in alia, quantumlibet vrbe, totius orbis ditissima. De cuius templo maximo, & nauigiorum numero, scripsimus alio loco. Cuius vrbis nomen barbaræ, Mauritaniæ gentes, deformarunt, quoniām, P. littera carebant, eius loco B. posuerūt, & cæteris commutatis litteris, Sibiliam dixerunt. Hucusque de Hispalensis ciuitatis felicitate, Marineus Siculus.

I.

35. IENAM, Florens Thuringiæ oppidum, Musæ atque vineta commendant.

52. IEROSOLYMA, Turcarum hoc tempore colonia, olim regni Iudaici Metropolis, vrbs omnium ob Christi mortem & incolatum celeberrima, sanctissimaque, & vario successu, euentuque temporum, diuersis designata nominibus, quæ hoc versu breuiter sunt comprehensa.

Solima, Iusa, Bethel, Ierosolyma, Iebus, Helia,
Vrbs sacra Ierusalem, dicitur atq; Salem.

L.

11. LEODIVM, Eburonum Augusta, vrbs Germaniæ inferioris, quam & secundam vocant, maxima, nomen habet à Legione Romana, cum quinque cohortibus, ab Ambiorige, Eburonū Regulo, in ea valle, vbi nunc est vrbs Leodium, cæsa, & eodem in loco hybernante, quemadmodum id Thomas Leodius, commentariolo de Tungris & Eburonibus, confirmat. Quo tempore Q. Cicero cum altera legione, à Cæsare, ad Varucam remissus, atque ibidem à Germanis interceptus, ac penè deletus est. Distat Legia à Varuca, vix amplius dimidio milliari germanico, in magna conualle, in qua vici sunt quidam, de nomine cæsorum ibi ducum. Romanorum, adhuc in præsentia nuncupati, Interfluit Legia fluuiolus, pueris in vrbe notus: adde, quod romanè adhuc hodie, Leodienses loqui dicantur, etiamsi sermo illorum ad Gallicam linguam, magis inclinet. Sunt item nō procul à Varuca, vici complures, Romanam originem portabant, maximè referentes. Visitur inde Latinus pagus, Volsci, Vercellæ, Pascasij, Bercelij viri doctissimi patria. Item Antium, nimirum ab Antiatibus, in quo vico, Legia fluuiolus ortum habet, & Cottæ fons limpidissimus, quo, dum in hibernis erat Cotta, oblectabatur, aut prope illum funda traiectus fuerit. Est & Ciceronis fons, in vrbe notissimus, & aquis maximè vber, quem riceronis fontem, malè lecta littera, nuncupant, scaturit è monte Petrosio, retro ædes fratrū, quos minores appellant. Atque hæc quidem Thomas Leodius. Quamquam alij sint, qui existiment, Varucam castellum fuisse, vbi nunc est Iuliacum oppidū, quod Ducatui Iuliacensi, titulū præbet, inter Coloniam & Aquisgranum, Germaniæ vrbes, Cisrhenanas, quod à Iulio Cæsare conditore, nomen habere putant. Leodium igitur, à Romanorum ibi legione cæsa, denominatum, à Germanis non valentibus Romanam, suæ Gallicam exprimere vocem, in Lugich, deinde Ludich id nominis detortum. Dictiones autem huiusmodi germanicè à Lud, incipientes, quando latinas facimus, in, Leo, conuertimus, vt Ludger, Leodegarius: Ludpoldt, Leopoldus, hinc quoq; Ludich, Leodium appellatum, conuincitur. Sunt, qui altius Leodij inquirentes primordium, eius denominationem à Leode Oenopis filio deducunt, non ob soni tantùm, sed ob eius etiam, & Leodiensium vitæ cōuenientiam. Leodes enim, vel ob morum, vel ob cantus lenitatem, ita dictus, sacerdos fuit, hoc vitæ genere, cum Leodijs ita consentiens, vt secundum Romam, vix vsquam plures sacerdotes reperiantur; vnde Franciscus Petrarcha, insignem clero locum, Leodium nuncupat. Hic Leodes interim. Ithacæ, inter Penelopes procos, magno crateri, è quo cyathizabant, semper assidebat, vel, quò facilius & promptius sibi hauriret, vel ne veneno, vt quidam volunt, vinum inficeretur. Et, quamuis hanc poculorū suauitatem sequeretur, solus tamen, inter procos fuit, cui sociorū vita, proteruię, iniurię, contumeliæq; plena displiceret. Sed, cum sciret meliora, probaretque, sinebat tamen se à recto deduci, impotenti, ad potationes, comessationesque procluitate, & spe fortasis aliqua fore, vt Penelope potiretur. Iam verò in eo, quàm nō degenerent Leodienses filij, vel ipse Hubertus Leodius testabitur. Nemo crederet, inquit ille, quàm dediti sint poculis Leodienses, & quàm sine supra modum bibaces, quod ipsum libenter de gentilibus meis reticuissem, nisi scirem, artem egregiè bibendi, hodie non inter vicia, sed inter primas virtutes annumerari, nec bonus vir habetur, nisi qui pocula euacuare, & vno anhelitu, multum vini in gurgitare nouerit, quod, qui egregiè præstiterit, ab omnibus amatur, colitur, & huius consortium appetitur. Contrà frugi, & modico vino vtentem, auersantur omnes, fugiunt, irrident, & mani alicuius mali conscium clamant, qui se inebriari reformidet, vereaturque, ne ebrius, sua prodat flagitia. Hactenus ille de suis Leodijs. Hæc igitur Leodis & Leodiensium allusio, etsi non conuincat Græcos, eius conditores fuisse, quippe, cum Doctore Becano in Atuaticis adferente, satis sit manifestum, Vlissem extra fre-

rum, Herculis columnis insigne, nunquam naulgasse, tantum abest, vt Leodium quisquam è socijs condidisse, affirmari queat. Literarij tamen vsus, & exercitij causa, eam considerationem reijciendam non esse, ibidem confirmat, vbi & copiosius de Leodiensium origine disserit. Vrbs ipsa Leodiensis quàm optimè munita, altissimis circundata mœnibus, vestitos vitibus montes, carbonarijs fodinis præstantes, librataque planiciem, murorum ambitu, comprehendit, piscosis irrigua fluuijs, ædificiorum & publicorum & priuatorum magnificentiā planè regia, viarum ac plateārum nitore & amplitudine præcellens: ita, vt vniuersus Leodij situs, videndi sensui oblectando, gratæq; animorum recreationi destinatus videatur. Siue enim quis mōtibus oblectetur, habet, quocunq; se vertat, in quibus expeditissimus quisque defatigetur. Siquem planicies, & prata iuuant, meditullium vrbis, hæc affatim dabunt. Gaudes nauigio, Venetam vrbem habebis, nisi, quod hic viui fluminis, & lympidissima fontium aqua, multò iucundior sit, quàm apud Venetos fœtidum mare. Si quis religioni, & diuino est cultui deditus, habet hanc vrbem amplissimis templis, Canonicorum, Monachorum, & sacratarum Deo virginum collegijs, ita frequentem, vt deleto Byzantio, alterius Romæ cognomen sibi meritò vendicet. Politica etiam incolarum ciuilitate, hospilitate, & elegantia ciuium nobilissima, doctissimis denique viris, varioque artificum genere ornatissima, Mufarum etiam vnica alumna ac sedes, scholas enim, & studiorum palæstras complures habet, ex quibus doctissimi viri, qui rei literariæ scriptis sunt ornamento, magno frequentique numero, velut ex equo Troiano prodierunt. Et, quod de sua Burdegala testatur Ausonius, clementia hic cœli mitis, & larga indulgentia terræ. Etsi enim ad austrū bona ciuitatis pars spectet, illius tamen status Arduenna sylua, totius Galliæ maxima, quæ altior est, frangit & mitigat. Et habent, qui ab ortu spirant venti, librum accessum, continui etiam ex natiuis carbonibus ignes, crassiorē perpurgant, & extenuant aerem. Tanta Leodiensium felicitas, à Carolo Burgundiorum Duce, grauissimis, ad internecionem ferè tam vrbis, quàm nominis, est labefactata incommodis. Huic non satis fuit, supra centum puberum, & impuberū hominum millia, vna die, expugnata vrbe, trucidasse, nisi totam propemodum incenderet, mœnia diiiceret, nauibus ciues impositos, pertuso fundo, submergeret, omniaque faceret, non in vrbe solum, sed per totam ditionem, quò nullæ gentis superessent reliquiæ, sed dijs gratia benè habet, floret rursum & vrbs Leodiū, & Leodiorum nomen, æternumque, Deo propitio, florebit, dum ille. Nancy hostili terra, captus adhuc, & putridus iacet. Sed iam plurimarum rerum commemoratione omissa, quæ de Leodiensium magnificentia, de opulentia, de incolarum vrbanitate, de eorum magnanimitate, & rebus præclarè gestis, copiosè recenseri poterant; celebres illustresque viros, qui scientiarum splendoribus non huic tantùm vrbi, verùm adeo vniuersæ Europæ lucent, breuissima enarratione, recensere libet. Eorum verò, quos fata eripuerunt, perpaucis recordabimur, non enim breui enarratione, horum virtutes & laudes, comprehendi possent. Inter eos autem principem, summumque dignitatis obtinet locum. Illustrissimus Princeps, Antistes Reuerendiss. ac Dominus. D. Erardus à Maca, Cardinalium ordini allectus, qui immiti morte sublatus, summum sui desiderium, apud omnes bonos reliquit, & in choro summæ huius vrbis Ecclesię, æreo ac deaurato tymbo, præcellenti opere fuso, placidè quiescit. Nihil hic, de Illustrissimis Principibusque viris, D. Georgio ab Austria, D. Roberto à Bergis, nihil item de Generoso virò ac Domino, D. Guilhelmo à Pictauia, maioris Ecclesiæ præposito longe dignissimo, referā, qui regia stirpe natus, præmatura morte, cum ingenti omniū mœrore ac luctu, Ecclesiæ Leodiensi ereptus, sempiternam pietatis, prudentiæ, bonitatis, virtutumque suarum famam, atque memoriam relinquens, Grationopoli, terræ commissus, iacet. Quid verò Reuerendissimum & Illustrissimum Principem ac D. D. Gerardum à Grosbeck commemorem, qui hoc tempore Leodiensis Ecclesiæ clauū, rara prudentia moderatur ac regit, vir tanto vsu, & summa æquitate instructus, vt ad Rempub. gerendam consummatus, & à Deo opt. Max. natus esse videatur, doctorum etiam hominum, & præstantium ingeniorum, insignis Mecœnas. Multis etiam laudum elogijs, æternaq; memoria digni sunt, R. D. Gregorius Syluius, Tagastensis Episcopus, & Ecclesiæ Leodiensis D. suffraganeus dignissimus, & concionator facundus. R. D. Henricus Natalis Leodiensis D. Laurentij extra vrbis mœnia, in monte amœnissimo, & suburbio Cœnobiarcha longè dignissimus, vir vetere & admirāda probitate, ac morum integritate præditus, & ob summas ingenij dotes, vario literarum nitore perornatus, cunctis charus ac notus, œconomus vigilantissimus atq; industrius, magnoq; cum in ipsa Eburonum Augusta, splendore, tum in vniuersa ordinis sui societate summa dignitate atq; existimatione est, qui maxima animi acerbitate vidit, vniuersum ferè monasterium suum, operosis atq; magnificis ædificijs splendidū, ab acerrimis ecclesiasticæ vnitatis hostibus Hugenotis, vulcani rabiei exponi. Quod quidem Reuerenda sua Dignitas, ex nobili Namurcensi lapide viuo, ad regulam secto, nō minore artificio, quàm sumptu restaurauit:

Eximiam

Eximiâm tintinabulorum turrim, multis campanis exornauit, quarum dissoni toni, summa arte conferti, harmoniam, audiendi sensum oblectantem, reddût. Bibliothecam magnificentissimam in ipso cœnobij ambulacro construxit, & incredibili librorû tam Græcorû, quam Latinorum copia, summis impensarum sumptibus cõquisita, exornauit, adeo quidem, vt non collapsum ac vetus cœnobium restaurasse, sed planè aliud, ac nouum extruxisse putetur, vt conditoris proinde nomen iure optimo mereatur. Ioannes Visbrucius Brugensis Canonicus, Græcæ linguę peritus, & insignis historiographus, ingenij subtilitate & varietate doctrinæ clarus. Eximiæ item, & pię recordationis vir, D. Carolus Langius Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonicus, vniuersæ humanitatis nitore, omniumque artium, stirpium, atq; herbarum cognitione præcellenter cultus. Cui quidem præstantissimo viro, eum non immeritò iungo, quem in postrema Oecumenica Tridentina Synodo, Anno. M. D. L I I. gratissimum iucundissimumque collegâ habuit, Reuerendum virum, D. Remaclum Lymburgium, apud D. Paulum, Canonicum, & Medicæ artis professione clarum, omnis virtutis, omnisq; scientiæ amantissimum, quem summum esse hominem, & præstantissimarum scientiarum studijs perpolitum maximè plantarum & piscium, exoticorumque simplicium, scriptorum suorum monumenta, non obscurè comprobant. Clari quoq; nominis sunt apud Leodios, Andreas Fabri Canonicus, Illustrissimo Bauariæ Duci à consilijs, cuiusque Germanus Godefridus D. Frãcisci instituti, Ecclesiastes exercitatissimus. Arnoldus à VVachtendonck Canonicus S. Bartholomei, summi nominis antiquarius. D. Gilbertus Lymburch artis medicæ scientia præstantissimus, eoq;, multorum Principum atq; Antistitum ἀρχιάτρος vir, ob egregiam vitæ probitatem, summa castitate conditam, memoria nunquam intermoritura, dignus, qui primus omnium experientia percepit, acidos Arduennæ fontes, ad varios corporis morbos curatu difficiles & contumaces, propulsandos, valere. Sed eo tandem morbo, quo Antipater Medicus Romanus, apud Galenû lib. 4. cap. 9. de locis affectis, magno Rei totius pub. Leodiensis, & omnium optimorum hominum dolore fatis concessit. Antonius Ghenardus, vir pietate eximia, & facultatis Theologicę professione eximius. Ioannes Laridus, S. Audomaro, Francisc anus, Theologus summus, qui verbi diuini pabulû, Eburonibus magna & pietate, & facundia, & fœlicitate subministrat. Ioannes Bree Crucíferorum Leodiensium Societatis Prior vigilantis. vir egregia pietate & doctrina clarus, insignis studiosorum promotor. Nec breuiter porro commemorari possent, præstantes huius patriæ ciues, politissimi, ac Iuris cognitione florentes viri, quales sunt Ioannes Racietius: Franciscus Trepontinus Puteanus: Petrus Horanus: Iacobus Iofir: Henricus VVeum: Ioannes Fresennius. Petrus Corcertus: Ioannes Hogennius, multique alij viri, dignitatibus clari, & morum grauitate conspicuj.

31. LINDOIA, Insulare imperij oppidum, aquis Acromi lacus circumfusum, de cuius origine, aut primis incolis, nihil exacti, historiarum penuria, haberi potest: Coniectura tamen, ex Strabonis geographia colligitur, Romanos, sub tempora Octauiani Augusti, insulam hanc post diuictos Rhetos, occupasse, præsidio propugnaculo sibi & suis, contra Vindelicos communisse. Extat enim adhuc fortissima, vetustissimaq;, ac semi diruta turris, ex quadrato silice, à dextris, mox pedestri itinere oppidum ingredienti, constructa, vulgo, murus gentilium (Die heiden mour) dicta, quæ testatur, Tiberij Neronis, vitrici sui legati, & non barbarorû industria, opus illud exædificatum. Subsequentibus tempestatib. quid rerum hic loci actum sit, iterum planè nescitur, non ambigendum tamen, Traianum, Aurelianum, Constantinos duos, & reliquos Romanos Imperatores, quibus cum Rhetis, & Alemanis ad Brigantinum lacum, negotia haud incruenta fuere, insulam præfatam, tanquam inexpugnabile refugium, facilè vllo pacto deseruisse, donec inclinante imperio, germanicæ nationes omnia regna, vastare cœperunt, etiam insulam hanc, Romani nominis odio, in solitudinem versam, vix gauijs & mergis incubandi nidû esse, permiserunt. Posteriori, dein æuo, quum D. Albertus, Caroli magni cognatus, & Palatij comes, ob vndarum periculosas procellas, quibus in lacu amplo obruebatur, D. Virgini Mariæ in eum portum, quocunq; saluus adpulisset, ædem & monasterium extructurum se deuouisset, fortè fortuna accidit, vt vento propitiore, in insulam hanc, quæ diu iam vicinis tantum, anserum pascua erat, naui deijceretur, ibi protinus pius vir, aream purgans, phanum promissum erigi curauit, simul ac cœnobium nobilibus virgunculis, de suo fundauit, portum quoq; istum, à voto & euentu deinceps, Lendoam, vel, vt antiqua instrumenta habent, Lendaugiam nouo nomine, quo nimirum etiamnum proprio idiomate propinquioribus Rheni accolis vocatur, adpellari fecit. Quam rem non multo post Imp. Ludouicus secundus Anno Domini 8 5 6. certa immunitatibus confirmauit, nec non & comites à Borbach, dictam monasterium dotarunt, & incrementa non parua acceperit. Sed & ingruentibus ad D. Virginis templum hoc votiuis peregrinationibus denuo tam locuples fieri, hominum deuotione donisque cœperit, vt non modò Abbatissę loci illius cum cæteris Romani imperij Ecclesiasticis Prælatis principis obtinuerit dignitatem, verum etiam palatij sui præfectis (qui Hydropirgi olim residebant) modum præscribere coacte, ob illorum prodigalitatem sunt, ne videlicet hi, dum Lendoiam proficiscerentur, vltra duodecim equites secum adducerent amplius. Defunctis simul Anno Domini 1051. Lindoense & Buchhaimense, abbatiis, referente H. Cõtracto, luota nobilis & religiosa vidua, ab Imperatore Henrico III. vtrique domui restaurandæ, præfecta est. Vestales dictæ Monasterij, nobilitatis ipsarum stemmata ab vsq; proauis ostentant, nec Moniales, sed Canonicæ, nostro sæculo, appellari gaudẽt. habitu non vtuntur monastico, nec cœlibatus voto obligantur, Horas canonicas, consuetis in Ecclesia horis, decantant. Augustũ. est ipsius cœnobij templum atque magnificum, cuius pilæ, seu testudinem fulcientes columnæ, singulæ è singulis saxis integris coagulatæ sunt, nec pluribus lapidum iuncturis constant. Oppidum paulatim ex villa, Cœnobij fœlicitate erecta, excreuit, totius podamici lacus nominatissimo portu, illustre. Id circa eam ætatẽ, qua duces Sueuiæ Rom. Imperij habenas moderabantur, in aduocatia & Mundiburdium (sic tunc tutela, id est, Castvogttei dicebatur) susceptum, dexteritate & obedientia ciuium, multa vtilia ac digna laude priuilegia, etiam haud aliorum imperialium liberorumque municipiorũ prærogatiuis minora, aut viliora, vna cum superioris, siue capitalis iudicij administratione, cudendæ monetæ facultate, nec non tilię viridis, in albo clypeo imaginibus Reip. suæ apud succedentium Rom. Cæsarum ac Regum clementiam imperauit. Hæc partim Achilles Gassarus apud Munsterum, partim Gasparus Bruschius, de Germaniæ monasteriis.

28. LIPSIA, Ostlandiæ quondam metropolis, nunc Misniæ adscribitur, vrbs aquis irrigua, ex eiusdem nominis pago, in vrbem, summæ dignitatis excreuit. Quam Henricus II. A. Dietmaro III. Marsburgensi Episcopo, Anno Salutis M. XXI. liberè donauit. Cuius pomœria murorum ambitu Otto Marcgrauius Conradi II. A. filius extendit. Succedente verò tempore, à Friderico I, eiusdemque nominis secundo A. A. Anno Salutis M. CC. XV. Et Theodorico Misniæ Marcgrauio, sociali bello diuturna obsidione cincta, expugnata, militum libidini & direptioni data, murorum propugnaculis spoliatur, eò, quòd Ottonis III. (Imperij tum dignitate priuati) & Alberti à Kirchbergio Archiepiscopi Magdeburgensis, Thuringiæ Landgrauij tutelæ & protectione Lipsiace conaretur committere. Deinde, vt est varia horũ temporum, & mundi vicissitudo, sic huic vrbi læta fortuna arrisit, vt inter Misniæ oppida, florentissimum ditissimumque habeatur. Quod superbissima ædificia, & peraugusta ciuica domus, nitore & magnificentia sua, fatis manifestè declarat. Ter annuatim nundinis frequentatur: Musarum etiam inclyta sedes existit. Hæc VVolfgangus Iobsteinius, de vrbium, arciumque origine.

A. LONDINVM, vrbs Angliæ, maxima in Cantuariensi prouincia, profluentem Tamesim, regio situ illustrat, celeberrimo negotiatorum emporio, superbissimis ædificijs, regioque Palatio maximè illustris ac nobilis. Quo non insulares modò Anglos, sed & remotissimarum Gentium negotiatores, lucri dulcedo pertrahit. Plura de Londinensium tum origine, tum dignitate Gaufridus Monumetensis: Gildas: Ponticus Virunnius: Polydorus Vergilius: & Hunfredus Lhuid commentariole de rebus Britannicis ad D. Abrahamum Orttelium perscripto. Paulus Iouius. Et alij.

18. LOVANIVM, vrbs Brabantiæ primaria, non tam comitibus suis vetustis, quàm insigni Academia, & omnium artium liberalium vniuersitate nobilis, nomẽ habet, nõ à laudando, vt quidam prodiderunt, non à Leuacis, vt alij sunt suspicati, eò quod hi Nerviorum, non Eburonum fuerint clientes, sed à situ vrbis, qui talis est, vt mœnia vetusta, quæ, vt illa tulit ætas, fuerunt firmissima, ex albo nimirum lapide, ad normam constructa ex alto descendant ad loca humilia, & aquis obnoxia, quas Tila fluuius maior, & Vorta riuulus siue torrens, extra ripas suas euomere quàm frequentissimè solent, & longè lateque omnes campos, & intra muros, & extra, in stagna & paludes permutarum. Altum autem illud, è quo descendunt, Lo, vocatur: è quo mons ascendit syluosus à Lo, nominatus Lobrech id est, altioris loci mons. Iam stagna omnia, & loca aquis exundantia, nostrate fermone, Ven, dicuntur. Hinc igitur vox composita, Louen, id est, quod altum locum, & stagnantem complectitur. Nec citra causam de hoc situ nomen fabricarunt, eò, quod nihil amœnius sit, quàm vtramque faciem terram habere. Louanium certè, & intra vrbem, & in suburbanis vbique campos habet aquis obnoxios, & ijs altiora loca incumbentia: è quibus & colles assurgunt, alij vitibus consiti, alij siluis horridi, alij pomarijs vberes, alij perdeliuia segetibus læti. Sunt hæc quidem, inquit Doct. Becanus lib. 1. Atuaticorum Louanio & Romæ communia, sed sic, vt si meo iudicio sententia ferenda sit, longè lateque loci amœnitate, Roma superetur atque vincatur à Louanio. Nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum, locus est, qui magis videatur mereri, vt sit sacrarum Musarum domicilium. Conferantur omnia, quotquot sunt literarum Gymnasia vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania, nullum inuenietur, quod huic par dici queat. Vixi Parisijs, Aurelię, Pictauij, Lugduni, Burdigalæ, & in loco Galliæ amœnissimo Andegauiorum: vidi Ticinum, & in eo domum enneophonũ: vixi Bononiæ, Patauij, Mantuæ, Florentiæ, Romæ, & Neapoli. Germaniam partim vidi, partim de auditu cognoui, sed, quæ equidem vidi oppida, nulla sunt Louanio comparanda situs incunditate, cum tamen viderim præcipua, & inter cętera Monachum, Augustam, Vlmam, & Coloniam Agrippinam, vt taceam inferiora. In Hispania Salamanca scholarum magnificentia longe omnibus in Europa præstat Gymnasijs, sed situ, & locorum facie, à Louanio superatur. Vallis Olitana extra vrbem non est inamœna, præsertim in Visurgis ripis, secundum quas frequenter Cimancam vsque corporis exercendi, & animi recreandi causa, soleo, dum illic viuerem, deambulare, & habet duo collegia quibusuis ædibus regijs conferenda, sed omnibus inter se comparatis; nihil ad Louanij amœnitatem. Gymnasium hoc Louaniense, scribit Hadrianus Barlandus, vnum habet caput, vnum principem, cui omnes in eo parent, hunc Rectorem vocant, cuius officium est ius dicere, priuilegia tueri, & malefici reos scholasticos pœnis afficere. Cum in publicũ prodit, ante cum præcedit Accensus, quem Bedellum, recepto illic vocabulo, vocant, pone sequuntur famuli, quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc apparet, quòd Consules, Magistratus, & clarissimi quique viri, denique omnium dignitatum gradus, Academiæ Principi assurgant, & decedant è via. Exeunti ad comitia, quæ certis anni temporibus indici solent, plures Accensi ante ambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Est hæc semestris dignitas, quemadmodũ apud Romanos olim dictatura fuit, sex duntaxat mensium. Sunt & alia quædam Louanij non indigna spectatu loca, Xenodochium dotatum amplissimè, vbi nunquam non assistunt ægrotis mulierculæ, solatijs refouentes singulos, atque adferentes, quod cuique è valetudine esse consiterit. Est alio loco digna duce, digna principe domus, quam extruendam curauit summus Pontifex Hadrianus sextus, cum adhuc in minoribus ageret. Intra mœnia visitur & cœnobium Carthusianorum, loco ab omni tumultu, ab omni frequentia semoto, ita, vt nec eremi solitudinem in vrbe magnoperè desiderent monachi. Hoc ædificio nil ex ea familia vidisse fe quicquam splendidius, ingenuè fatentur quiuis exteri &c. De Magnificą, & ampla hac vrbe Guiziardinus auido lectori abũde suppeditabit quę admiretur. Habet etiam Louanium societatis Iesu collegium, inchoatum ab Adriano Adriani, Anuerpiano, Anno salutis humanæ M. D. L V. Huic D. Helias Schore, consilio Brabantiæ à secretis, vir bonus, & ob pietatem, ac maximam, in pauperes, largitatem, æterna memoriâ dignissimus, amplas ædes donauit, Cui etiam volens prodesse D. Gualterus Runselius D. Petri canonicus, S. Theologiæ Licentiatus, ac societatis institutum, quod consilio diu fouerat, beneficio etiam iuuare, Anno domini M. D. L X V. domum suam, quam habebat, non modò donauit liberaliter, sed veterum, & sanctorum P P. exemplo, ad eius partem se recipiens, curauit, vt senatus authoritate comprobante, societas etiam hanc hæreditatem adiret.

24. LVBECA, Inferioris Saxoniæ vrbs Imperialis maritima, supremum, peraugustæ Hanseaticæ societatis caput, vulgo, Lubeck, quasi angulus laudis, Celte, & AEnea testibus, à Vicboldo duce condita, à Vandalis Baccena nominatur, à Kitto Principe aucta, anno Christi 1104 Bractusa & Trauo fluminibus irrigua. Episcopatus originem ibi habuit Anno 1152. Multa vrbs hæc, diuersitate principum, pertulit. Celtes

Inde vrbs clara nitet de lumine nomine dicta,
Et Lobicum Codani fama decusq; sui.
Angulus hæc laudis dicta est vrbs nomine prisco,
Angulus in hunc fertur fluuius Drauenna per æquor.

AEneas Syluius, in sua Europa, cap 32. Lubecensium, inquit, ciuitas potentissima est, sine cuius auxilio, vix vnquam Daciæ reges continere suos subditos valent Duodecim viri Reipub. præsunt, quos cõsules appellant; quorum perpetua potestas est, & in equestri dignitate constituti, popularibus, nisi vocentur, nulla de regimine vrbis consulendi facultas, nec tamen seruire plebs videtur. Sua cuique substantia tuta est, & libertas, saluis legibus vt velint viuere. AEquum iudicium consules agunt, ab his Cæsar, si excesserint, appellatur: plura de hac vrbe, apud Crantzium: Munsterum: Hermannum Bonnum: VVolfgangum Iobsteinium: & in chronicis Argentinensibus, inuenies. Eandem etiam carmine eleganti describit, Petrus Vincentius Vratislauiensis.

32. LVCERNA, Heluetiorum ciuitas, satis amœna & elegans, dignitate & opibus par multis, commune confœderatarum vrbiũ emporium, vbi deponuntur merces, quæ ex Germania in Longobardiam, & Liguriam transmittuntur, & per lacum magnum, ad cuius finem Lucerna est sita, spatio quinq; miliariorum, in Vraniam deferuntur, atq; inde dorso equorum, per montes & valles alpium, Mediolanum vsque transportantur. Habent autem Lucernates, maiorem ferè commoditatem ex lacu, quàm ex adiacente solo, tametsi eximia quoque habeant prata, & pabula pecoribus nutriendis idonea. Confœderata est hæc vrbs tribus pagis, anno salutis M. CCC. XXXII. vocaturque hæc ipsa confœderatio, Fœdus quatuor syluanorum locorum.

10. LVGDVNVM, vrbs Transalpinę Galliæ maxima (quæ generosi Leonis Gallicum nomen, ingentes animos, & nobile stemma gerit) sic nunc est fortibus prudentibusq; viris munita: muro, fossa, vallo, & omnibus propugnaculis cincta, geminique fluminis ambitu, rupium clausstris, & ipsa loci naturâ inexpugnabilis: vt Celticæ arx Galliæ in ipsis regni faucibus iure dici possit. Nomen habet, si D. Becano credendum, à tumulis, Dunen, vocabulo, quo omnia loca montosa & accliuia, Belgis vocantur, cuius significatio & perpetuis apud eos vsus, multa prisca vocabula interpretatur. Quæcunq; enim oppida huius vocis terminationem habent, intelliguntur in locis accliuibus aut, collibus extructa fuisse; vti est Lugdunũ, quo collis bonæ fortunæ, siue prosperitatis significatur. Eiusmodi arenaceis montibus, siue tumulis maxima pars Flandriæ, & Hollandiæ, & Zelandiæ quædam partes, ab Oceano defenduntur. Hanc Lugdunensem vrbem ad Rhodani ripas, & Viennæ finitimam Seneca in epistola ad Lucilium refert, fatali igne, suo tempore exustam, quam inter Celtas adscribere, quibusdam placet, quoniam omnes eius suffraganei, & pars vrbis, Ecclesiaque ipsa, matrix in Celtis sunt. Hinc Plotius, qui primus Romæ Rhetoricam docuit Latinam, ortus est, à quo Romæ se puerum cum Q. fratre latinè primum doctum esse, Cicero refert. Huc Pilatus sub Claudio à Caio accusatus, in exiliũ missus, vitam magna cum infamia, finiuit, vt non modò in futura, sed in hac quoque vita, iustas scelestissimę iniquissimæq; latæ sententiæ, pœnas exsoluerit.

23. LVNEBVRGVM, præclara Saxoniæ vrbs, quæ, quia salinis vberrimis præstat, Salinenburgensis quibusdam, non ineptè dicitur. Eas autẽ salinas Lunenburgenses, AEnea Syluio teste, Abbatibus, alijsque Ecclesiasticis viris, eripuerunt. Hărum prima origo fuit non procul à monte Calcario, olim inuenta, puteo incluso, viris fortibus, qui aquam die noctuq; exhaurirent, deputata, atq; ex æquo diuitibus & pauperibus distributa. Nec hic in hunc vsque diem, vlla vetustatis est facta immutatio. Durat adhuc antiqua columna, quæ sustinet trabem, cui magna adhæret vrna, aquam è profundo educens. Canales, seu fistulæ, per quas salis aqua deriuatur, pulchro ordine distribuuntur, sunt autem numero quinquaginta, ad singulorum casas, habetq; vnaquęq; casa, quatuor fartagines, ex plumbo factas, quadrilateras, latas duabus vlnis, & trãsuersa manu profundas, quæ vsu detritæ, renouantur absque vlla liquefactione. Duabus autem horis sal coctũ, & ex fartagine sublatum, in varias illius terræ, & longius dissitarum regionum partes, deportatur.

7. LVTETIA, inter Celtas est, Prouinciæ Senonensi adscribitur, oppidum erat Parisiorum, positum in insula fluminis Sequanæ, quod perpetua palus influit, proximum Bellouacis, Agendico oppido, & Senonibus, & Meloduno oppido finitimum: nunc vrbem Parisiensem esse dicunt. Ciuitas est Episcopalis in Francorum regno sita, in quam Cæsar se concilium transtulisse, & patrũ suorum memoria Parisios cum Senonibus ciuitatem coniunxisse, scribit. B. Rhenanus libro tertio rerum Germanicarum. hæc, quæ sequuntur, coronidis vice adijcit: Lutetiam, inquit, Parisiorum Castellũ vocat. Ammianus Marcellinus his verbis, Matrona & Sequana amnes, inquit, magnitudinis geminæ, fluentes per Lugdunensem post circunclausum ambitu insulari Parisiorum castellũ Lutetiam nomine, consociatim meant, meantesq; protinus prope Castra Constantia fundũrur in mare. Hactenus illius verba retulimus. Vnde liquet Lutetiam exiguum oppidum olim extitisse, quippe quam insula tam modica, totam fuerit complexa. Proinde duæ illæ ciuitates, quæ in vtraq; Sequanæ ripa ædificatæ, Lutetianam insulam cingunt, suburbana illa sunt, in quibus Iulianus Cæsar, quum apud Parisios ageret, Decentio Tribuno & Notario, electissimam Auxiliarium, Herulorum, Batauorum, Tenchaterorum, Celtarum, & Iouinorum manum, illac ad Constantium Augustum contra Parthos bellaturum, ducenti, salutabundus occurrit, vt est apud eundem auctorem. Crediderim autem eam vrbis partem, in qua hodie Scholæ sunt, altera multo vetustiorem esse. Quod indicat antiquum illud ædificium, hortum pensilem gestãs firmissimę testudini superimpositum. Id adhęret nouis ædibus abbatis Cluniacensis, quas ingenti sumptu proximis annis ædificauit, Romanorum olim principum haud dubiè domicilium. Sed Lutetiam & Sequanam fluuium præfluentem elegantissimè describit Iulianus Cæsar, in oratione, cui titulus ἀντιοχικὸς ἢ μισοπώγων Vbi criminationibus quorundam respondens, qui ipsi comessationes & vomitus obiecerant: ostendit, qua causa semel Lutetiæ coactus sit cibum reijcere, tum videlicet, cum Gallicæ cõsuetudinis impatiens, qua cœnacula per fornaces calefaciebant, illatis in cubiculum viuis carbonibus, eo nidore ferè extinctus est. Quæ nos docebit narratio, obiter, vsum hypocaustorum, qui Germaniæ peculiaris est, olim apud Gallos fuisse receptissimum. Alioqui, si fumarium habuisset ille locus, in quo Iulianus dormiebat, nihil mali sensisset, & notum est, quid Græcis significet. κάμινος Sed aiunt, veteris architecturæ peritj, fumariorum vsum, prisci

ignotum extitisse, qui tubulos habebant, parietibus insertos ad cœnacula, vel calefacienda, vel refrigeranda. Hæc ille, Anno Salutis M. D. L. V. in Lutetiana Academia primum in Gallia, societati Iesu collegium constitutum est, à R. D. Guilhelmo de Prato Clarenistano Episcopo.

M.

63. MAGDEBVRGVM, Imperialis, & metropoliticæ dignitatis in Saxonia vrbs, Archiepiscopalis sedes, cuius Antistes omnium Episcoporum Germaniæ primas est. Hic in honorem S. Mauritij, ex quadrato lapide, dies templum, Othonum nobile opus, & in eo S. Florentini corpus. Credunt quoq; vnam è sex hydrijs ibi esse, in quibus vinum ex aqua factũ à D. Saluatore, Euangelistarum tradit historia, hanc plebibus ostendunt, materia marmorea est, ac pellucida, vini capax, quantum equus ferre posset. Alteram, ac minorem, apud Hildemenses affirmant. Tertiam Coloniæ Agrippinæ ex candido marmore, in peraugusto D. Vrsulæ phano, aliquoties vidi. Vexillum quoque S. Mauritij Magdeburgi quotannis ostenditur. Magistratus vrbis ius ciuile Romanorum abbreuiatum, & Saxonica lingua conscriptum, non sine reuerentia custodit, quod Magni Caroli auctoritate firmatum, tradũt, eoque in decisione causarum circumuicinę gentes recurrunt. Magna & venerabilis earum legum auctoritas habetur.

2. MALAGA, in Hispania, Beticę prouincia, digna Episcopo sedes.

50. MALTA, commune insulę in Mediterraneo mari ac oppido, probè munito, nomen.

26. MARTPVRGVM, quasi Martis castrum, vrbs Hassię metropolis, olim villa, vt historia B. Elizabeth tradit, in cuius honorem Ecclesia dedicata est. Lanus prætersluit. Abbas Spanheimẽsis, Marcburgum à Marcomero Marcomeri vicesimi sexti Regis Francorum filio, nominatum, & erectum fuisse, collegit: meminit & illius Hunibaldus. Ptolemęus hanc Amisiam nominauit.

18. MACHLINIA, elegantissima Brabantię vrbs Archiepiscopi sedes, distat Bruxella, Louanio, & Anuerpia miliaribus quatuor, situ & opere munitissima. Præterquam enim propugnaculis, mœnibus ac fossis circundata est, vicina decliuiora loca, aquarum septis reclusis stagnantur, vt hostibus nullus ad eam aditus pateat. Hæc vrbs ob præstita in obsidione Nouesiensi (oppidũ est ad Rheni ripas infra Coloniam Agrippinam) Carolo Burgundionum Duci officia, multis priuilegijs, etiam ad inuidiam vsque vicinorum, est dotatum; vectigalium, maximè in Brabantia, immunitate. Qua Anuerpiam itur ad portam Catharinarian, vrbi Machlinię coniunctus est amplissimus circus, castelli instar, muro clausus, domicilijs plenus, vbi celebre etiam templum cernitur, D. Alexio, vt tutelari numini dicatum, quo loco in frequentissimo mulierum conuentu plus minus sesquimille, omnium ordinum feminas semper reperias, quę religionis ergo, commoratum eo cõcesserint, omnes verò, quatuor primis, vniuersę parent & obediũt, in quibus sunt, quæ de luo luculentè vixunt, longe verò maxima earum pars, lana ac tela victum quęritat. Sed hic non modo lubet, dumque ita res postulat, extra septa egredi, verum etiam contradicente nemine, quando sic visum fuerit, nubere licet. Machlinienses, ne omnẽ antiquitatẽ, ab Aboriginibus, excutiamus quondã imperarunt Bertholdi, gens vndiq; spectata, & illustris, ac vbi eius familię stirps vtraque excidit, nouissime post diuturnum bellum, litigiosamque contentionem, pars eius vrbis Eburonum Antistitem, pars Gelrię Comitem agnouit. Sed illi ipsi (vt Meyterus attestatur) postremo iure suo cedere, Annoq; M. CCC. XXXIII. Ludoico Niuernienſi Flandrorum Comiti, vniuersam dominationem diuendere, id, quod ancipitis belli seminarium extitit. Recusabat enim Ludoicus, Branbantię Ducis clientelare beneficiũ, quod maiores aliquando, vt ferebatur, non abnuerant. Tandem verò post lõgissimam, eamq; inutilem litigatorum altercationẽ, Ludoicus Maleanus, iam dicti Ludoici filiorum natu maximus, Margaritam Ioannis III. Brabantinorum Reguli filiarũ alteram duxit vxorem, cuius matrimonij ratione, vt vt confectum bellum restinctum non sit, ad extremum rebus compositis, Flandrię Brabantia coniuncta est. Philippus autem cognomento bonus, subinde singulare huius vrbis imperium constituit, quale etiamnum manet. Inde secundo lapide, præclarum occurrit municipium Heista, colli impẽdens, cum appendicibus septem castellis, Machlinienſium territorio circumscriptum, ceteroqui per se liberum, & omniũ rerum immune. Habet insuper hæc vrbs (vt scribit Bardandus) suas minimè vulgares dotes, aëris multam clementiam & salubritatem, incolas sermone blandos, moribus mansuetos, comes, ciuiles, bellicosos etiam, cum res exigit, placet in hac vrbe virorum multitudo, placet mundicies; habet Concilium regium, & ędes sacras complures decenter ornatas. Vrbem hanc Machliniensem multo celebriorem nunc reddit Illustrissimus D. Cardinalis Granuellanus, nouę scholę institutione, quam velut seminariũ quoddam morum ac litterarum ex Concilij Tridentini præcepto, magnifici viri, non modò de hac vrbe, sed de vniuersa Brabantia eo ipso benè meriti, instituere nũc moliũtur. In qua pueris, quibus parentes ob fortunarum angustias, necessarios ad studia sumptus suppeditare nequeunt, Illustrissimi D. Cardinalis munificentia, ad victum & cultum necessaria, perpetua fundatione concedentur.

42. MEDIOLANVM, vrbs apud Insubres omnium potentissima, metropolitico honore, situq́ue conspicua, scribit enim Alexander Quintus, eius nominis pontifex summus, hanc vrbem physico ac naturali situ, ab incendijs caumatum, & frigorum rigoribus æqualiter abesse, ac locum totius orbis temperatissimum, aëremq; serenissimum & aquarum in puteis, ac fontibus salubritatem obtinere. Quodq; lacus pulcherrimi decem, & septem, & sexaginta quatuor flumina, terræ superficiem irrigantia, in illius agro reperiantur. Porro, quantum templorum magnitudine, regalium domorum amplitudine, clarissimarum ædium nobilitate, & vicorum nitore, nec non & omnium artium præstantia florueriit, nostraque ætate floreat, tum potentissimorum dominorum, Ducis maiestati obsequentium: tum vtriusque sexus contubernium religiosorum inhabitantium, ac caterua huius vrbis equestris ordinis virorum, ac doctorum, nec non & armorum & pannorum, & omnifariam vestimentorum officinæ, & mercatura declarant. Est & Mediolani societatis Iesu collegium à R. D. Cardinale Boroneo, auctum & amplificatum.

49. MESSANA, florentissima Sicilię vrbs, de qua in ipsa descriptione plura. Haud parum huic vrbi, tum venustatis, tum vtilitatis accedit ex optimè constituto societatis Iesu collegio, quod Pontificis Maximi iussu, eo missi erexerunt, M. Hieronymus Natalis Hispanus: Andreas Frusćius Gallus: Petrus Canysius Germanus, Benedictus Palmius Italus, atq; nonnulli alij ex variis nationibus, domo magistratus benignitate, commodè instructa, Anno domini M. D. XXXXVIII.

58. MEXICO, Regia in Hispania noua sedes, de qua hunc in modum Ferdinandus Cortesius scribit: Mexicana ciuitas, adeo ampla est, & admirabilis, vt magnitudine & populi frequentia, Granatensem vrbem superet, & patrijs rebus multo sit abundantior, vt pane, auibus, piscibus, tam ex fluminibus, quàm lacubus, & his, quæ in venatione capiuntur, rebusque alijs, quibus pro ipsorum victu fruuntur optimis. Hac in ciuitate est forum, in quo quotidiè cernuntur vltra triginta hominum milia ementium & vendentium, vltra alia plurima parua fora, quæ in ciuitate reperiuntur. Hoc in foro habentur omnia genera indumentorum venalia, quibus illi vti consueuerunt. Sunt ibi loca disposita, ad vendendum aurum, argentum, lapillos, aliqua genera emablematum & plumarum, tam benè comptarum, vt in nullis foris aut plateis vniuersi terrarum orbis, ornatiores reperiri possint. Sunt illic venationes adeo aptæ, vt nullis optimis in Hispania cedere debeant, venduntur holera, & herbę medicinales, ligna, carbonesq; in bona quantitate, habentur balnea, & denique inter eos viget aspectus cuiuslibet boni ordinis ac regulæ, estque natio multæ rationis, qua in Africa non posset inueniri melior. Legum rigore maleficos puniunt. Quidam enim Cortesio aurum furtim obstulerat, quod cum huius vrbis Magistracin resciret, depræhensum, in foro, per præconem primo proclamante delicto, malleo ligneo occidi iussit. Ciuitas hæc in lacu constituta, in qua optimæ sunt domus & turres, & maxime, aquas ipsi domini inhabitant, & sacræ edes eorum, quas Meschitas appellant, vbi suas fundũt orationes, & deos collocãt, & pro qualibet necessitate homini incũbenti, habent propria sua idola, more priscorũ gentilium. In istis Meschitis versantur homines, qui pro religiosis more suo habentur, & continuè ibidem resident, omnes illi idolorum cultores, ingris vtuntur vestibus nec capillos minuunt, aut pectunt à die ingressus religionis, donec exierint. Filij omnes fere primatum ciuitatis & dominorũ eo habitu, in religionibus versantur, à sexto, & septimo anno, donec eos parentes matrimonio iungant, & hoc frequentius accidit in primogenitis, & in ijs, qui in hęreditate succedunt, quàm in cęteris. Morantes in illis locis accessum ad mulieres non habent, nec ad eas domos mulieri patet accessus, abstinẽt à cibis quibusdã, sed vno tempore plus alio. Et inter Meschitas est vna suprema, in cuius circuitu quadraginta sunt turres altissimæ quæ omnes sunt sepulturæ dominorum istius prouinciæ, & capellæ in eisdem constructæ, singulæ suis idolis consecrantur. In hac ampla Meschita, sunt tres latissimę aulæ, in qua sunt plurima idola mirę altitudinis, varijs figuris & artibus sculpta, tam in lapidibus, quàm in tecto & dictis aulis insunt alia parua sacella, angustis portis constructa, quę nullam cœli claritatem continent, in ea sacella, ex religiosis certi aliqui, minimè tamen omnes, admittuntur. In his Meschitis, vnius Temixtitanę vrbis, (horrendum dictu) olim dijs suis annuatim, vltra viginti millia puerorum, puellarum què corda sacrificarunt. Ex lacu, in quo hæc ciuitas posita est, maximam salis copiam conficiunt. Quatuor tantum habet vrbs ipsa à cõtinenti ingressus, stratis manu fabricatis, vijs latis, quantum extenditur lata Hispanica equestris lancea. Illius prędpui vici amplissimi, & recto tramite procedentes cernuntur, quorundam media pars est in aquis, media in terris, per quos canois inuehuntur. Vici quoq; omnes habent suos exitus, & ab vno ad alium, aqua permeare possunt. Habet insuper præclara hæc vrbs plu-

plurimas plateas, vbi quotidie sua habent fora, commertiaq; exercent. Venditur res ex auro, argentoq;, plumbo, cupro, aurichalco, lapidib. ossib. cõchilibus, corallis, & ex plumis. Venditur calx, poliri lapides, & non politi, lateres crudi & cocti, ligna dolata varijs modis, & nõ dolata. Est vicus, in quo venditur omnia genera auiũ ad aucupiũ, vt gallinæ, perdices, coturnices, anates, turdi, fulicæ, turtures, palumbes, passeres arũdinibus collo astricti, psitaci, milui parui, aſ; ciones, tinunculi, accipitres, falcones, & aquilæ, & aliquæ ex istis auibus rapina viuentibus, cum plumis, capite, rostro, & vngubus. Venduntur cuniculos, lepores, ceruos, canes castratos paruos, quos ad comedendũ educant. Sunt vici ad herbas vendendas, sunt ibi omnes herbæ & radices medicinales, quę nascuntur in tota prouincia. Sunt domus pharmaca vendentium, tam potabilia, quàm ex vnguentis & emplastris. Sunt barbitonsorum domus. Sunt etiam habitationes vbi conueniunt ad bibendum & comedendum pro pecunia. Sunt ibi etiam plurimi balnei, vt in Hispanijs, qui merces emptas ad incolarum ędes deferunt. Sunt plura ligna, carbones, focularia, storiæ variæ ad lectisternia, aliæ subtiliores ad fedila ornanda, cameras, & aulas. Sunt omnia olera, & prę sertim cepe, porri, allea, nasturcium tam terrestre, quàm aquaticum, caules, acetosa, cardus. Sunt ibi fructus varij, inter quos sunt cærasa, pruna, quæ sunt simillima Hispanis. Sunt poma, vuæ & alij fructus plurimi, quos exquisitissimos, ipsa prouincia producit. Venduntur mel, apum, ceram, & mel arundinum, ex Mayz, quæ quidem arundines tantum mellis habent, & sunt adeo dulces, quemadmodum illæ, ex quibus zaccarum conficitur. Venduntur mella ex arboribus quibusdam, quas in reliquis insulis Magneas vocant, & sunt dulciora musto decocto. Venduntur etiam vinum inde confectum. Venduntur varia genera fili omnium colorum in suis corollis, & est similis vico, vbi Granatæ venduntur res ex serico, sed in maiori quantitate. Venduntur ibi colores pro pictoribus, & omnia genera sicut in Hispanijs, & adeo illustria, vt meliora fieri non possent. Venduntur coria ceruina optimè aprata villosa, & sine pilis, alba & tincta coloribus varijs. Venduntur fictilia multa, & optima vernice fussulta. Venduntur dolia maxima, & parua Oenophora, ollæ, & alia vasa fictilia. Venduntur multum Mayz, tam solidum, quàm coctum, & in panem conuersum, & de eo habent magna commertia, & in solido, & in pane. Venduntur artocreas ex auibus & piscibus recentibus & salsis, crudis, & coctis. Venduntur oua gallinarum, & anserum aliarumque auium maxima in copia. Venduntur placentas ex ouis. Et denique, venduntur in dictis foris, quiequid gignitur & crescit in illis prouincijs, quæ vltra ea, quæ expositi, sunt talia, & tam diuersa, vt ob prolixitatem, &, quia eorum omnium nomina non teneo, recensere nequeam. Et genus quodlibet mercium habet vicum proprium, nulla data alia mercium commixtione In hac ampla platea, est domus magnifica, in modum iudicij, vbi semper morantur decem, aut duodecim personæ, quæ iudicant, & constituunt omnia, quæ in dicta platea eueniunt, & dubia quæ insurgunt, malosque & delinquentes puniri iubent, versantur in dictis plateis aliæ personæ, quæ assidue diligenter explorant quid venditur, & mensuras, quibus venduntur bona inspectant, atque explorant. Iam verò, si de magnificentia, diuitijs, & domestico apparatu atque obsequio, ipsius Muteczuma huius vrbis, & vicinarum regionum suprema domini, de palatijs suis, viuarijs & hortis, in ipsa ciuitate, & extra eam voluptatis gratia ædificatis, de pontibus, aquæductu, vijs, & nobilium arcibus, omnia commemorare volucro, veritatem ipsam narrationẽ, excedere multis videbitur. Ex varijs tamen hoc saltem vnicum referam. Præter alia amplissima ipsius Domini Muteczuma palatia, vnum est, in quo pulcherrima erant viridaria, quibus dam prospectaculis eidem insidentibus, & marmora, reliquaque ornamenta erant ex Iaspide optimè elaborato. Huic palatio inerant habitationes, quibus possent hospitari duo magni principes, cum amplissima familia, ibiq; erant decem stagna, vbi habebantur omnia genera auium aquatilium istarum prouinciarum, quæ sunt multa & varia, & omniũ altiliũ, & ad vsum volucrum, quæ mari aluntur, erant stagna salsæ aquæ, & ad vsum in fluminibus versantium, erant aquæ dulces, quas quodam constituto tempore emittebant, vt stagna emundarent, & cuilibet speciei volucrum impartiebantur cibum, qui eis erat proprius. Ita, quod volucribus pisces edentibus, ducente & quinquaginta libr̃e, quotidie exhibebãtur. His alendis volucribus dabant operam trecenti viri, nulli negotio vlterius incumbentes. Erant præterea alij, ad auibus præstanda medicamina prepositi, cuilibet stagno prospectacula imminebant, & deambulatoria egregia, & sumptuosa, quo dictus Muteczuma solatij gratia, secedere solebat. In huius palatij particula, tenebat homines, pueros, fœminasq; à natiuitate candidos in facie, corpore, capillis, superciliis, & palpebris. Habebat aliam etiam domum amplissimam & munitissimam, in qua erat latum peristylium, pauimento ex crustis marmoreis egregijs ornatum, in modum latruncularię tabulę, & domus erant profundę, quasi ad statum hominis cum dimidio, & ad magnitudinem sex passuum in quadrangulo, & in medio quarumlibet istarum habitationum cernebatur volucris rapina, vitam quęrens à tinunculo, vsque ad accipitrem, quotquot comperiuntur in Hispanijs, & plura genera, quæ nunquamin Hispanijs visa sunt, & in quolibet genere magna copia. Et in qualibet istarum erat lignum, vbi volucres residebant, & aliud extra, infra rete, & vni insidebant aues nocturno tempore, cum pluuio sum erat tempus, in altero verò poterant esse exeuntes ad solem, & aërem, dum aliqua ægritudine laborant. Istis omnibus volucribus, gallinas impartiebantur pro cibo, & non aliud. In eodem palatio inferius quædam aulæ magnæ, plenæ sunt magnis caueis, & grandibus lignis fabrefactæ, & coniunctæ, & in eis, vt plurimum, continebantur leones, tygrides, lupi, vulpes, cati, varij, & omnium horum animalium tam volantium, quàm quadrupedum erat maxima copia, quibus ad saturitatem gallinas apponebant, & ad horum animalium custodiam erant alij trecenti viri. Erat insuper & alia domus, vbi plurimos viros & fœminas monstrosas, pumiliones, gibbosos, & adulterinos, & alios maximæ deformitatis viros habebat, & genus quodlibet monstri, suas obtinebat separatas habitationes, & præerant eorũ infirmitati electi homines. Reliquas domus voluptatis gratia constructas, in dicta ciuitate Mexico, prætermitto, cum & plures sint, & diuersimodæ. Hæc ex narratione secunda, Ferdinandi Cortesij excerpsimus, apud quem multo plura de magnificentia rara & inaudita huius vrbis, & de regio ac domestico obsequio ipsius D. Muteczuma lectu digna inueniũtur. Habent etiam in Mexicana hac vrbe Domini de societate Iesu collegium Regis Catholici Philippi Austriaci benignitate, institutum atque dotatum Anno à Chr. nato M. D. LXXIII.

37. MOGVNTIA, vulgo Meintz, à Celte, Peutingero, Liguriño, ac Ottone dicitur: Mogunciacum, vel, vt, Pirckeymerus, Mocontiacum, Hermolaus, D. Hieronymus, Ammianus lib. 16. Et Tacitus vocant. Ptolomeus Neomagum lib. 2. cap. 8. tab. 3. appellat. Est & ciuitas apud Antoninum Pium in itinerario, Nouiomagum inter Argentoratum & Bingiam, quam doctus autor, Moguntiam coniectauit. Licet alij Nouiomagum in Gelria posuerint. Nomen habet Moguntia à Mœni fluuio, quem alij Moganum, alij Mogum vocant, oritur in orientalis Franciæ montibus, & Franco fordiam, nobilissimum Germaniæ emporium, prætерlapsus, apud Moguntiam Rheno miscetur. Hunc fluuium, sunt, qui Obrincum esse putent. Non enim parua disputatio est, quis sit fluuius Obrincus, quem Ptolemę usupura Moguntiacum statuit. Quidam enim illum Naum, qui iuxta Bingum in Rhenũ defluit, esse putant. Alij etiam Rhenũ trangressi, Rhenũ esse censent. Sed procul dubio Mosella est, licet Ptolemeus ex eius situ (forsitan ex aliorũ relatione) deceptus videri potest. Equidẽ, si Naus esset, sequeretur, quòd Mosel la penitus à Ptolomæo fuisset obmissa, quod planè incredibile est, quod fluuius adeo insignis, fuisset neglectus, & longe minor, Naus, nimirũ, recensitus, qui & ipse nõ supra, sed infra Moguntiacũ labitur. Mœnũ verò, per Obrincũ designari, planè ineptũ videri potest, quod in descriptiõe superioris Germaniæ, & inferioris, trãscenso Rheno, Mœnus describi, & quasi humeris, vltra Rhenũ trãsportari deberet. Auctor est Pirckeymerus, cuius verba retulimus. Sed nũc ad Mogũtinam, clarissimã Germanię vrbem reuertimur, à Tacito memoratã, qui hic etiam molem à Druso ad remorandum Rhenũ fluuiũ inchoatã refert, & à Paulino Pompeo Romanarũ Legionũ in Germania Duce sub Nerone Imperatore perfectã. Pons quoq; ligneus, apud Mogũtinos à Carolo, trans Rhenũ cõstructus fuit, q paulo post vulcani rabiei litatur. Asso salutis D. CCC. XXXVIII. (autore Sigiberto in chronicis.) Godescalcus hereticus, adulterina deprauataquè doctrina, vrbem, ac ditionem Moguntinam corrupit atq; infecit; Coacto igitur Mogũtię. cõcilio à S. Rabano Archipręsule Moguntino (cuius quidem viri pietatem & eruditionem, omnes bibliothecę, permultis ab eo libris conscriptis, passim commendant) erroris conuictus, damnatur. In hac vrbe ars Typographica, circa annum salutes M. CCCC LIII. per Ioannem Fauſtum inuenta est. Vniuersitate denique Moguntia inclarescit, quæ quidem, vti Pipino, eiusq; filio, Carolo Magno primordium, ita Reuerendissimo Archipręsuli Moguntio, Danieli, in Electorum ordine primo, per Germaniam Archi cancellario & omnem sue nitorem, & restaurationem debet. Cui Illustrissima Calsitudo sue Asso verbi incarnati. M. D. LXVI. Dominos de societate, IESV præfecit, quidũ mitiora artiũ studia, tũ etiã philosophicas & theologicas scietias, maxia & dexteritate, & fœlicitate tradũt, Mogũtiã superioriſq; Germanię iuuẽtutẽ, doctrinę, pietatis nitoribus expoliũt.

53. MOMBAZA, oppidum Africę, habens in portu arcem munitissimam, armis & telis, varijsquè tormentis refertam, firmissimisq; præsidijs, atquè singulari vigilantia defensam. Tellus abundat fructibus, oleribus, & frugibus, & pecorum, & armentorum gregibus &, aquis dulcibus. Vtitur præterea mirã cæli temperie, homines viuunt admodum lautè, & domus lusitanorum more ædificant, tectoriaquè varijs coloribus depicta parietibus inducunt. Hæc Osorius lib. 1. de rebus Emanuelis lusitanorum Regis virtute gestis.

40 MONACVM, vrbs ad ripam Isaræ sita, inter ciuitates Principum in Germania præclarissima, & Bauariæ nominatissima, ædes habet pulcherrimas, plateas amplas, & basilicas ornatissimas,

Ioannes Auentinus, diligens rerum Bauariæ scrutator lib. sexto historiarum suarum, ita de Monaco oppido scribit. Henricus duodecimus Bauariæ Dux, oppidum Monacense construxit, in fundo Monasterij Schefflarn, atque inde Monacum est dictum, habetq; monachum pro insignibus. Fuit autem eo tempore oppidū quoddam aliud, Vering nomine, infra Monacum, ad ripam Isaræ situm, vbi pons erat vltra fluuium, quo omne sal, quod ex Reichenhal, deferebatur, tendebat: traijciebatq; pontem, vnde Episcopatus Frisingensis, cuius erat oppidum illud, magnum habuit quæstum. Hoc autem oppidum Dux Henricus exussit, pontem fregit, direxitque viam ad Monacum, eaq; ratione vniuersa negotiatio, & vectigal salis ad suam ciuitatem peruenit. Est hoc tempore Monaci societatis Iesu collegium celebre, ab Alberto vtriusque Bauariæ Duce informatum, & dotatum.

22. MONASTERIVM, vrbs episcopalis, totius VVestphaliæ Metropolis. Ptolemæo Mediolanum; Anabaptistis verò noua Hierusalem dicta, qui post longam obsidionem ab ea expulsi sunt in natali S. Ioannis Baptistæ, Anno domini M. D. XXXV. Ioannes verò Leidanus ex sartorum opificio primus ipsorū Dux, ad quæcunque scelera ipsis facem præferens, quem Regem Israel & Sion esse dicebant, viuus cauee ferreæ inclusus, è fastigio turris S. Lamberti suspensus, inedia perijt.

8. MOMS PESSVLANVS, in Narbonensi Gallia oppidum tam situs opportunitate, quàm vniuersitate amplissima, admodum celebre.

13. MONTES, vrbs in Hannonia probè munita & elegans, metropolitica dignitate conspicua.

N.

47. NEAPOLIS, vetusta, præclara, atque lautissima Campaniæ vrbs, ipsi maris littori, & amœnissimorum collium radicibus apposita. Neapolim Strabo, Plinius, Mela, Liuius, Solinus, Antoninus, Tacitus, Silius, Appianus: breuiter, omnes scriptores nominant. Antea tamen Parthenopem appellatam Strabo; Plinius, Solinus, Virgilius; itemque Silius auctores sunt, ab vna Sirenum Parthenope, quæ cum omnes, vti est in fabulis, præ dolore, quod Vlissem eiusque socios cantu decipere haud potuerant, in mare se præcipitassent, hoc in loco sepulta est, vbi deinde Cumani vrbem condiderunt, Parthenopenque ab ea virgine, vel, vt alij dicūt, sorte denominarunt. Indicat id etiam Silius his verbis.

Sirenum dedit vna tuum memorabile nomen,
Parthenope, muris Acheleias, aquore cuius
Regnauere diu cantus, cum dulce per vndas
Exitium miseris. caneret non prospera nautis.

Vrbs hæc Neapolitana, non otij modò & quietis, sed & delitiarū voluptatisq; domiciliū priscis temporibus Romanis semper fuit. Tanta siquidem hoc loci, situs, hortorum, fontiumq; amœnitas; tanta fructuum præstantissimiq; vini vbertas: tanta rerum omniū non solum ad hominum, animaliumq; necessitatem, sed etiam ad voluptates, atq; delitias peroportunè deseruientium affluentia, & copia: tanta, denique placidissimi aëris salubritas vt Tellurem matrem, hunc sibi in mundo locum, delegisse, non immeritò dici queat, in quem omnes naturæ dotes, ineredibili abundantia & amœnitate effunderet. Tanta loci oportunitas, cum olim doctrina claros (quorum in ipsa descriptione meminimus) & natalū splēdore illustres viros, in hanc vrbem inuitauit, tum nostra quoque ætate, Principes summiq; viri non minori frequentia. Neapolim concurrunt, quàm quod Strabo scribit, olim solebāt. Etenim vniuersi ferè regni, quod inter Adriaticum & Tyrrhenum mare, ab amne Truento & Fundis vsque ad fretum Messanę continetur, partem Samnitiū, totam Apuliam, Calabriam, Lucaniam, Campaniamque fœlicem amplectens, Principes & Reguli maiorem anni partem, hac in vrbe exigunt, ædesque splendidissimas fermè omnes habent. Diuorum etiam phana ornatissima, ac splendidissima, arcesq; penè inuictæ hoc conspiciuntur. Inter hæc præcipuum est D. Clarę templum, sacra virginum societate, & clarissimorum hominum sepulturis nobile. Dein est insigne B. Domini ei fanum, vbi simulachrum crucifixi visitur, quod D. Thomā Aquinatē his verbis affatum est; Benè scripsisti de me Thoma. Seruantur in eius sacrario Alfonsi primi Arragoniæ, Hispaniæ, Siciliæ, Neapolisq; Regis: Ferrandi item primi eius filij: Ferrandi secundi; Isabellæ Ducis Mediolanensis: Ferrandi Dauali Marchionis Pischarię belli fulminis, aliorumque multorum Principum, & illustrium hominum ossa. Est & augustissimum, Fratrum montis oliueti, delubrum, modico in templo D. Ioannis in Carbonaria fratrum Eremitarum, magnificentissimum Roberti regis, & Ioannę primæ sororis monumentū, ex marmore candido, cum eorum imaginibus artificiosè factis, supra summā aram conspicitur. Post id, exiguo in sacello, Nicolai Caraccioli, qui magister equitū maximus in regno quondam fuit, sepulchrum item perelegans ex candido marmore, prętereaq; sacellum aliud in propinquo ornatissimum apparet. Paria celebritate sunt hic, templum Cathedrale quod Episcopiū vocant: Item D. Laurentij, fratrumq; minorū, D. Francisci, cum alijs, quæ omnia recensere nimis longum foret. Venerantur hic plurima sanctorum, hominum corpora, præci. puequę D. Aspremi Episcopi, item Agrippini, Eusemij, Athanasij, Scueri, Ioannis, Gaudiosi Episcopi, Ianuarij Antistitis Puteolani, martyrio coronati, Anelli Abbatis, Restitutæ virginis & martyris, Item Candidæ viduę D. Petri discipulæ. Si quis autem claros & eximios homines, qui non modò huic vrbi, sed & orbi vniuersi decori ornamentoq; fuerūt, cognoscere, imperij etiā, gubernationisq; huius Reipub. formā scire desiderat, is Campaniæ descriptionem Leandri Alberti legat, & quò auiditati suę abunde satisfiat, inueniet. Est in hac vrbe Anno salutis, M. D. LI. peraugustę Societati Iesu, ornatū exędificatū collegiū, opera M. Alfonsi Salincrō.

9. NEMAVSVS, vrbs Galliæ Narbonensis perelegans, quàm antiquissima & magnifica veterum ædificia admodum celebrem efficiunt. Eam Ioannes Poldo, vernacula lingua, libro de hac vrbe conscripto, cui ædificiorū ruinas, artificiosè delineatas, coniunxit, copiosa enarratione illustrat.

40. NORDLINGA, Rhetię inferioris oppidum, trito incolarum sermone Nereling, Exteri eam Nordeling, nuncupant; Arę Flauianæ, inde Ptolemæo dicitur, quod circa annum Christi septuagesimū secundū, Flauius Vespasianus Germanos oppugnās, atq; parta victoria triumphans, hoc loco aras extruxit, atque dijs gratias agens, nouum & gentilitium ciuitati nomen imposuit. Nec id Flauio Claudio adscribi potest, qui tricesimus fuit in ordine Cæsarum, atq; circa annum Domini ducentesimum septuagesimum est rerum potitus. Ptolemæus autem longe ante, nempe circa annum Christi centesimum sexagesimum tertium huius nominis mentionem facit, quando Flauiorum Romæ familiæ, ad huc recens erat memoria, & tres Cæsares Vespasianus, Titus, & Domitianus Flauiani fuerint. Quod autem aliqui per Aras Flauianas alia loca, quàm Nerolingam intelligere volunt, cum illis contendere nolumus, hoc tamen certo certius scimus, in tota regione non esse, aut olim fuisse locum aliquem commodiorem, & mansioni humanæ conuenientiorem, quàm Nerolingæ sit area, & circum iacens ager. Situ enim perquàm amœno excellit, fontibus, & ijs, quæ ad hominum victum ex se terra producit, abundat. Sed quia nihil firmum & perpetuum est in terra, omnisque conatus humanus nihil prævalet contra Dei prouidentiam, & quando ille non custodit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam, factum est anno Christi M. C. C. XXXVIII. vt tota ciuitas, cum ingenti ciuium damno, igne conflagrarit, vt non modo ædificia, fortalitia, possessionesque omnes amiserint, verum & diplomata, instrumenta, literas contractuum, regalia, priuilegia, immunitates, iura, & leges. Illico tamen, & eodem anno, succurrente beneficio Clementissimi Imperatoris, Friderici secundi, cæpta est ciuitas reædificari, singularique eius fauore, atque filij eius Conradi Regis & reliquorum successorum beneficentia, liberata fuit aliquandiu, donec respiraret, & ab omni exactione, seruitute, & contributione, & post instaurationem suam, immunitate, & magnis gratijs, & priuilegijs donata. Sed, quia primus restitutæ ciuitatis circus, non multum amplus fuit, nec capax omnium eorum, qui temporis successu vel nati, vel coloniam adepti fuerunt, factum est posterioribus annis, imperante Ludouico tertio, Anno scilicet M. C. C. C. X X V I I. vt omnia suburbia, vna cum oppido ipso in vnam contraherentur circumferentiam, mœnibusque nouis, & amplioribus cingerentur, & ciuitas ipsa, iam duplo maior fieret, quàm antea fuit, omninoque in orbem dispone retur, vt sui similes, non multas, in Germania alias, inuenias. Habuit ab antiquis temporibus patritios, & multos nobiles, atq; diuites familias, insignesque alios ciues, quos & ob egregia ipsorum facinora, domi forisque gesta, Cæsares magnis prosequuti sunt beneficijs, ac gratijs. Quam varias porrò, oppidum hoc Nerolingense calamitates, Bellonę, Vulcaniq; rabiem senserit, VVolfgangus Vogelmannus, copiosè apud Munsterum prosequitur.

31. NORINBERGA, Ptolemęo, Segodunum, præstantissima Germaniæ vrbs, summæq; nobilitatis Respub. non quæ veterum imaginibus constet, quæue maiorum opinione tantum nitatur, aut sanguine propagetur, cui nihil, vel parum cum virtute commune est: verum, quæ propria virtute paratur, & ex proprijs egregijs facinoribus constet. Quæ enim genus, & proauos, & quę non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco. Viget illis Respub. nulli Germanię vniuersæ, confitenda, cuius laudi accedit, quod hæc non sutoribus, quibus vltra crepidā, non licet, consita sit, verùm viris partim, quibus rerum cognitionem experientia, ac longa peregrinatio peperit; partim, qui sese nobilioribus doctrinis, totos destinauerunt, &, qui à primis cunabulis, aut tenerioribus annis, multorum hominum mores viderunt, & vrbes. Illic itaque Senatores administrandæ, conseruandæ, propagandæ Reipub. causa nati, hoc vnum agunt negotium, hoc vnū curant, vt egregiè Reip. consulant, nullis alijs occupati negotijs. Ambiguum esse arbitror, an vrbs Senatui, an Senatus vrbi præponatur. vna illic omnium mens, vnus animus, vna deniq; μοναρχία vidimus ante multos annos, nullas partes aut simultates, inter ciues ac Senatores obortas. Senatus plebi congruit, plebs primatibus cōuenit: & demū res illa non

non aliam habet rationem, nisi, quod vno alteri auscultāte, beatissimam & locupletissimam, ex ciuitate ignobili, erexerunt vrbem, tantis opificibus prædituam, vt quo l multis alijs priuatis vrbibus proprium, cuilibet vni soli concessum est, tantum huic vrbi diuinitus relatum, ac veluti in vnum fascem, complicatum esse videamus. Si verò, quicquid hominum manibus elaboratum, & quod natura homini concessit, inuestigare in animo tibi est, huc cōcede, patebunt tibi ædificia, non tantùm in foro, verùm in modestissimis vicis, ac triuijs vrbis, omnium vrbium Germaniç honestissima, plus tamen in recessu, quàm fronte pollicentia. Nec diuinus illic cultus deficit, tot deiubra, tanta sacerdotum corona, tantas etiam delitias pratum, Hallense dictum, præ se fert, tot consitum tilijs, tot coruscans fontibus, cœlestis loci speciem, de se præbet: illic latam ac diffusam planicię, natura et finxit; graminibus & fluminib. speciosissimis, irriguam. Siphunculi horrent plures, à quibus clara, aquarū multitudo, icatet, quæ à cauato lapide tursus, grato murmure resonāte, suscipitur. Post altissima mœnia, & propugnacula profunda, ac lata fossa, cingitur: turres quinq; & sexaginta, supra trecentas, intra ipsam vrbem colligit, octo & sexaginta moles versatiles, fluuio inhærētes, intra ipsa mœnia habet: plateis exornatur viginti octo, vltra quingentas: Fora decem sunt, quæ nundinis propemodū quotidianis, frequentantur. Est præterea tanta mercatorum stipatio, tantus negotiatorum numerus, quibus India, ac vltima Thule cognita est: tanta etiam opinio rerum familiarum de eis obtinuit, vt, si sapientem virum, siue diuitijs præditum definire voluerimus, de Norinbergensium ordine profectum esse, iudicemus. Horum amplitudinis argumentum, natura loci expressit, quæ vrbi huic sedem perfectionis, hoc est, medium, ac vmbilicum totius Germaniæ tribuit. Non est in tota vrbe, quod contemnas. Ne tamen ab huius vrbis origine recedamus, cætera, quæ requiruntur, annectemus. Vrbs illa, dum Hungari Germaniam inuaserunt, à vicinis condita dicitur, vt Germani, eo loco tuto, ad transuehendas res, vterentur. Alij, dum millesimus supra centesimum, quadragesimus annus agebatur, Ecclesiam ab Henrico Bauarię duce constructam. Norenbergę, in honorem S. Egidij, cum ciuitatis erectione, tradunt, ac opus ciuitatis, anno ab illo decimo, fuisse completum. Tunc autem, vnica tātum arx, muris circundata, fuerfuit, Cunradus Cæsar, sui nominis secundus, anno salutis 911. ad imperium hanc ciuitatem detulisse, fertur. Henricus autem tertius, ipsam graui obsidione angustauit, ac cepit, ab incarnationis sæculo millesimo, ac vigesimo sexto: filius huius Cunradi, dum contra patrem mouerat, Norenbergā penè deleuit. Henricus etiā filius Friderici secundi, nuptias illic celebrauit, qua tempestate, sex ac quinquaginta viri, tres ac viginti mulieres, aqua absorpti sunt. Seditio tantū vna inter ciues oborta, legitur, Caroli quarti Imperatoris æuo. Et tunc in manus patritiorū, omnia ciuitatis iura, peruenerunt. Hæc ferè omnia, ex lib. 3. Exegeseos Germaniæ, Frācisci Irenici, excerpsimus, plura in Norinbergensium chronicis, & Pij secundi Europa, studiosus lector inueniet.

O.

40. OENIPONS, siue Enipontus, vulgò Inspruck Thirolensis comitatus vrbs magnifica, supremo iudicio, & consistorio eius comitatus, & superiorum regionum austriacarum, celeberrima. Præter quam plurimis ornamentis alijs, etiam collegio, Societatis Iesu, decoratur, à Ferdinando Imperatore A. institutum, atque dotatum.

1. OLISIPO, vrbs totius Lusitaniæ primaria, summa loci amœnitate, celeberrimo emporio, peraugustis templis, & magnificis Regum domicilijs, nobilitata. Quæ, cum Rege Alfonso regnante, Anno ipsius Christi natalis M. C. XXXXV I I. Maurorum fauctibus eripe retur, permultis ædificijs, rei sacræ dicatis, deinde exornata fuit. Siquidem, non multis, post expugnationem, diebus, corpus D. Vincentij Leuitæ & martyris, in ipsam vrbem Olisiponem, ex sacro promontorio, vbi diu latuerat, relatū est, & in fornice summi templi, summa cum reuerētia, hodierna die asseruatur. E regione cuius monumenti, Alfonsi quarti regis, sepulchrum extat, eius inquam, qui anno Christi M. C C C. XXXX. Alfonso Castellæ regi suo genero luculentum, contra Alboacem Maurorum potentissimum Regem, subsidium tulit, cruentissimoq; , ad flumen salsum, prælio, aduersum eundem Alboacem præfuit, & glorioso victor, cognomē, Ad salsum victoria, vulgò obtinuit. Ad radicem verò istius summi templi, paulò inferius, occidentem versus, interposita platea, sacellum D. Antonij, quem Paduanum vocant, admirabili structura, & mira elegantia elaboratum, sese nobis offert, olim ipsius D. Antonij parentum habitaculum, in quo quidem ipse natus, educatusque fuit. Ex cuius natalibus, non mediocriter sese, & meritò quidem, Olisipo extollit. Super eius sacelli epistylium, domus ciuica, seu vrbana curia constituta est. Ab hac parte, qua meridiem Olisipo respicit, vetus regia amplissima, magnificoque opere pulcherrima, splendidam eam reddit, quam ad sanctos nuncupant. Nomē inditum loco, quod longo temporis spacio, corpora sanctorum martyrum Verissimi, Maximæ, ac Iuliæ ibi recondita fuerint, donec sub Ioanne Rege, eius nominis secundo, translata alio fuere. In de obliquo aggere, ad vestalium templum, cui D. Mariæ spei nomen est, per cliuum sensim desinentem itur: vnde rursus eadem via ad-

uersum montem conscenditur. cuius in tergo, sacellum D. Rocho nuncupatum conspicitur. Eodem deinceps tractu, in va llem amœnissimā, mœnibus vrbis contiguam, hortisq; vndique consitam, est descensus: quæ à sacello Eremitarum, D. Antonio consecrato, no men olim sumpsit. Nunc verò, ijs exclusis, ab annunciatione angelica deiparæ virgini facta, nomen habet, & à vestalibus, Dominicani instituti, inhabitatur. Mox pari accliuitate collis nascitur densissimo oliueto obsitus, vt non facilè introrsus inspici possit. A superiori vero parte apertus, & sacello D. Annæ, recens dicato, ornatus, quod summa cum religione & reuerentia, magna item populi frequentia, ab omnibus hodie visitur, & colitur. Ab hoc subinde peragrum compascuum, leprosaria, forog; boario interiectis, in aliam vallem, non minus fertilem, iucundāmque peruenitur. Quæ Mauruſia nuncupatur, ex eo, quòd post recuperatam de Saracenis vrbem, eo loci permissi fuit Mauri habitare. Cuius sinistram partem, quæ ad Septentrionem vergit, vbi campi D. Barbaræ incipiūt, angelorum sacellum diuidit. Supra vallem hanc, orientem versus, mons excelsus imminet, recto, difficilique ascensu, à quo Fanum D. Mariæ Montanæ, quod in summo montis culmine situm est, nomen accepit. Ab hoc præterea modico flexu vtcunque directo itinere, ad vrbem reditur, statimque obuium fit templum vetustissimum, Augustinensium monachorum, diuæ Virginigratiarum sacrum, introrsus, eidem vrbis muro adhærens. Ex inde porrò, præteritis ditissimo cœnobio Vincentio, Leuitæ, & martyri dicato, canonicorum D. Augustini, atq; Gymnasio non ita pridem celebri, antequam Rex Ioānes tertius Conimbricā transtulisset, ad ripā illud Tagi decurritur, quæ aquilonare vrbis cornu, ab ea parte efficit. Qua parte amplissimum, nobilissimumq; vestalium D. Claræ cœnobium, ad fluminis crepidinem fermè attingit, indeque auersō itinere, sacelloque D. Virginis Paradisiacæ interiecto, ad primam vrbis portam, quæ Crucis dicitur, iter est. Ab illo autem S. Claræ templo, ad Regiam veterem, quam ad Sanctos antea appellari diximus, rectus margo, secundo mari, ab oriente, æstiuo, incipiens, in meridiemq; excurrens, millia passuum tria fermè efficit. Certam autem huius vrbis formam, descriptionemq; facilè deliniari posse non arbitror, cùm in solo montoso, asperoq; sita sit. Quòd si solum omnibus ex partibus planum esset, à lateri terrestri formam aruis demonstraret. Interioris verò vrbis amplitudo, & magnificentia, tanta est, vt cum cæteris omnibus Europæ vrbibus, & hominum multitudine, & ædificiorum pulchritudine, & varietate meritò contendere possit. Domus & publicæ & priuatæ, adeo magnificè extructæ videntur, vt etiam parietes intrinsecus, fornicesque, ligno farmatico vndique vestiti, vermiculato opere, auro, varijsque coloribus adhibitis, exornentur. In littore fontes quāplurimi, ex diuersis vrbis partibus, per ductus subterraneos oriuntur. Eorum vnum Regium nominant, marmoreis fornicibus ac columnis eximiè cōstructum, sexq; fistulis, tanta aquæ copia profluentem, vt vnus, vniuersæ hominum multitudini pōtum penè suppeditet. Hic autē saporis, & splendoris, & lenitatis præstantia, omnium fontiū, quos vnquam me videre meminerim, aquā, aut æquat, aut superat. Tepidam enim cum effundat, paruoq; ipsa post temporis momento resederit, tum purissima, frigidissimaque, suauissimè bibitur. Duo præterea fontes, haud ita procul, emergunt maximis aquæ scatebris, in mare, breui admodum fluxu, prorūpentes. Quod si longiori distarent à mari interuallo, multæ frumentariæ molæ, tanta aquarum vi, atq; impetu, quouis anni tempore facilè agerentur. Cęterū, lotricibus, alutarijs, fulonicisq; opificibus, plerunque seruiūt. Non multo deinde interiecto spatio, portam crucis versus, fons alius, aut vt verius dicam, stagnum emergit: qui Equorum dicitur, propterea, quod per æneas statuarum equestrium labra, aquam ore affatim vomentium, instar fluuioli, cursum tenet. Sunt denique diuersarū aquarum salientes fontes, puteiq; diuersi, in omni parte vrbis, magnam ciuibus commoditatem afferentes. Porrò, vt antiquam, in summa arce regiā, quę in editiore vrbis parte posita est: (opus ipsam antiquitatem vere repræsentans:) omittamus. Olisipo septem inprimis ingentibus ædificijs, singulari Regum nostrorum consilio, sumptuq; incredibili magnificentissimè exstructis, hoc tempore illustratur. Ea verò, cum in præcedenti descriptione, summātim ac breuiter delibauerimus, nunc à peculiari eorundem enumeratione, supersedendum nobis existimaui. Hoc tamen minimè silentio inuoluendum videtur. Si recto itinere, ab ea domo publica, quæ exterarum gentium, regumq; legatis hospitium præbet, ad littus ire perrexeris, relictis ad dexteram in loco eminentiore cœnobijs Carmelitanorum, Franciscanorum, ac ordinis S. Trinitatis, magnifica, sumptuosissimaq; structura nobilissimis, regiam nouam plateam, anagliptarijs, annularijs, cælatoribus, vascularijs, fabris argentarijs, & ærarijs, aurarijs, item argentarijs q; refertissimum. Præterieris in aliam eodem pariter nomine, nouam mercatorum, continuò flectens ad læuam, deueniens, cæterarum omnium longè latissimam, ædificijsque pulcherrimis, vtrinq; exornatam. Illuc omnibus ferè ex partibus orbis, & gentibus, quotidiè mercatores certatim conueniunt, maximo hominum concursu, atque frequentia, propter cōmerciorum portusq; opportunitatem. Eademque via contra septentrionem progredienti, ad læuam, portorium vetus objicitur: vbi pro mercibus, importatis, publica Regi vectigalia, nuper pendebantur.

E regione huius portorij, forum, quod veteris pali vocatur, apparet, in quo semper non pauci homines, mensis assidentes reperies, quos notarios, vel librarios vocare possimus, nullis tamen ciuitati ministerijs obligatos. Hi oēs ex hoc vitæ genere sibi alimētum suppeditant, quod omnium accedentium, mentesque suas explicantium, sensum assequantur, ordineq; in eodem ipsio loco, subitò scribis, scribant, petentibusq; dato, pro ratione materiæ prerio, tradāt, in tantum, vt literas, epistolasq; amatorias, elogia, orationes, epitaphia, carmina, laudes, parentalia, petitiones syngrapha, & cuiuscunque generis alia, quæ ab eis postulaueris, ad ea habeant dispositum scribendi stylum. Quod nullibi in totius Europæ vrbibus, fieri vidi. vnde Olisiponis magnitudinem, & hominum frequentiam, facile quis iudicabit. Est & in hac vrbe, ad latus, quod orientem hibernum respicit, ad mare Piscarium, atq; cupedinis forum, in quo cetarij, sartores, cupedinarij, lanij, panifices, dulciarij quotidiè gregatim concurrunt, omnia, quæ ad vrbem, vescendi causa afferuntur, vendentes. Præterea propolarum, institorum, cauponum, stabulariorum, linteorumq; tabernæ ibidem instructissimæ visitantur. In hoc verò piscario foro, certa quantitas corbium depolita est, magistratuum edicto, quibus, cymbis piscaterijs appulsis, pisces à mediastinis in forum ad venditrices aduehuntur. Hi quidem corbes, singulis annis, à magistratu, piscatoribus, plus minus duob. millibus ducatorum locantur. Piscario hoc foro, à tergo relicto, mercatoq; panificum, holitorium, fructuum venditorū, aucupūmq; interiecto, nec non macello, domus, quā nostri Septensem nominant, sita est, in qua regij præfecti negotia, ad bellum Africanum spectantia, expediunt. Huic loco, Epilogi instar, nonnihil in laudem Ecclesiasticæ musicæ adijciam, idq; verissimum compertissimumq; inter omnes ciues habetur. Nempè, quod in præcipuis anni festis diebus, ex ipsa vrbe Olisipone, vltra triginta absolutos cantorum choros, ad sacra modulato cantu, in pagis villisq; circumuicinis canenda, vna die cuncti exeant, omnibus vrbis templis, in quibus musica modulatè canitur, ex eo nihil detrimenti, ad suas celebrandas festiuitates capientibus, Societates verò, quas confraternitates vocāt, C. XXXI. sunt, in quarum vsum, ingens à fodalibus quotannis constatur pecunia, quæ in pauperes, & alios vsus necessarios, summo ordine clargitur. Quod autem ad loci situsq; salubritatem, & aeris temperamentum attiner, tanta certè soli, cœliq; clementia, & amœnitas est, vt nullo ferè vnquam anni tempore, nec æstas, nec hyems immodeata sentiatur, quo factum est, vt multi mortales, ex diuersis nationibus, terrisq; remotissimis, cæli puritate perlecti, illuc commigrarint: derelictoq; solo natali, & patriæ cura posthabita, perpetuā ibi sedem, vitæq; domicilium posuerint. Hæc eo prolixius, ex accuratissima Olisiponis descriptione, à Damiano à Goe, Equite Lusitano, singulari libello comprehensa desumpsimus, quo magis desideraremus, vt tantæ vrbis magnificētia, exteris quoq; hominibus, innotesceret. In cuius enarratione nec id silentio inuoluendum erat, Societati Iesu collegium & Professorum domum in ea anno salutis, M. D. LII. assignatum esse.

54. ORMVS, Persiæ oppidum, vnionum gemmarumq; opulentia nobile. Has qui colligunt, vecti cymbis in mare iactum faciunt prægrandis saxi, dependente fune, idque fit ab gemina Cymbæ parte, vt vtrumque iactis in profundum lapidibus, constabiliri nauis, non aliter, quàm si in ancoris foret, possit. Firmata suo pondere cymba, alius, cui id munus obtigit, in æquor iacit funem, saxo dependente. In naui media alijs, mantica in pectus, tergumque dependente, alligato pedibus lapide, se vibrat in pelagus, subtusq; aquas Vrinantium more, natat, actusque in profundum ad passus quindenos, tantisper vrinat, donec legerit conchas, in quibus delitescunt vniones, ac margaritæ collectas, manticæ indit, lapidemque protinus, quo pedes grauabantur, abijcit, funique innixus, in superiora euadit: ibi quandoque ad tercentum ferme, nauigiorum genera, comperiuntur, quæ vndecunq; contendunt. Eius vrbis Sultanus Mahumetis est initiatus fide. Hæc Ludouicus Romanus lib. 3. rerum Persicarum.

22. OSSENBVRGVM, Insigne Saxoniæ oppidum, Caroli Magni clementi, splendore haud exiguo, illustratum.

P.

48. PANHORMVS, feracissimæ Siciliæ vrbs metropolitica dignitate illustris, situ fœcundo excellit, pelagoque Tyrrheno abluitur, muris septa perquam altis, quod opus est Federici Regis. Plures, quibus cæmentitios aggeres latis follis cinctos augmento, ac ciuium securitati addiderunt. Secundum mare arx est, quod Castrum ad mare nominant. Huius Castri quondam Præfectus Hieronymus Fuxa Panhormita, homo patricius, qui dies octo æstiuo tempore sine potu agere potuit. Tres item antiquæ ciuitatis portæ, & veteres muri multis cum turribus lapide quadrato constructi, & nunc manent. Patritillorum vna, vbi lapides literis inscripti, quibus Noe tempore fuisse Panhormum planè constat: Obscura altera nominata. Tertia est, quæ Bosuemis porta ab ijs nuncupatur, ad eam vergens vrbis regionem, quam Brigariam, V ulgariam antiquitus vocant. Supra murum ad occidentem Rogerius comes Tancredi filius, victis Pænis turrim Rubeam, quam vocant, faciendam curauit: Alteram Chirimbrim nomine. Vilielmus Rex, cognomento Malus: Tertiam demum (Turrim Pisanam hanc vocant) qua palatium perfectum, Vilielmus filius, quem Bonum appellarunt. Intus sacellum marmoreum ædificium totum, diuo Petro dicatum, pulcherrimum & religiosum, cuius parietes Porphyrite Barioque marmore, vermiculatis ad hominum, & animalium effigies crustis punctisque aureis vestiti, pauimentumque structum. Ibi subterraneus carcer, quo primariæ nonnullæ mulieres, anno millesimo post Christum ducentesimo, quadragesimo secundo, Mense Martio, quòd plurimi reguli tumultum fecerant, ab Frederico Imperatore coniectæ, nec vnquam deinde visæ, quæ antiquo vulgi prouerbio, Donnæ, quæ malè venerunt, vocatæ sunt. Ducentos post atque nonaginta quinque ferè annos, quum locum fabricandi gratia, homines consoderent, tria earum cadauera, nulla putredine vitiata, integris cum vestibus, fericisque Calanticis inuenta sunt. Templum, quoque ingens Panhormi, exteriores parietes multò pulcherrimi, à Gualterio Archiepiscopo Vilielmi regis affine dedicatum. Ibique quatuor sunt ex Porphyrio marmore sepulchra, opus sanè cunctis spectabile, Siciliæ reges, in quibus sepultos aiunt, quorum medium locum tenet marmoreum quoddam, vbi Constantia regina condita. Sacellum item diuæ Christianæ parietibus marmoreis, atque auratis laquearijs extructum. Ipso in templo, cautum est in statuis, ne priuatorum quisquam sepeliatur. Regibus namque duntaxat, & Episcopis concessum. Prope est ad orientem fermè, celebre Hospitale, nec multum ante Patrum nostrorum memoriam ædificatum. Cuius ministris curandi ægros, atque infantes alendi, quos vel paupertas, vel mulierum verecundia clam exposuerit, maxima cura. Altera parte est locus, quod Toccum appellatur, vbi aut vetere consuetudine, aut regia gratia, aureas coronas reges accipere consuescere, ipsi Panhormitæ euulgant, adducuntq; illos, qui ibi regio diademate donati, Rogerium, vtrumque Vilielmum, Tancredum, Henricum Imperatorem Cæsarem, Fredericum filium, Manfridum, & Petrum Aragonum regem. Insignis erat Panhormi regia ab Andrea Claramonte tempore, quo plures reguli à regia fide defecere, ipsius defectionis autore, extructa (Sterium tum vocarunt) quæ nostra ætate in mercium horreum, Doanam hodie appellant, vbi portitores ad regis vectigalia exigenda disponuntur, mutata est. Curia item est prætoria, vbi duæ statuæ ex marmore antiquissimæ, nec cui quidem dicatæ, fuisse possumus, sunt enim nudæ atque altera manu, mortalium incuria mutilæ. Et propè fanum vetus, sacrum, è marmore, punctisque aureis, licet vetustate deletis, factum. Marturanam Panhormitæ vocant, ibi virgines plures Deo perpetuò dicatæ. Auctæ postea ciuitati, Tancredus primi Vilielmi spurius pomerium protulit. Et Rogerius Comes ædem, quæ diuo Ioanni sacrata est, eorum hospitium, qui Elephantia vitiati, trans Oreti amnis hostium, (flumen Miraglæ Panhormitæ vocant) vbi pons est lapideus insignis, ædificauit. Flumen in Panhormitana valle oritur, inque agro Parco nomine. Ipsa Panhormi vallis, pluribus irrigatur fontibus. Huc vsque Cl. Marij Aretij verba & descriptionem retulimus. Celebrem ac perpetuam nominis gloriam & hinc oppidum hoc Panhormitanum consequitur, quod cum superbum, insolens, ac libidinosum Gallorum præsidium, à Siculis in vniuersa insula delerentur, eius cædis, ac proinde huius quoque prouerbij, quo vesperas Siculas commemoramus, occasio fuerit, cuius rei si quis accuratam historiam quærat, is Thomam Fazellum libro suæ historiæ Siculæ octauo, & nominatim de vesperis Siculis eodem libro capite quarto, legat. Et L. Marineum Siculum libro XI. de Aragoniæ regibus. Panhormitani ciues, Anno Christi M. C. XXXXIX. Ioannis Vagæ Siciliæ Proregis consilio & authoritate, atque adeo, pio, Messanensis Collegij, fructu incitati Collegium Societati Iesu, erexerunt.

48. PARMA, antiquissima Lumbardiæ ciuitas, omnibus omnium sæculorum ætatibus nobilium, & egregiorum ciuium flore, vti nunc quoq, maximo fuit, vetus Romanorū Colonia, quā Leander, varijs aliorum enarratis sententijs, à Thuscisconditam, & à principatu Coloniarum, denominatam, arbitratur. Hæc autem vrbs amne intercurrente, irrigatur, qui ex Appennino supra Beluiderium oriens, inde, interrupta via AEmilia, Parmaque vrbe, à suburbijs diuisa, huc in Padum defluit. Eius ager, vti optimus, rerumque præstantissimarum fœcundus, ita & ipsa Parmensis ciuitas celebres homines, & cum literarum, tum aliarum virtutum armorumque gloria claros abundè tulit: in quo catalogo Cassius Poeta, item Macrobius, qui in Somnium Scipionis à Ciceronedescriptum, elegantissimè commentatus est: præterea que Saturnalia scripsit, quanquam non desint, qui negent eum Parmæ genitum. Iunguntur his Blasius Pelacanus excellens Philosophus, & Astrologus: Albertus Galleottus, Iureconsultus, qui multa literarum monumenta reliquit, nominatimq; Margaritam quæstionum, Bernardus Parmensis, Canonicus in D. Petri Bononiæ, vbi & sepultus, qui apparatum ad Decretales concinnauit: Guilielmus Aremundus, iurisperitissimus, qui circa M. CCC. XXXVI. à C. N. annum floruit, vt Corius auctor est, Iacobus Arenanus, qui in codicem, multaque alia docta scripsit, Ioannes olim Generalis ministeri ordinis Minorum, cum alio item Ioanne, ex sodalitate prædicatorum, ambo summi theologi, vti editis scriptis probauere Gregorius Anselmus, optimus Medicus atque Philosophus, Anthonius Camaldulensis Græcæ Latinæque literaturæ, summè gnarus, cuius rei in Constantiensi Concilio documenta dedit amplissima, Franciscus Marius Grapaldus, qui de partibus ædium Lexicon, item que Syluam collegit: Thadeus Vgalettus, Nicolaus Brucius, qui Bononiam, libro edito, celebrauit. Franciscus Carpesanus, qui peruenustè, nostrorum temporum historiam, cōscripsit. Alia item ingenia summa, hac vrbe orta, nostrum habet sæculum: quæ partim Leander in sua Italia, commemorat, partim etiam a lijs, celebranda relinquimus. Est etiam in hac vrbe præclarum Societatis Iesu Collegium, ab Octauiano Farnerio Parmæ & Placentiæ Duce, inchoatum atque dotatum.

50. PARTHENOPOLIS, vide Magdeburgum.

3. PINCIA, alijs Vallisoletum, Hispanis, lingua vulgari Valladolid, oppidum totius Hispaniæ celeberrimum, Regis Catholici, summorumque hominum illustrissima, & inclyta sedes. Est hic amplissimum Societatis Iesu Collegium, cuius fundamenta iecerunt Petrus Faber, & Antonius Arooz, qui in comitatu Mariæ Ioannis III. Lusitaniæ Regis filiæ, quæ Hispan. Principi nupserat, ex Lusitania in Castellam profecti, Pinciæ commorantes, insigne hoc collegium instituerunt, quod initio quidem tenue, & peranguſtum, ita postea amplificatum est, vt propter eius oppidi magnitudinem ad Collegium etiam Professorum domus addita sit.

8. PICTAVIA, oppidum Episcopale Pictonum in prouincia Burdegalensi, Portiers communi Gallorum lingua.

29. PRAGA, Regni Bohemiæ metropolis, vrbs amplissima, Principum, Regum, ac Præsulum inclyta sedes: Bubienū, & Marobudū, Auentino, Casturgis, Ptolemæo dicitur. De qua in ipso opere plura, quæ verò in eo, ob loci angustiam, omissimus, hæc sunt. Non longè à Cathedrali Prägensi templo, versus orientem solem, situm est Monasterium Deo dicatarum virginum, toto regno vetustissimum. Nam à Duce Vrlatislao, S. Venceslai patre erectum est, Diuo Georgio Sacrum, in quo templo ipse Vrlatislaus, cum matre sua S. Ludmila, & nepote Bohuslao Pio, quiescit. Sacerdos huic cœnobio præfecta, pastorali baculo vtitur, & principis defungitur honore, quin etiam ipsius præsentia requiritur, in coronanda Regina. Est & ab alia arcis huius templi parte, aliquanto remotius monasterium, vulgò Strahovv, alias, mons Syon, dictum, quod iuxta ipsa vrbis mœnia, in admodum arduo colle, Petrzin dicto, ædificatum, sepultura Vladislai primi Bohemiæ Regis, qui ipsum condidit, celebre est, & clarum. Nec silentio prætereundus est Regius hortus amœnissimus, iuxta fossam arcis altissimam situs, varijs arboribus, asti rpibus, non tantum domesticis, sed & peregrinis ex Italia, Hispania, & alijs longinquis regionibus, huc allatis, & plantatis instructissimus, opereque topiario fragrantissimus. Hic videas mala Punica, Citria, Limonia, & Aurantia, non infeliciter prouenire, olera, & herbas exurgere intra laminas ferreas, instar literarum formatas, & apto contextu orationem dominicam ex primentes. In hoc horto aluntur Leones, intra ligneos cancellos inclusi, nec non mirandum ex India animal, quod anteriore parte ceruam, reliquo corpore camelum mentitur, adeo, vt Clariss. D. Andreas Mattheolus græca voce Ελαφοκάμηλον rectè appellari posse, testatur. In penitiore huius viridarij recessu, habetur domus elegantissima saxea, ad refectionem, deambulationem, & omnem prospectum concinnatissima. nam duos habet, ambitus, inferiorem & superiorem, Inferior est porticus, columnis teretibus æquali interstitio circumquaque positis. Superior est subdialis, cuius extremitates sunt continua series lapidum, in quibus variæ imagines, ex veteribus historijs & Poetis artificiosissimè excisæ iucundissimum præbent spectaculum. Ab hoc horto vnius stadij interstitio, extat, viuarium Regium, muris longo circuitu septum, sed non est conferendum ad nouum illud, quod Serenissimus Archidux Ferdinandus quatuor à Pragensi Castro stadijs dissitum, condidit, & spaciosissimo murorum ambitu cinxit, in cuius medullio magnificentissimum, cultissimumque stat palatium, ad figuram stellæ fabricatum, vnde ei nomen datum. Pauimentum habet ex marmore tessellato, nitidissimum, & conclauia multa picturis elegantissimis ornata. Quin etiam & illud, Pragensium ornamentis, ad numerandum est, quod Collegium Societatis Iesu, habeant, institutum Ferdinando Cæsare A. qui pietatis, & eruditionis fructu, ex eiusdem Societatis Collegio Viennensi, promanante, commotus, etiam Pragense instituit, & dotauit, cuius prima initia, & fundamenta iecit, D. Petrus Canisius, Eximius, Societatis Iesu, Theologus. Varios huius vrbis fortunæ conditiones. & casus, quos temporis successu, sub Regibus Principibusque diuersis pertulit, breuitatis causa omitto. Eos Georgius Handschius à Limuso, ex Pragensium Annalibus, ex quibus & hanc descriptionem excerpsimus, admodum diligenter collegit.

Q.

43. QVILOA oppidum Africæ, Lusitaniæ Regi, tributarium.

R.

40. RATISPONA, Clarissima vrbs, ad Danubij ripam in Bauaria sita, à Tyberio Nerone condita, anno, quo Christus Iesus pro salute humani generis passus est. Baiotiæ olim Metropolis. Hanc regionem antiquitus Norici tenuēre. Cuius adhuc portio, trans Danubium sita, Noricum appellant. Noricis autem Baioarios successisse, & cum reperiam vetustissimos codices, hanc Baioariam appellant quam moderni Bauariā dicunt, & à Bois Baioaricū nomen descendisse, persuasum est. Cui Strabo vires adhibet, Romani Baios Gallorum gentes è finibus eiecerunt. Inde migrantes circumiacentes Histro loco, cum Thauriscis habitarunt. Constat igitur, eos in Pannonia consedisse, & inde facile in Noricum continuum regionem migrasse. Quanquam olim deserta, vt Strabo tradit, nunc cultissima est, magnas & ambitiosas ciuitates habens & oppida nobilissima. Ratisbona verò ornatu cæteras excellit. Pontificales vrbes in ea quinque sunt: quarum nunc metropolis est Salcemburga. Ratisbonensis autem episcopatus olim clarissimus fuit. Cui tota Bohemia subiecta erat, hæc vrbs septem nominibus insignita fuit, quibus in suis iuribus & libertatibus claruit. Primo, à sui conditore Tibernia vel Tiburnia dicebatur. Tiberius enim Liuiæ, Augusti vxoris filius, & ipsius Augusti præuignus, quem cum Augustus in filium adoptasset, mox magno exercitu comparato, contra Noricos & Vindelicos misit, qui eos in prælio superauit, & hanc vrbem apud Noricos ædificauit. Secundò, vrbs quadrata, longo tempore dicta, cum ad quadratam figuram & quadratis lapidibus magis, muro circundata fuit, vti in reliquijs veterum murorum, retro S. Paulum cerni potest. Tertiò hyatospolis, vel hyaspolis ob ruditatem populi agrestis, qui ore hiante, vt rurales finitimi faciunt, verba hiantia proferebant: vel, ab hyantium aquarum propè ciuitatem confluxu, cum Danubius, Naba, & Imber & cæteri fluuij, in latere aquilonari confluant. Quartò Germeinsheim, à populo Germaniæ, qui eam frequentare solebant, vel à Germanico, qui ciuitati præfuit. Quinto, Regniopolis, ob frequentes conuentiones principum & regum, vt hodie areæ tutes, ac excelsa ædificia magnatorum ostendunt. Sexto Imbripolis, à fluuio, cum Imber fluuius, septentrionem versus, in Danubium fluit, & vernacula lingua, hoc nomen Regensspurg, adhuc seruat, cum in tali fluxu olim ciuitas incepta fuerit. Septimo, Ratisbona dicitur, cum rates ob mercimonia, & tempore Caroli Magni ad bella ibi confluebant, & tanquam firmiter sita, & ædificijs roborata: hodie Ratisbona appellatur. Basilica decoratur episcopali, summo in honore tandem S. Petro dicata, prius ob fraternitatem canonicorum Ratisponensium, & Remensium Ecclesiæ S. Remigij appellata, opus præclarissimum in vrbe nondum completum, Et cœnobio sancti Emmerammi ordinis sancti Benedicti ampliisimi, Monasteriaque damnarum plura habet, præcipuè superius Monasterium virginis gloriosæ; Inferius, in quo diuus Erhardus episcopus quiescit. Plures etiam domus consecratas, & ecclesias, & proprios sacerdotes. Arnolphus autem Imperator, qui hunc locum præ cæteris imperij locis, summè dilexit, murum ampliauit, & Monasterium sancti Emerammi inclusit, & plurimum adornauit. A cæde enim Nortmannorum rediens in Baioariam, ossa sancti Dionysij Ariopagitæ in fine suæ ætatis cœnobio tradidit, cum libro Euangeliorum ornatissimo, ac literis aureis perscripto, & demum apud eos sepultus. Fuit autem hic S. Dionysius Athenien sium Episcopus qui vna cum Apollophane Sophista, in AEgypto Heliopoli, quando Christus Iesus passus est. solem vidit præter naturam obscuratum, & tetram noctem subito terris obductam, cognouitque mox verum omnium Deum, eodem Sophista respondente, (vt ipse ad Policarpum scribit) rerum has diuinarum vicissitudines esse. Ornatur & Ratispona glorioso martyre S. Emmerammo Episcopo. Et S. VVolfgango, cius loci vndecimo Antistite, qui monasterium S. Pauli construxit. Albertus quoque Magnus omnium doctrinatum peritissimus, apud eos Episcopatum rexit. Hæc ferè omnia Argentinensium Chronica suppeditarunt. Quod si porrò Ratisponensium Archiuis credendum, constat eam vrbem, florente Romano Imperio, populi frequentia potentissimam totius Imperij atque Germaniæ fuisse: Cincta enim erat suburbijs admodum latè patentibus, quæ Perbingam, Pruelam, Pruefeningam, & VVentingam vsque frequentibus ædificijs extendebantur: Alere hæc vrbs potuit vnum & viginti annos supra quingentos, delectorum peditum sex, & equitum millia quinque, quibus ditiones vicinas armorum terrore & defendebat, & in populi Romani officio & obedientia retinebat. Hi quartam legionem Italicam constituerunt. Lapideo denique ponte, decem & quinque arcubus fornicato, vtraque Danubij ripa, hoc loci coniungitur, cuius prima fundamenta Anno CHRISTI M. C. XXXV. posita. Et XI. annorum tempore, ea pulchritudine, & amœnitate, tam vastum opus perfectum fuit, vt vel ea tantum moles, Ratisponam commendabilem reddat. Quod si quempiam ea disputatio iuuet, qua pro-

probabiliter vtranque in partem disputatur,an D. Dionysij Atheniensium Antistitis reliquiæ,in Gallia,secundo lapide à Parisiensium vrbe, an verò Ratisponæ contineantur, is Conradi Peutingeri, Conuiuales de Germania sermones,consulat.

50. RHODVS, Mediterranei maris insulæ & oppidi, validè muniti,nomen,prius,Ophiusa,deinde Stadia,ac demum Telchin, A Enea Syluio afferente, cognominatum: septuaginta in altitudine cubitorum solis Colosso, perpetua est memoria clarum. Quæ quidem incredibilis magnitudinis moles, inter septem stupenda naturę,non immeritò posita,post quin ruigesimũ sextum annum, terræ motu prostrata, etiam iacens, videntibus(Plinio asserente) miraculo fuit: Paucis pollicem eius amplectentibus, maiores erant digiti,quàm pleræque statuæ,vasti specus,defractis membris, hiabant,spectabantque intus magnæ molis saxa, quorum pondere, ingeniosus opifex,id librauerat opus. Sultanus A Egypti cum Rhodum insulam inuasisset,ex arcbuius statuæ,quam confractam offenderat, nongentes camelos onerasse, & in Alexandriam terrestri itinere transmisisse ferrur. Is enim, Anno post natum Christum, 655. Christianis hanc vrbem eripuit. Quam ordinis,religionis,militaęque fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Rhodiorum,modò Melitensium Equitum Societas, A nno salutis 1308. recuperatam restaurauit. Eamque ad Annum Domini 1522. mirificè cultam, retinuit. Quo tempore, sic permittentibus superis, in immanissimam Turcarum potestatem deuenit, cuius etiam nunc tyrannidi paret. Plura de hac vrbe A Eneas Syluius in Europæ describitione. Quim præstans, ac nobilis Rhodiorum Academia fuerit,ad quam non Romani solum, sed sapientissimi etiam Athenienses ingenium,scientiarum splendore exculturi,confluxerunt. D. Iacobus Middendorppius, suis de V niuersitatibus libris, doctè ac copiosè prosequitur.

51. ROMA, Vrbs toto orbe celebranda,rerum domina, in Latio,ad amnem Tyberim sita,à Romulo conditore,nominata.Et vndecimo Ezechię Regis Iuda,anno,intercidente Assyriorum regno,secundo autem, octauæ Olimpiadis,cõdita,perhibetur. Ambitum eius, ex traditionibus Augusti, Plinius scribit,millia passus viginti. Flauius Vopiscus tradit, Aurelium Imperatorem,ambitum vrbis,ad triginta millia passuum amplisse. Quod si vrbem,ad nostræ ætatis consuetudinem,metiri volemus,vix passuum millia quatuordecim,omnis Romæ,& Ianiculæ,siue Transtyberinę regionis, & Vaticani ambitus,implebit. Portas suburbiorum & vrbis, in vniuersum numero XXIIII fuisse, refert Plinius. Liuius tamen, vt passim, in illius Historia,legere est, XXXVII. ponit Portæ autem vrbis, quæ ad præsens extant,hæ sunt Ac primum quidem ab Occidente;Populares. Deinde,per radices collis Hortorum,spatio P.mille Pinciana,prisci,Collatina, dicta. Tum,senis stadijs,abest Salaria,quæ olim Quirinalis, Agonensis, item Collina & Quinquecepis,vt Varro tradit, nominabatur. Exortum solis æstiuum,spectat porta D Agnetis,hæc olim Viminalis,Figulensis etiam, tum & Nomentana,appellabatur.Sequitur D.Laurentij,stadijs XII. à D.Agnetis,olim Tiburtina,& Tautina,dicta.Succedit porta Maior,olim Neuia,dicta.A maiore,stadijs XII.versus hybernum solis exortum, porta D. Ioannis sequitur,olim quidem Cælimontana,dicta.Ab hac,stadijs,V.Gabiusa, quæ nunc clausa est Proxima Latina,in Cæliolo,stadijs,à superiore V. semper id nominis retinuit.Sequitur,spatio paulò amplius, D.P.S. Sebastiani porta,veteres Capenam,Camœniam,& Appiam,dicebant,nec desunt, qui & Triumphalem,denique,& Fontinalem dictam,tradant. Est deinde D. Pauli,spatio ab Appia P.mille,meridiemque similiter, vt & illa, spectat, veteribus, vt quidam existimant, Trigemina,& Ostiensis,vocitata. Transtyberim,intra stadium medium,Ripensis,ad vernum occasum est,olim Portuensis,dicta.Hinc paulo minus,mille P.in Ianiculo D. Pancratij sequitur, antiquis Aurelia. Versus Septentrionem deinde, occurrit, Septimiana, quam aliqui Fontinalem,ab initio dictam,volunt.Succedit porta Turrionis, aliter etiam Fusterula dicta. Sequitur deinde Pertusa, pauloque vlterius,iuxta nobilissimos hortos,ædesq; Beluideri, splendidissimas, Iulia. Postrema hinc,Castello S. Angeli vicina,Castellana,quæ prius Æneia, vocabatur,& hæ nostris temporibus, vltra citraq; Tyberim,vrbis Romæ portæ sunt. Tyberis ripa,octo quondam pontibus,iuncta fuit, quos ita, P. Victor,recenset. Muluius,quem vulgus nunc perperã,Mollem vocat. Ælius, nunc pons Castelli S. Angeli,dicitur. Vaticanus, qui & Triumphalis. Ianiculus,qui hoc tempore Pons Sixtus est, Fabricius, vulgo de quadro Capi, seu Quadricepis. Exquilinus:Item Cestius,nunc S.Bartholomęi,Succedit, deinde Senatorius,& item Palatinus: Iam, O.Matiæ Ægyptiacæ,appellatus. Infra deinde,locus apparet,vbi pons vltimus exstitit, quem tota Scriptorum cohors,Sublicium & Æmilium nominat.Colles septem,citra Tyberim Romæ ab auctoribus describuntur,quorum nomina hæc sunt. Capitolium,Palatinus,Auentinus,Cælius,Exquilinus,Viminalis,& Quirinalis.Trans Tyberim alij duo sunt,Ianiculus,& Vaticanus. Capitolium, ab initio, Saturnij nomen habuit, postea Tarpeium, denique Capitolium vocari,cœpit,humano capite,in Iouis templi fundamentis,reperto. Diuidebatur in partes duas,Arcem,& Capitolium Arcis ornamẽta cunctis Ægyptiorum miraculis,erant anteponenda. Circa Capitolium turres erant, deiubra,similaque loca,numinibus consecrata,plus L X. Mons,nostra ætate,propemodum vacuus,& inanis,vix enim nunc ibi Senatoris, & conseruatorum prætoria,nullius fere momenti,cum Aræ cæli,familiæ Minotum,monasterio,cernuntur. Palatinus mons sequitur,in quo,vt Cornelius Tacitus perhibet,primum, vrbs Roma,ædificata est. Etin eo Reges, deinde Consules, postea Imperatores,maiori ex parte, sedem habuerunt. Qui plurima atque magnifica in eo extruxere ædificia, quæ etsi iniuria temporum penitus sunt collapsa,eorum tamen ruinæ tot tantæque sunt, vt passim ab omnibus, summa cum admiratione,conspiciantur. Habuit is mons Græcostasin, locum, vbi nationum, maxime Græcorum subsisterent legati,qui ad Senatum missi essent:Concordiæ ædem, Senaculum, & ædes Victoriæ, Iunonis hospitæ, Penatium, Orci, Fidei, Apollinis, & plurima alia ædificia, quæ Marcianus in topographia vrbis Romæ, & Leander de eiusdẽ vrbis antiquitatibus studiose describunt. Liuius quoque inquit, Matrem Magnam Deũm,ex Græcia aduectam,in ædem victoriæ,quæ est in Palatio pertulere.Fuit & in Palatio,teste Plinio, Phanum, Febri dicatum, & templum D.Augusti,deinde incendio consumptum. C. Caligula, supertemplum hoc,ponte transmisso,palatium, capitoliumque coniunxit, cuius & reliquias,adhuc conspicere licet.Idem Cæsar Augustus, templum Apollinis,in ea parte excitauit. Addidit porticus, cum bibliotheca Latina & Græca,quo in loco,iam senior, sæpe Senatum habuit. Nunc præter S. Nicolai Ecclesiam,à Calixto Pontifice ædificatam,nullum,is celeberrimus mons, ædificium habet Qualis autem,& quantus olim fuerit,peringentes,ædificiorum ruinæ,indicant. Nunc ad Cælium montem veniamus, in quo Vespasianus,templum D.Claudij ædificauit.fuit & in eo phanum Veneris,& Cupidinis,item Paris, aliorumque deorum ædes, aræ, & templa, quorum omnium ruinæ ita confusæ sunt,vt paucis certum locum assignare liceat. Macellum magnum, Antrum Ciclopis, Lupanaria, cohortes quinque vigilum, Castra peregrina,& Armamentarium. Medio in eius dorso, binæ Aquæductus,superbissimi operis,conspiciuntur. Nunc,Ecclesijs Christianis,mons totus perornatus,conspicitur. Qua ad Palatinum vergit,Mons fœtium D.Gregorij,sustinet,ex ædibus paternis,ab eo constructum. Inde Sanctorum,Ioannis & Pauli,Ecclesia visitur, vbi quondam Curia Hostilia extitit,in qua Tullius Rex Regiam sedem,Liuio afferente,constituit. sequitur hospitale Saluatoris: & Ecclesia,B.Mariæ in Domiuica, alteraque S.Stephani Ecclesia circulari forma,multis per ambitum columnis,adornata,olim Fauno sacrata,vt ex titulo quodam,ibi reperto,omnes consentiunt.Cernitur,ad huius montis finistram,S.Quatuor coronatorum Ecclesia,& S Erasmi monasterium. Proximum,nouũ operis,in monte Cælio,est Xenodochium Lateranense,&in eiusdem montis extremo,Basilica Lateranensis,sic cognominata,quod in Lateranorum nobilissimæ gentis ædibus,ædificata fuerit,ea, sanctissimis apostolorum capitibus, venerabilis, & nobilissima structura,toto orbe celebertima,à Constantino data B.Syluestro,Constantiniana Basilica,appellatur, Pontificum Romanorum primaria sedes. Visitur quoque in monte Cælio,porta maior, Neuia dicta. Et Amphitea trum à Statilio Tauro Augusto,positum, semidirutum. Et alia S.Crucis Basilica,ab Helena Constantini matre, constructa, Eo loco, vbi templa erant Veneris,& Cupidinis,coniunctumque est monasterũ, quod Carthusiensibus nunc incolitur. In Auentino monte, locisque circumiectis,multa cum templa celebria,tum alia,summi splendoris ædificia,fuerunt,vt Dianæ Ara Herculi,ab Euandro,posita,phanum Iunonis, Dianæ, Mineruæ,& Lucinæ. Et in vertice,Lauretum,Ioui sacratum, Et Libertatis ædes. Nunc B.Sabinæ,Bonifacij,& Alexij monasterium habet,alioquin,totus vinetis contectus. Exquilinus mons sequitur,Quem Varro, duasin partes diuidit,nobiliorem esse scribens eam,quæ à foro,postea Traiani vocato,nunc à turre Comitum,ac Militiatum incipit,&per montem Cabalinum,perque Thermas Diocletiani,ad D.Laurentij portam vsque,protenditur. Altera pars,ea loca continet,quæ inter Diocletiani Thermas, & Marij Trophæos interfunt.Et ea celeberrimam Ecclesiam,S.Mariæ Maioris,sustinet. Habuit Exquilinus,olim ædes, cum Deorum, tum hominũ amplissimas & magnificentissimas A turri Militarium ascendendo,ruinę Thermarum Constantini cernuntur,& ingentes feminudorum marmoreæ statuæ. Inde,loco penè contiguo,Caballi marmorei,quibus viri seminudi,lora tenentes,insident,magno artificio facti,quorum alter,Praxitelis,alter Phidię opus,latinis litteris,inscribitur.Inde non longè, sunt Dioletiani,& aliorum clarissimorum virorum Thermæ.Fuit in eodem colle Macellum,vbi nunc Ecclesia S.Viti conspicitur,cui vicinus est Arcus triumphalis Galieni.Plurimæ sunt in hoc monte Ecclesiæ, veterum ædificiorum ruinæ,quæ omnia absq; tædiosa verbositate, referre minimè possemus.Collis Viminalis,Aram Iouis Viminei,quondam habuit templum Syluanũ,Luaacrum Agruppinæ,matris Neronis, Thermas Olimpiadis & Nouati,eo in loco,vbi nunc D.Pudentianæ est templum. Et Bibliotheca Vlpiana,in qua libri lintei,atque elephantini,Principum gesta,& S.C. continentes,seruabantur. Alijs insuper ædificijs, hunc montem exornatum quondam fuisse,ingentes ruinæ, testantur. Mons Quirinalis,longitudine,Viminali est similis, at amplius in latum patet, sunt enim, qui collem illi alium,inter portam Collinam,& Collatinam, adiungunt,vbi characteribus Aegyptijs in scriptus Lunæq; quondam,vt non nulli prodiderũt, dedicatus,iacet obeliscus In valle Quirinali, fuit Fortunæ publicæ,ædes. Paulo altius,Turris Militiarum,in qua Traiani milites olim stationem habuere.Therme Constantini, Domus Corneliorum. Domus Pomponij Attici,fuit in ea Quirinalis parte, quæ ædi tunc D.Vitalis,incumbit.Templũ Quirini: Horti Sallustiani Campus sceleratus,in quo Vestales,incæstæ,viuæ defodiebantur. Habuit & plurimas alias ædes sacras hic mons, sed quo in loco fuerint,non ita exploratum habetur.Postularet nunc ordo,vt vrbis quoque planæ ædificia & celebriora loca diligẽtius perscrutaremur, cæterum, cum ob incredibilem, tam publicarum, quam priuatarum ædificiorum frequentiam, commodè id fieri nequeat, quin in immensum, lectorum etiam tædio,excrescret oratio.Itaque Pub. Victorem sequuti, Laconica breuitate,quæ ab alijs,integris etiam libris,pro rei magnificentia describenda sunt,recensebimus. Aquę,& Aquęductus per varias vrbis regiões XIX. inueniuntur,Thermæ XI. Amphitheta & Theat. III. Curiæ XXXV. vt D. Aug.in Pfal.121. Circi III. Obelisci VII. Arcus marmorei X X X V I. Campi VIII. Fora XI Bibliothecę XXIX. Obelisc. V Viæ XXIX. Capitolia II. Colossi duo. Columnæ cochlides duæ. Macella duo. Ludi IIII. Naumachiæ V. Nymphea XV. Equi magni XXIII. Deaurati LXXX. Eburnei LXXIIII. Aedes CCCXXIIII. Vico magistri D CLXXII. Vici CCCXXIIII. Oratores XXIII. Insulę per totam vrbem numero quadraginta sex millia fecerẽt duæ. Domus M. DCC LXXX. Balnea D. CCC.LVI. Lacus M. CCCLII. Pistrina CC.LIIII. Lupanaria XLV Latrinæ publicæ XLIII. Cohortes prætoriæ decem,Vrbanæ quatuor, Vigilum septẽ, quarum excubitoria XIIII. Vexilla communia,duo. Castra equitum, Salgamariorum, perigrinorum. Quam multis autem,magnificis,ac penè immortalibus ædificijs,multo labore,summa arte, & infinitis impẽdijs, vrbs Romana exornata fuerit, explicari vix poterat. Quæ,tametsi maiore ex parte, iniuria temporum (vt in hominum vita nihil est perpetuum) interiere: reliquiæ tamen, & ruinæ illorũ,quæ hodie extant,adeo sunt immensæ, & mirandũ in modũ se extollunt,vt ab extremis orbis partibus,plurimos ad se visenda iugiter, & alliciant,& attrahant. Qui eas contemplantes, rerum magnitudine, ita obstupescunt, vt ab illorum contemplatione, vel inuiti abscedant, contendantq;,fieri non posse, vt, aut ciuium Romanorum opera, aut Regum potentia, aut vllis principum diuitijs, sed vel gigantum manu, vel diuina potius Virtute,ædificia illa fuerint excitata. Quæ cum Georgius Cassander, Anno salutis M. D. X X X I I I. cum stupore videret, hoc ex tempore carmen iusit.

Qui

Qui miseranda videt, veteris vestigia Romæ,
Ille potest merito dicere, Roma fuit,
At, qui cella nouæ spectat pallatia Romæ,
Hic poterit merito dicere, Roma viget.

Præter alia plurima,religiosorum hominum,amplissima cœnobia,iam hoc tempore habet in vrbe Romana veneranda, nominis Iesu, societas, domum Professorum,ipsius societatis quasi parẽtem,ex qua,velut ex matrice quadam ciuitate,P.Ignatij,primi societatis institutoris opera, & consilio,Colonię sunt, in diuersas mundi nationes, deductæ,& propagatæ. Tum etiam,eiusdem societatis collegium,est Romæ,Francisci Borgiæ,Ducis Gandiæ impensis, primo Anno Domini M.D LI. institutum. Deinde Fij I I I. Pontificis auctoritate & hortatu, à nobilissima D. Victoria Tolfia,Paulo I I I. ex sorore nepte. Anno Salutis M. D.LX. magnificis est amplificatum ædibus.Quinetiam eiusdem societatis alumni, Germanico, in vrbe Collegio Anno Christi.M. D LII præciuntur,à Iulio I I I. Pont. instituto,& postremo à Gregorio XIII.Pont.Max. Anno ab orbe redempto, M.D.LXX.II fundatione.C.adolescentum studiosorum, Germanicæ nationis,adducto,Domum insuper nouitiorum S.Andreæ, in vrbe, eadem IESV societas habet,sub Pio I I I I. liberalitate Illustrissimæ Ducissæ Columnensis dotatam. Et pœnitentiaria domus, S. Petri Romæ à Pio V. Sociorũ est attributa Seminario denique Romano, ex instituto Concilij Tridentini,à Pio I I I I. magnificè dotato, Domini de societate Iesu præficiuntur.

27. ROSTOCHIVM Ducatus Megapolensis, Saxoniæ finitimum, celebreque oppidum, optimarum artium Gymnasio, quondam florentissimum.

30. ROTENBVRGVM: Franconiæ oppidum,ad Tubarum amnem, situm.

9. ROTOMAGVS, Normandiæ Metropolis.

S.

16. SALA Mauritaniæ oppidum, Regum Fessæ sepultura illustre.

31. SALTZBVRGVM vetustissimum Norici oppidum, nunc cultissimæ Bauariæ Metropolis,Iuuauia dicta,à Iuuando,eo,quod sal iuuet. Alijà Iuuaro fluuio,Teuton. die SALTZ,vnde Otto libro quinto cap. 3. Virgilium quendam vocat Episcopum Iuuauiensem. Dicitur & Petreia, à Ptolemæo Gamanodurum nuncupatur.Hanc ciuitatem Iulius, victis Germanis,ac secundum aliquos, arcem ibi, teutonice Helffenburg,condidit. Attila hanc destruxit,verum à Ruberto eorum Episcopo: Anno Domini octuagesimo,supra quingentesimum,instauratа est. Hic Episcopus, quem Pirmacium nos vocamus,tesider,& altare, cuius simile non videri credũt, cernitur. Æneas, Iuuauiistensem,& Arnimensem dici,ait. Metropolicam insignem inter Bauaros,opibus & authoritate memorabilem vrbem,Antoninus Pius,in Itinerario,huius ciuitatis meminit, eam Iuuauiam dicens do,ali etiam hanc vrbem Budacum dictam fuisse,asserunt à Ptolomæo. Hæc Francisci Irenicus,lib.XI.exegeseos Germaniæ.

32. SCAPHVSA oppidum,ad dextrum Rheni latus,iuxta Hercineam syluam,agro admodum fecundo gaudet,excisisque Nigræ Syluæ arboribus,plantatæ sunt in eaum locum vites frugiferæ. Ex solitudine factus est ratadysus amœnus. Siquidem occupat hæc ciuitas, locum omnibus modis commodissimum. Ad meridiem Rhenus incluſus alluit mœnia,& à tergo,versus septentrionem, lenis ascendit mons, qui xstilo tempore virescit hortis & vineis. Est autem vinum loci illius inimgne, quum mons vitifer respiciat meridiem. Loco traiectus naualis, hodie est ligneus pons. Parum infra ciuitatem, Rhenus, variis montium impedimentis incitatus, cum rupibus coartatur, terribili fremitu eluctuat, tandemque ingenti impetu, per præceps, altitudine 40. aut 50. cubitorum, ruit. Habet tamen cataracta illa primum in rupibus gradus quosdam, ac deinde tanta vehementia in imum delabitur, vt tota aquarum moles in spumã & nebulam resoluatur: Ego nunquam sine horrore potui videre stupendam sitam Rheni præcipitationem. Incolæ vocant cataractam illã, den Lauffen,quod significat,cursum. Ibi nullæ possunt descendere naues,aliàs in mille frangeretur partes, nec possunt huius saxi altitudine superare quicunque pisces,etiamsi essent Morli aut Kosmari, qui ad ducis suis naribus, nullam non possunt conscendere petram,hic enim obstat aquæ impetus. Cæterum Rhenus sub oppido Laufenberg, petris arratus, spuma apparet albissima præ fremitu,& collisione.Tandem atrox spumam, amplo gurgite ad Augustam Rauricam deuoluitur. Fuit autem Schaffhausia, tempore Friderici I I. ciuitas imperialis,& deinde sub Ludouico Bauarò, circa Annum Christi,1320. vna cum Rhinfelden, Nevvenburg & Brisaco impignorata Duci Austriæ. Deinde verò,reimpore Concilij Constantiensis,anno sciliicet 1415. Fuit rursum libertati suæ restituta, erepta Friderico Duci Austriæ Postea, eadem ciuitas,imit fœdus cum Heluetijs, ad certos aliquot annos,atque tandem perpetuo fœdere obligauit se illis.Habet quoque ciuitas ita vetustum & opulentum Monasterium, quod olim cõstruxit comes Eberhardus ex Sueuia,appellatumque est ratione naualis tractus,Nauium domus Germanice schiff hausen,id quod expresse in vetusto Codice,à sancto Georgio, Monasterio Nigræ Syluæ, huc Basilæam allato inueni. Fuit autem Monasterium illud magnis instructum impensis,adductæque sunt ingentes columnæ lapideæ,quarum adhuc 12. in templo visuntur,habentes singulæ in longitudine,7. pedes, & in complexu, 5.Consecratit Monasterium illud Papa Leo nonus consanguineus memorati comitis Eberhardi, Anno Christi 1052. Hæc ex Munsteri Cosmographia.

6. S. SEBASTIANI, portu, & tutissima nauium statione, Hispaniæ, in regno Guipazcoa,in ũgne quidum.

37. SEDVNVM. Primarium Valesiæ oppidum, arte & natura munitum, bifido monte ab Oriente ceu propugnaculis defensum,arcibus binis,& cathedrali, Valeria Ecclesia,illustre,incolæ vtriusque linguæ ob Gallicarum & Germanicarum orarum confinia callentissimi. Quam fertilem agrum habeant,dici nequit, Nobilius vinum, & meliorem panem non licet circumqua quæ inuenire. Habet hortos & pomaria, atque prata, valde bona. Apes recondunt apud eos mel in tanta copia,vt per integrum annum illis supperat mel ex aliuearijs Abundat quoque regio illa, præsertim circa Sedunum,valde reciosis cafeis,habent & optimos pisces in Rhodano, maxime truttas easque tanta magnitudine,& pondere,vt ad æquentur interdum triginta libris vulgaribus. Farant quoque multas salitas & exiccatas carnes,præsertim à pinguioribus ouibus,& castratis arietibus. Non fumo indurant carnes, sed salitas exsiccant in aere, & postea reponunt in ttamine. Delectantur huiusmodi carnibus ouillis magis,quàm ijs,quæ fumo macerantur.In præcipitijs verò altissimorum montium,venationem habent copiosam ibicum,capricornorum,murium alpinorum, nobilissimarum auium,puta Phasianorum,Gallorum syluestrium,ramisarum,Perdicum,item Vulturum,Fulicarum,&c. Habent autem omnes alpes communem cum Valesianis hanc venationem ferarum & auium.

48. SENA, Peramœnæ italiæ oppidum elegans,pulcherrimarum vrbium decore præstans,veluti,pernobilibus,magnificisque ædificijs,augustissimo templo,spatiosis ornatisque foris,fontibus,ac hospitali amplissimo(quam misericordiæ domum, non immerito dixeris) in quo præter ædium augustam formam,magnus ordo ægrorum votis seruientium, conspicitur incolæ,Christianę religionis cęremonijs admodum sunt addicti, ciuilitate,comitate,ac moribus elegantissimis mitigines. Christi seruatoris euangelium ciuitati primus tradidit D.Ansanus, tranquilli Romani F.quem ad Arbiam amnem Calẽdarum Decembrium die Lysias Proprætor,ob fidem in Christum, fecuri percussit.Concilium hic generale Nicolaus I I. Pont. Maxi. egit, centum & triginta Episcoporum, quo statutum, quod in Decretis Patrum tertia & vicesima distinctione legitur Pontificis Romani eligendi ius,penes Cardinalium collegium esse tantum oportere Viros illustres Sena,quorum virtute, non solum per italiam omnem, verum etiam alijs orbis partibus inclyta est,&, qui beatorum ordini sunt adscripti,plurimos edidit Pontifices etiam Romanos, Sena dedit Alexandrum I I I. quem sanctitate vitæ,patientiaque singulari Pseudopontifices quatuor,aduersum se à Friderico Ænobarbo suscitatos, glorioſissime superasse,Platina,Blondus,& Sabellicus,tradunt: Præter ea duos Pios, alterum & tertium ex eadem Picolominea familia Horum prior Æneas Syluius ante dictus,vir eloquens & doctus fuit,excellentiq; virtute,viam sibi ad illam dignitatem muniuit, Opera litteraria multa, cum elegantia, tum erudita reliquit, nominatim aliquot epistolarum libros, orationes, opusculum,quamquam imperfectum,quo de Constantini donatione, disputat,cum descriptione Europæ,ac historijs quibusdam. Vitam eius Platina perscripsit,ac item alius auctor quidam,admodum exacte. Posterior Pius,huius nepos fuit, vir doctus ac prudens: fed haud diu in Pontificatu superfuit,magno sui,apud omnes desiderio relicto. Situs vterque est,in sacello D.Andreæ apud D. Petrũ Romę. Cardinales sena plurimos habuit. Præterea tam multos Ecclesiæ Præsules alios videlicet Archiepiscopos,Episcoposque,tam multa deniq; claris illima doctissimaque ingenia,hæc vbs genuit,vt omnes memorare nimis longum foret. Agrum habet bonum, amœnum,fructiferumque,ac frumento,exterisq; frugibus vberem:Qua in mare vergit,maritima regio,dictus vulgo, copiam fromenti maximã præstat,quamquam in frequens colonis,præcipueq; mensibus æstiuis,& autũno,propter cæli vitium,ijs enim temporibus, homines hic frondium prope virentium colore sunt,propter morbos corporum,qui maligno aere generantur.Est in hac vrbe Societati iesu collegium, inchoatum Francisci Mendozæ Cardinalis opera,Anno Salutis,M.D.LV.

56. SEPTA, Vrbs Mauritaniæ maxima, opulentissima, munitissimaque in ora maritima, freti Gaditani,ea propinquitate sita, vt inde amœnius in Granatę oram pateat prospectus, atque hinc animalia dinoscãtur, quod eius interuallî latitudo duodecim tantum sit miliarium. Hæc vbs à Ioanne eius nominis primo,Lusitaniæ Rege,operatque industria filij sui Henrici expugnata,maximam Christianis,& potissimum quidem Lusitaniæ incolis,occasionem dedit armis latius euagandi; Cum enim Heroica Henrici virtus,admodum clara in Septæ expugnatione appareret,hoc institutum,quo Christianorum pomeria latius extenderet, prosequi lõgius voluit. Classes igitur ædificauit,quibus Africæ littora, & eas Mauritaniæ regiones,quæ extra fretum,ad Austrum pertinent,in fetas redderet. Deinde,cupiditate incensus,terras ignotas explorandi,dedit operam, vt ij, quos classibus præficiebat,multo longius progrederentur. Quo studio factum est,vt partim hominum fortium industria,partim variæ tempestatis euentu,non solum bona pars Africæ,quæ ad Æthiopiã pertinebat,verum & insulæ permultæ,in Oceano, sub imperium Lusitaniæ subiungerentur. Quo autem terræ, ad quas nostræ naues appelebant, erant magis longiusque, maioraque in illis monstra vetlari dicebantur, comagis animus principis optimi flagrabat studio remotiora perueſtigandi. Fuit enim Henricus,vir animi maximi, & religionis sanctitate clarissimi. Neque tantum elaborabat,vt nomen iuum clarũ redderet, quàm vt Christi religionem propagaret, ad quod nihil magis vtile putabat, hac nauigatione, vt possent Christi nomen apud barbaras nationes, à situ nostro disiunctissimas,ad omnium salutem prodi. Hæc Hieronymus Osorius Algarbiorum, in Lusitania, Episcopus, lib. primo,de clarissimis Emanuelis Regis factionibus.

32. SOLOTVRVM, Quasi solis turris,Heluetiæ oppidum, mira antiquitate celebre,vbi Sanctus Vrsus de legione I hebæorum,vna cum LX. sociis,quum ex Augauno Valesiæ oppido veniret, sub Cæsare Diocletiano, præsidi autem Hyracо,capite truncatus est, pro Christi nomine. Illi vero, singuli decollati,acceptis capitibus suis,vt Legenda illiorum habet, gestauerunt ea ad spatium centum,aut amplius passuum, vbi & sepulti sunt à fidelibus,in littore Alrolæ præterfluentis fluuij, qui locus postea mœnibus ciuitatis est inclusus,habetque hodie sacellum, quod ad S Petrum vocatur.Producit huius vrbis di.io,sicut & Tygurienium, Curiensium,& Glarenijum terra,arborem Taxum appellatam,quam ob vsurpatum officium,Græca voce,Oplon quoque vocant,quod scilicet,optima sit,pro balistis ligneis & arcubus faciendis,quibus potissimum nostro æuo, Angli vtuntur,& ex Heluetia,in magna copia ad eos deferuntur.Germani hanc arborem(Yben) vocant, estq; abieti, aut potius larici similis, quantum attinet ad virorem,quem hyeme tamen,non vt larix, abijcit. Sed non crescit in tãtam proceritatem,vt abies,quin magis instar piri diffusa in lati. Finditur truncus arboris in plurimos palos, qui deinde adaptantur arcubus. Habet autem arbor sub cortice duplicem regionem:exterior est alba, & interior rubea,nec vna sine altera valet pro arcu faciendo Alba in arcu habet super ficiem conuexam,rubea verò concauam. Quod si ex solo ligno rubeo faceres arcum,ille extensionem ferre nequiret, sed illico frangeretur,sicut è contrà, alba ligni pars, flexuram quidem, quantumlibet magnam,patitur,& impetum iaculo non confert, sed dum cutuatur, prohibet fractionem,& rubeum vim suppeditat excutio teio. Crescit etiam hæc arbor in Austria,Vngaria,& Dania,sed Heluetia dicitur illis præstare, amaturq; ab Anglis.Fert autem arbor ista baccas rubeas, quibus Isthale ineſſe dicitur venenum,præcipue in Hispania. Nutriri dicuntur hoc fructu Feræ syluestres,vnde & Maximilianus Cæsar,ægre tulit huius arboris reſectionem.Fumus eius dicitur necare mures: Munsterus.

34. SPIRA, Ciuitas Episcopalis Germaniæ, ampla, quam Rudigerus tricesimus eiusdem urbis Episcopus, ciuitati additit: alii vero altiorem originem asserunt. Conradus II. Ecclesiam ibi fundauit, & filio suo Henrico, ad perficiendum reliquum opus, reliquit. Est autem hæc ciuitas penè ab omnibus imperatoribus dotata: multi etiam imperatores illic sua ossa condiderunt: veluti Henrici, Conradus, Rudolphus, & alij, quorum memoria in quadam tabula choro infixa, prorogatur, & ab Otione Frisingensi in Chronicis adducitur. Lotharius hanc vrbem obsedit, anno 1126. authore Sigeberto. Ecclesia illic, post mortem Ottonis Episcopi Frisingensis, igne populabatur, vt collegiæ radeuicus, li. 2. ca. 2. de gestis Friderici. Plura præterea, de eius flagratione Æneas Syluius protulit. Conradus II. ecclesiam Guidonis consteruit, prius ad S. Ioannem dictam, & reliquias eius huc traduxit, authore Episcopo eorum Sigibaldo. est & illic Ecclesia S. Germani, cuius canonici olim in Sintzheim VVormatiensis diœcesis residebãt, à Dogoberto constituti, hos Iohannes Episcopus Parensis huc traduxit. Venit tempore Conradi III. S. Bernhardus ad Spirenses, cuius vestigia in Ecclesia adhuc supersunt. Recens autem nomen est Spira, & quod nulli veterum constabat ante Henricorum, & Ottonum tempora. Otto enim Frisingensis lib. 7. cap. 16 & Ligurinus inter antiquissimos referuntur, qui Spiræ mentionem fecerunt: priscorum enim omnes Spirenses. Nemetes dixerant, quemadmodum Cæsar in primo, Cornelius Marcellinus lib. 16. Plinius lib. 4. cap. 17 Ptolemæus lib. 2. cap. 3 Strabo: etiam recentiores, veluti Orosius, Eusebius, Hieronymus distin. 12. epistola 31. Nunc vero Spira, vt Peutinger asserit, à mola nuncupatur, vnde Sebastianus Brant:

Inter Germanos quondam celeberrima Spira,
Quondam hæc a molis, nomen habere studens.

Vnum, quasi inter mundi miracula, recensendum adducere placuit, vt opus in Germania non alibi visum. Oliueti mortem, Christi passionem referentem, quod planè tanto sumptu indigeat, quanto olim aliquod partium oppidum. Huc vsq; Franciscus Irenicus. Est in hac vrbe societatis Iesu Collegium, à Capitulo Canonicorum cathedralis ecclesiæ institutũ, atq; dotatum. Cuius hoc tempore Rector est D. Petrus Agrippinẽsis, scientiarum & literarum nitoribus perpolitus.

40. STRAVBINGA, ad Danubij ripas Bauariæ oppidum.

32. SVITIA, Helueticæ vicus, libertatis amantissimus, ad confœderatam Suitensium societatem, contra effrenatam nobilium insolentiam, Anno Christi M.CCC.XV recipitur.

32. SYLVANIA Helueticæ vicus, eodem cum Suitia anno, ad Helueticum fœdus admittitur.

T.

36. TINGIS, ampla Mauritaniæ ciuitas, ridicula quorundam Historicorum opinione, cõditorem habuit Sedded, Had filium, qui, vt aiunt, totius mundi imperium gerebat. Huic in mentem venisse dicunt, vt vrbẽ exstrueret, quæ pulchritudine cum Paradyso terrestri certare posset: Murisigitur æneis vrbem cinxit, domibus tecta addidit aurea, & argentea, in quorum structuram maxima à totius orbis ciuitatibus tributa exegit. Classici verò Historiographi à Romanis in Oceani littore, ijs temporibus conditam affirmant, quibus & Granatæ regio subacta fuit. Dißat à Freto Herculeo triginta ferè milliaribus, à Fessa autem, centum & quinquaginta.

3. TOLETVM, in medio Lusitaniæ prouinciæ; quod cæteras Hispaniæ regiones vbertate soli, cœli; serenitate superat, in alto atq; aspero loco situm, vrbs admodum est diues, multis & magnis mercatorum commertijs, quæ hinc ad omnes fere populos Hispaniæ deferuntur. Quæ res causa est, vt hæc ciuitas rebus omnibus abundet, quas afferunt multi, qui veniunt, vt res alias venales, ad alios populos deferant. Hac ita per eorum commutatione, continuoq; commertio, res Toleti vilius venduntur, quàm in locis vnde vehuntur. Est autem ciuitas diuisa in regiones tres & viginti. Quas nobilitat & illustrat amplissimum, & pulcherrimum templum. Quod, meo iudicio, sacras omnes ædes, & forma conspicua, & magnis ædificijs, sacerdotumq; ministeriis, & ditissimis ornamẽtis antecedit. in quo templo, fenestræ speculares complures, & imagines pulcherrimæ, variis coloribus admirabiles, & antiquas historias referentes, conspiciuntur. vbi per lucida specula septingenta, quinquaginta, numerauimus. Est præterea templum non solum magnum, pulchrum, splendidum, sed etiam opulentum. In cuius sacellis, quæ capellæ vocantur, & sunt numero plures, altaria sunt ornatissima. Est operæpretium, & res admirabiles videre singulis diebus, & præcipuè festis, huius Ecclesiæ sacerdotes supplicantes, nunc aureis, nunc argenteis, modò sericis, aliquando purpureis, & nonnunquam gemmatis ornamentis & preciosissimis indutos, rem diuinam celebrantes, & horas canonicas concinnentes. Huius Ecclesiæ antistes, in Hispania, secundus est à Rege, non dignitate solum, & authoritate, verumetiam populis, vectigalibus, & potentia. Sub cuius imperio, præter alios minores populos, oppida nobilissima, ac memorabilissima septendecim gubernantur. Ex quibus magnus Ecclesiæ Toletanæ redditus exigitur. Cuius summa est, vt accepimus, anno quolibet ducentorum millium ducatorum. Sunt in hoc sanctissimo templo. portæ, numero sex, tres ad Occidentem, duæ ad Meridiem, & vna ad Septentrionem. Quæ sunt omnes grandes & pulchræ, lamiris æreis adornatæ, multisq; sanctorum simulachris & imaginibus, & antiquis historijs conspicuæ. Sunt & pulpita duo pulcherrima, atque ditissima. Est & altare, in quo D. Ildephonsus celebrauit, acceptis ornamentis ad sacrificandum necessarijs, à virgine Dei genitrice. Sed quid præterea dicã de sacrario, & de magnis diuitijs, & sanctorum reliquijs, quæ in eo sant admirabiles? Quid de sacellis, & altaribus huius templi, quæ capellæ vocantur adornatissimis? De ea præsertim, quam Cabildum vocant, aureo tecto & omni Pontificum, qui hactenus huius Ecclesiæ fuerunt, imaginibus, ornatissimę. Distribuuntur in hac Ecclesia, multæ pauperibus eleemosynæ singulis diebus, & octo minæ cocti panis hominibus probis, & inopia laborantibus, qui mendicare erubescunt. Antistes præterea triginta pauperibus, quotidie largitur alimenta. Qui magnas etiam confert eleemosynas viduatis, pauperibus, & orphanis, virginibus maritandis, cæteris; que multis hominibus, necessitate coactis. Facit & Toletum fœlix ac opulentum Tagus amnis, diues ac amœnus, qui Toletanis pisces optimos propinat, hortos irrigat, materiam multam è nemoribus longè distantibus, euehit. Cuius aqua, quæ per aureas arenas defertur, est valde salubris, & Toletanos hortos irrigans, causa est, vt fructibus & herbis hortensibus tota ciuitas abundet, vtraq; siquidem ripa fluminis, Orientem versus, hortis & arboribus ad passuum millia ferè quinq;, fertilissima est, & ad Occidentem tandem. Ad Meridiem verò, & Septentrionem, præter vineas multas, stetiam amygdalorum & aliarum arborum, quasi nemora incundissima, ferunt Toletanæ ciuitati, tanquam dominæ, multis ac variis rebus, oppida multa, pagorumq; maximus numerus, qui quidem Toletanam hanc vrbẽ diutem faciunt, & omnibus rebus abundantem, &c. Hæc ex Marineo Siculo descripsimus. Multi etiam alij viri doctissimi de huius vrbis magnificentia, eruditissimè scripserunt. Anno salutis M. D. LI. Accersiti sunt domini de societate Iesu ad vrbem Toletanam, atq; in nobilissimam, & amplissimam domum, quam olim Ioannes Siliceus, cius vrbis Episcopus, exædificauerat, & in Clericorum vsum instruxerat, sunt recepti.

19. TRAIECTI nomine, duo oppida vocantur, alterum, Inferius, apud Batauos, alterum, Superius, in Thungris. De illo, hunc in modum Æneas Syluius: Nec desunt, qui Traiectum nobilem vrbem in Hollandia sitam dicant, nobis haud alienum esse videtur, aliquando Phrysiæ Traiectenses, aliquando Hollandiæ traditos esse, vt superregionum terminos dominantium imperia mutant. Nostra quidem ætate, neq; Phrysiæ, neq; Hollandiæ dantur. Principatus Ecclesiæ Traiectensis Imperatori tantum subijcitur, latamq; possidet terram, diuersis Rheni meatibus interclusam, cui ab Orientæ Phrysijs, meridie VVestphali iunguntur. Hollandia Septentrionem excipit, ab Occidente à ducatu Gelriæ, Rheno flumine disiungitur. Imperitissimè vero, ne dicam fabulissimè, nonnulli ætate nostra, Traiectum Gallicæ nationis ciuitatẽ esse dixerunt, cũ de Põtificis ageretur electione. Nã quo pacto Traiectũ Galliæ dabimus, trans duo Rheni brachia sitũ, quãdo & qui eis Rhenũ habitant, Colonienses, Cliuenses q;, cõtiat esse Germanos? Traiectenſium quippe situs, mos, sermoq; germanicus est. Traiectũ diues & populosa ciuitas est. Episcopus vrbis 11. millia pugnatorũ, si quãdo necessitas ingruit, educit ad bellum, forma virisac mulieribus egregia. Ab exterorum incursu, & aquarum inundatione, & propria virtute defenditur. Potus genti cerusia, vinum mercatores afferunt. Hucusque Æneas Sylui verba retulimus.

36 TREVIRIS ad Mosellam flumen, vrbs primaria Galliæ Belgicæ, miram antiquitatem redolens, hoc tempore amplissimo Archiepiscopatui Treuirensi appellationem præbet. Treuirorum ciuitas, authore Cæsare, lõge plurimum totius Galliæ valebat equitatu, magnaq; habebat copias peditum. Pomponius Mela, clarissimos Belgarum tradit esse Treuiros, & horum opulentissimum oppidum, Augusta Treuirorum vocari, cuius & ptolemæus meminit. Cornelius Tacitus, Coloniã Treuirorum subinde nominat. Scribit Cæsar, Treuirorum ciuitatem propter Germaniæ vicinitatem, cottidianis exercitatam bellis, cultu & feritate, non multum Germanis absimilem fuisse, neq; imperata vnquam, nisi exercitu coactam, fecisse. Paulini Treuirensis Metropolitani Galliarum Episcopi, qui contra Arianos egregiè pugnauit: Theodoritus meminit, in Historia tripartita. Hic etiam Athanasius Alexandrinus exulauit. Vbem Treuirorum Ausonius Burdegalensis hoc epigrammate celebrauit.

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,
Treueriaq;, vrbis solium quæ proxima Rheno.
Pacis vt in medio gremio, secura quiescit,
Imperij vires quod alit, quod vestit, & armat:
Lata per extentum procurrunt mœnia collem
Largus tranquillo præbibitur amne Mosella,
Longinqua omnigene vectans commercia terræ.

Literarijs nunc ornamentis hæc vrbs mirificè decoratur, idq; larga Reuerendissimi Treuirensis Archiantistitis D. Ioannis à Petra munificentiã & liberalitate, qui collapsæ propemodum Vniuersitati, Dominos de societate Iesu maxima & studiorum gloria, & iuuentutis Treuericæ vtilitate, & haud pœnitendo deniq; religionis cultu, præfecit. Cuius quidem instituti fructu Reuerendissimus, illustrissimusq; eius Successor, D. Ioannes ab Els, eiusdem vrbis Archiepiscopus incitatus, Collegij fundationem auxit, atque dotauit.

32 TVGIVM Germanicè Zug, Regionis eiusdem nominis, primarium oppidum, Helvetico fœderi, incarnati verbi, anno M.CCC.LII. adfociatũ.

8. TVRO Galliæ Turonensis ciuitas Metropolitica.

32. TIGVRVM, vulgò Zurich, vetustissimum Helvetiæ oppidum, de quo plura Munsterus in sua Cosmographia.

56. TZAFFIN, munitissimum Aphricæ oppidum.

V.

43. VALLISOLETVM, vide Fincia.

41. VENETIÆ vrbs in intimo maris Hadriatici sinu, nostro ævo omniũ celeberrima, opulentissimaq;, cuius tanta magnificentia ac dignitas, vt etiam illi, qui hanc perlustrarũt, admirari eam potius, quam dignis laudum elogijs, celebrare queant. Cui quidem vrbium omnium reginæ ac dominæ, cum id optimo iure ac merito detur, quod Macrobius in libris Saturnaliorum, de Marone his verbis scribit, Eius, inquit, gloria hæc est, vt nullius laudibus crescat, nullius viturperatione minuatur: Cumq; doctissima, eruditissimorum virorum scripta, de amplissima Venetorum Repub. literarum monumentis sint tradita, à longiore eius enarratione nũc abstineo, auidumq; lectorem ad Leandri Italiam ad Egnatium, & ad Danielis Barbari Commentaria, quibus Vitruuij de Architectura libros illustrauit, remitto. Qui hũc in modum de Venetorum vrbe scribit: Erant, inquit, olim in vrbe Romana Theatra, & Circi, & amphitheatra, nunc vrbes ipsę totæ theatra sunt, & circi, & amphitheatra. Videbantur illę moles ingẽtes, quæ niam magnitudo illarum videntibus imminebat. At oppida, & munimenta nostrorum ideo maiora illis, & præstantiora sunt, quia vel animo meruntur, vel ambitu, & circumitione mensurantur. Cæterum, me ab historionibus auocat amplitudo Venetorum naualis, triremium, & nauium apparatus, instrumentorum omnium copia, tormentorum & machinarum multitudo munitionum, & armorum omnis generis thesaurus, infinitorum artificum series, rerum ordo, facilis vsus, promptaq; ad omnes necessitates expeditio. Quæ omnia maritimæ rei præstantiam, & excellentiam illis meritò tradidêre. Nolo autem, quod illius loci admiratione capiamur, propterea, quod res mira omnibus aduenis, & hospitibus videatur, sed propterea, quod illa à re longè admirabiliori originem ducit, quam maximè optare non habentes & summa cura seruare habeates debent. Diuturna, & inuiolata Reip. libertas eam peperit amplitudinem, vtusque rerum maritimarum & præclarę occasiones fecerunt, vt ex copiæ cum ciuitatis

uitatis Genio quasi succrescentes, ad eam dignitatem, & maiestatem pervenerint. Quare constare omnibus illud debet, nulla vi, nulla facultate quippiam breui effici posse, in quo tempus ius suum exercet, vnde non tã magni, & ampli imperij, quàm liberæ & perpetuæ administrationis opus illud sit. Quod si gladiatores & bellus, in arenam, hilarionẽ in schenam, quadrigæ in circos non inducuntur, in Venetorum tamen nauali acquirẽdarum prouinciarum & regionum tutandarum apparatus extruitur, & alijsillis nocendi voluntas cohibetur, & quemadmodum eius vrbis securitatem diuina prouidentia architectata est, vnde nec mœnia, nec propugnacula, nec portas habet, ita, quicquid homines pulchri fecerunt, ab eadẽ prouidentia ducti, fecerunt. Accessit eo charitas, quam ciues erga patriam habuere, cum in ea ornanda, & amplificanda, nulli pericula, nulli vnquã labori pepercerent. Vnde in eo loco, & rerum copia, & ordo mirabilis videtur, vt vno oculi ictu, quicquid ad instruendam iustam classem opus est, facillimè educatur. Vela, remos, funes, anchoras, tormenta, machinas, organaq; omnia, vnico nutu in ædes tutas tritemes impositas videres. Memorabile est, quod Egnatius lib. 6. cap. 5. de magnifico Venetorum templo prodidit: Veneti, inquit, Sebastiani Ciani Ducis auspicio, cũ ex aliis orbis partibus extruendis nouis ædificijs insignes præfectos, tum ex Constantinopolitana vrbe, vnum amplissimis præmijs inuitarãt, qui omnium iudicio, omnibus aliis, ea tempestate, præferebatur, vt aurem D. Marci ædem, omnium quecunq; extarent celebertimam, ab ipsis fundamentis extrueret. Quod cum Græcus homo præstiturum sese polliceretur, ea tamen conditione, vt absoluto ab se opere, ad æternam sui memoriam, pateretur Dux ipse senatusq; in oculatissima templi parte, statuam marmoream sibi ponenon dubitauit Cianus Dux ipse, & patres id pro certo polliceri. Inchoto igitur ab eo opere, quum iam præcipuam templi partem absoluisset, quã Dux & reliqui Patres adessent, animia quadam ingenij leuitate, elabi ibi ex ore passus est, se quidem multo celebrius templum ipsum fuisse extructurum, nisi inter ipsum opus occurrissent plura, quæ illum prudentiorem fecissent. Ad quem subridens Dux, Nec nos, inquit, contra, omnia quæ de statua petieras, integra tibi dabimus. Quare illi in uestibuli fronte marmoream statuam collocarunt, manu ad os obiecta, quasi illum, dicti sui pœniteret. Illud interim, hoc in loco, præterire minimè possum, templi ipsius apparatum tantum, talemque hodie extare, vt nemo sit, qui quum omnia diligentius perlustrarit, non fateatur omnibus antiquissimis operibus & recentioribus, cum ipsa Tarpeia arce esse anteferendum. Quod etsi parergon videri multis possit, non dubitem tamen plures fore, quibus quam gratissima templi ipsius sit futura explicatio. Est igitur templi ipsum, non tam magnitudine & vastitate sua, vt pleraq; alia, quàm ornatu insigne, & inprimis augustum. Quod si primum ingrediare, crucis figuram præferre videatur: cuius anguli in altissimas consurgunt testudines. Quarum fastigia, vt reliqua templi facies, plumbeis regulis operta, ad centũ viginti stadia, ex alto ad vrbem naiigantibus inter eminentissima vrbis ædificia occurrunt. Superbissimi ad id fornices, mira inter se arte coeuntes, totã molem fulciunt. Illud non possum non vehementer admirari, vnde tanta vis auri Venetis ipsis affluerit, quod tanto operi impenderent. Nam quicquid operis est, à media templi parte purissimo fulget auro, quod mussino opere, ita variatum est, vt quocunq; oculos vertas, insigne inprimis occurrat. Recedunt tantum in ipso testudinum connexu Græcanici operis vetustissimæ imagines, mœsta quadam venerabiliq; præsentia, horrorem cum religione mixtum, spectantium animis inferentes. Quod ſi ad alias spectandas templi partes animum conuertas, marmoreæ vndiq; tabulæ, ad pauimentum vsq; ipsum, varij marmoris occurrent. Quę tanto artificio sunt sibi adinuicem compositæ, vt eędem inter se similes videri possint. Sedilia quoq; ipsa circum ædem marmorea ita distincta, vt defatigato tibi iam cũcta perlustranti, quietem & ocium parent. Hic tibi pauimentum liceat intueri, vermiculato opere, marmoreis frustis ita distinctum, vt tantum exstruendi templi studium, in eo ædificando meritò tulas. Columnæ verò complures Parij lapidis, vel Tapici, aut Numidici sibi interim affulgant iure optimo admirabiles, cum duplici suggestu marmoreo, vnde sacerdotes sæpe emineant. Sic enim cautum publico decreto fuerat, vt quicquid egregijoperis Veneti ipsi nauigantes, quocunque terrarum ambirent, non dubitarent idipsum Venetias deferre, ad æternam templi aurei memoriam, vtq; nulli impensæ omnino parcerent. Quod si ex templo egrediare, vestibulum ipsum subeas, quis per immortalem Deum, stupor non te inuadat? Cuius aurei fornices trecentis & amplius fulciuntur columnis, non magnitudine sua magis, quàm colorum varietate conspicuis: inter columna, & quicquid in area ipsa operis est, cum ipso pauimento marmoreis tabulis pro tectorio reniter. Quod si superiorem vestibuli partem, ex area ipsa cõspiceas, cese tibi equi quatuor ænei, diuersio situ, varioque occurrunt: qui veteris operis insignia planè referẽtes, studium insigne ciuitatis ipsius ſe. cum præ se ferant. His operosum templi superciliũ incubat, fenis sese pinnaculis explicans: quorum singula, in tabernaculi speciem surrecta, singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genij: aliaq; verò splendidissimi aspectus simulachra, suo quæque statu operibus inferra, miro quodam modo, ipsam primarum exornant intercapedinem. Idem opus excellentissimum, eandemq; speciosissimam materiam, tam dextrum, quàm lxuum latus habet.

41. VIENNA, Pannoniæ, nunc Austriæ caput, atq; illustrissimorũ Principum & Archiducum Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniæ, Croatiæ inuictissima & inclyta sedes. Ferdinandus Rom. Rex, vt Viennensis Academiæ studia repararet, atque harreticorum passim grassantium furorem compesceret, Collegiũ societati Iesu ibidem erexit, atq; dotauit, cuius reddirus deinde Maximilianus Cæsar adauxit. Eius vrbis Topographiã D. VVolfgangi Larijapud Munsterum inuenies, qui deinde omnium accuratissimè eandem libris quatuor descripsit. Panegiricum etiam, siue encomiũ Viennæ à Ioanne Boëmo conscriptum extat.

31. VLMA, Clarissima Sueuiæ vrbs, ad Danubij ripas sita. Inter eas vrbes, quas villas Imperij nuncupant, non infimum dignitatis locum obtinet.

32. VRSELLA Confœderatæ Helueticorum societatis, liber ac conditionis vicus.

32. VRSINA, vulgò Berna, elegans Helueticæ oppidum, ad Aroleamnem à Bertholdo Zeringensium Duce, ob commodam loci opportunitatem cõ structum, atque ex venatione hoc nominis ferens. Cum enim is, sese oblectaret venando, secreationis sue socijs dixit: Cuiuscunque quam extruere in hoc oportuno loco deliberauimus, nominari volumus vocabulo bestiæ, quæ nobis primum occurrerit, & capta fuerit. Ceperunt autem vrsum, quem Germani Beren vocant. Cumq; in eo loco, vt diximus, plurimæ crescerent quercus, vbi ciuitas erat construenda, omnes ferè arbores illæ fuerunt pro domorum structura, insumptæ. Vnde & operarij vulgò dicebant, quum refecarent arbores: Holtz laiis dich hauwen gern, die Statt mußheiſſen Bern: Cuius rythmi hic est sensus: Arbores finite, vt fecemini liberter. Quoniam ciuitas ista vocabitur Bern.

31. VVEIMARIA M Thuringiæ oppidum, situs loci amœnus, & castrum Saxoniæ Ducibus sedem, ac domicilium præbens, nobilitat.

22. VVESALIA inferior, vrbs murorum ambitu, Rheni propinquitate, & Collegiata Ecclesia præstans, cuius fundationem peruetusta quædam scripta in annum Domini octingentesimum, tricesimumoctauum, his verbis reijciunt. Luthardus filius Euerhardi Comitis Cliuensium erexit, instruxitq; duo collegiata templa. Alterum in VVesel, sub ditione Cliuensium in inferiore Germania. Alterum Nouesij Canonicorum & virginum: Quæ ciuitas tunc temporis Cliuensium Comitibus parebat,

27. VVISMARIA Ducatus Megapolensis oppidum.

27. VVITTEBERGA, oppidum Saxoniæ.

34. VVORMATIA M, Vangionum Metropolim ad Rhenum sitam, quõdam Borbetomagum appellatam, corruptè verò Vormatiam hodie dici constat, B. littera in V. mutata, quasi dicas Vormagium. De ea ita Munsterus scribit. Peruetusta vrbs VVormatiensis, sita ad Rhenum in loco amœno, haber in orbem fundum nobilem, qui & generosum producit vinum, atque frumenti copiam, habet circum circa plus minus ducenta oppida, & villas, quorum incolæ quotidiè forum frequentãt VVormaciense, esculenta inferentes: Et qui ante Solis occasum domum redire queant. Populi, qui olim per circuitum huius vrbis ad duo, vel tria miliaria, versus pagum Alczheimensem habitauerunt, dicti fuerunt Vangiones, suitq; VVormatia Metropolis eorum, magni nominis, tam apud Romanos, quàm apud Francorum prisCos Reges, atque apud Successores eorum Germanorum. Cæsares, qui & multa ibi celebrauerunt comitia, consilia, nuptias, autalios habuerunt solennes conuentus, in quibus de magnis tractarunt rebus, id quod huius vrbis testantur Annales.

FINIS.

COLONIAE PROSTANT

APVD AVCTORES, ET, ANVERPIAE

APVD PHILIPPVM GALLAEVM.

RELIGIO
POLITIA.
CYBELE, SIVE VESTA.
DE PRAECIPVIS, TOTIVS VNIVERSI VRBIBVS, LIBER SECVNDVS.
VRBIS CONDENDAE, SIVE COLONIAE DVCENDAE RITVS
PENATES.
LARES.

S. CAESAREAE MAIESTATIS PRIVILEGIVM.

MAXIMILIANVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boiemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtenbergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus, tenore præsentium, vniuersis. Rempublicam benè & rectè constitutam, non tam armis, mœnijs, & propugnaculis, quàm litterarum studijs, & viris rebus agendis aptis & idoneis munitam esse decet. Animaduertentes autem & conseruandas & propagandas bonas artes, ac seminarium quasi virtutis constituendum & retinendum, operas typographicas plurimum adiumenti conferre: Ideo non eos solùm, qui Rei publicæ domi aut foris prodesse, vel hostium iniurijs propulsandis, vel pro Tribunali Ius, & iustitiam administrando, quietem & tranquillitatem publicam tueri solent; sed etiam in primis existimamus fouendos, qui rei litterariæ curam suscipientes, non de nostra solùm ætate, sed de posteris etiam benè mereri nituntur.

Cùm igitur nobis expositum sit, nostri & Sacri Imperij fideles dilectos, M. Georgium Bruin, M. Franciscum Hogenbergium, nec non M. Simonem vanden Noeuel, non sine multo laborum tædio, & graui sumptu, Ciuitates Orbis Terrarum, accuratissimè delineatas, ac alia, quæ ad earum originem & historiam spectarent, summa diligentia collegisse, atque constituisse illas Ciuitatum delineationes, cum historica enarratione, ad communem rei litterariæ vtilitatem in Publicum edere, deterreri autem sinistris æmulorum artibus, qui falcem in messem alienam inijcientes, ex aliorum laboribus, priuata commoda venari soleant, nobisq; proinde humiliter supplicatum sit, vt pro nostra, in litterarum studia & Musarum alumnos, affectione, ipsis clementer subuenire, Cæsareaq; auctoritate nostra, nimiam æmulorum licentiam benignè coërcere dignaremur. Quibus quidem precibus gratiosè admissis, præsentium vigore, scienter, animoque benè deliberato, & Cæsarea auctoritate nostra seriò decernimus & statuimus, quod nemo pictorum, cælatorum, typographorum, bibliopolarum, & aliorum, qui vendendis, vel imprimendis libris, seu quacunque alia ratione librariam negotiationem exercent, æmulisq; opus illud imitaturis, pingendis, sculpendisue, aut alio quouis modo exornandis, atque illústrandis imaginibus & tabulis vsui vel auxilio esse possunt, memoratam M. Georgij Bruin, M. Franciſci Hogenbergii, M. Simonis vanden Noeuel Ciuitatum Orbis Terrarum descriptionem, delineationibus, & historica enarratione illustratam, intra decennium ab editionis absolutæ die numerandum, coniunctim vel diuisim, ipsis inscijs aut inuitis, nec typis, nec sculptura, seu quocumque alio modo, aut charactere, æmulari, aut imitari, vel aliunde allatum, intra Sacri Romani Imperij fines vēdere, ac distrahere publicè, vel occultè possit aut debeat. Si quis autem præsens edictum nostrum transgredi aut violare, memoratumq; opus recudere, & in fraudem auctorum spargere conatus fuerit, eum non solùm huiusmodi libris, tanquam commissis & prædictis M. Georgio Bruin, Francisco Hogenbergio ac Simoni vanden Nouel, vel hæredibus, aut mandatum habentibus, auxilio Magistratus eius loci, vbi deprehensi fuerint, vendicandis priuari, sed insuper etiam pœna decem Marcarum auri puri fisco nostro Imperiali, fraudis vindici, & parti læsæ ex æquo soluenda & numeranda mulctari volumus. Mandantes vniuersis & singulis nostris & Sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus cuiuscunque status, gradus, ordinis & conditionis exstiterint, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo, vel superiorum suorum loco & nomine, Iuris & Iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium, seu interdictum nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur. Sed, si quos contumaces compererint, præscripta pœna plecti, & quibuscunque rectè fieri potest, modis coërceri curent, quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus litteris, manu propria subscriptis, & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die vigesima octaua mēsis Augusti, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo secundo, Regnorum nostrorum, Romani, decimo, Hungarici, nono, Boiemici verò vigesimo quarto.

Maximilianus.

V. Io. Bap. VVeber. &c.

Ad mandatum Sac. Cæs.
Maiestatis proprium

Obernburger.

TENOR PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

AVCTORITATE Philippi, Hispaniarum Regis cautum est, ne quis præter Franciſci Hogenbergij voluntatem, hos, de præcipuis, totius Vniuersi, ciuitatibus libros, Auctore Georgio Bruin Agrippinate conscriptos, coniunctim vel diuisim, sculptura, charactere, aut quocunque modo intra decennium, imitetur, depingat, aut imprimat, vel alibi, quocunque modo excusos, aut depictos, in aliquo Brabantiæ, vel Transmosanarum ditionum loco, per se, vel per alios, clam vel apertè distrahat. Sub pœna, in diplomate contenta. Datum Bruxellæ. XXII. Nouemb. M. D. LXXIIII.

Ex consilio.

I. De VVitte.

IMPERATORI CAESARI MAXIMILIANO II. P. F. AVGVSTO, INVICTISSIMO,

ET REVERENDISS. ILLVSTRISSIMISQVE SACRI ROM. IMPERII SEPTEMVIRIS PRINCIPIBVS ELECTORIB. DANIELI MOGVNTINAE, IACOBO TREVIRENSIS, SALENTINO COLONIENSIS, ECCLESIAE ARCHIEPISCOPIS: FRIDERICO COMITI RHENI PALATINO: AVGVSTO SAXONIAE DVCI: IOANNI GEORG. MARCHIONI BRANDEBVRGENSI: MAXIMILIANO BOHEMIAE REGI, CLEMENTISSIMIS GRATIOSISSIMISQVE PRINCIPIBVS,

GEORGIVS BRVIN, SIMON NOVELLANVS, FRANCISCVS HOGENBERGIVS DED. CONSECRANTQ.

GEORGIVS BRVIN, AGRIP-
PINAS, CANDIDO LECTORI
S. D.

EXHIBEMVS NVNC, Candide lector, alterum, de præcipuis totius vniuersi vrbibus, tomum, quem hoc potissimum nomine, tibi gratum fore, speramus, quia prioris omnia exemplaria distracta sint, atque diuendita. Quemadmodum igitur in priore, de ciuilis societatis origine, de progressu & incremẽto vrbium, paucula quædam præmisimus: Ita in hoc secundo, antè, quàm, ad ipsas vrbium, oppidorumq; descriptiones descendemus, paucula quædam, eadem de re, delibando, primam operis faciem, quæ inscriptionem continet, pro ingenij nostri tenuitate explicabimus: ita tamen, vt cum Repub. vrbem commisceamus, & quidnam vrbem iam excitatam, atq; instituta multorum collectione ac legum vigore, Rempub. potissimum conseruet, & mutuæ amicitiæ ac confœderationis vinculo, coniungat; tum, quidnam tranquillum Reipub. statum labefactare, atque conuellere, videatur. Illud itaque nemini dubium esse potest, præcipuam voluntatem, primamque rationem eorum, qui ciuilem societatem, & aliquam ciuitatis formam, instituerunt, eam fuisse, vt tutè degerent, & à vi hostium, ac ferarum bestiarum impetu munirentur. Initio etenim, cum Deus communem omnibus terram, & quicquid in ea gignitur, dedisset, quò communem degerent vitam, ne vlli deesset, quod omnibus nascebatur, nullo tunc priuatarum rerum, aut sedium amore, homines capiebantur. Quippe, cum nemo fruges, vt sibi tantum natas, recluderet, nemo possessionibus incubaret absconditis, proindeque nec auaritia, nec habendi cupiditas, intercipiens beneficia diuina, famem, sitimque vulgò faceret, sed omnes æqualiter abundarent, nullusque egenus inueniretur, aut miser; dissensiones & inimicitiæ hominibus essent incognitæ; nec vllus omninò gladiorum, qui nudarentur, aut armorum esset vsus; nec quisquam aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius, cum nemo quicquam concupisceret, cogitaret. Qui quidem pius, optimusque aurei, iustique sæculi status fuit. Intercedente verò deinde sensim communitate viuendi, reique priuatæ, succedente amore, inuenti sunt aliqui, qui sola suadente inuidia, humanitatis, liberalitatisque beneficia respuentes, nullos, ad proprij laboris communionem admitterent. Atque dum hinc priuatè viuendi desiderium, videatur exortum, vir ac fœmina, domum, rudi materia, primùm cœperunt construere, quos, cùm crescente deinde filiorum ac cognatorum numero, vna domus non facilè caperet, alia priori adijceretur, & societatem ex pluribus tugoriolis constituere fuit necesse. Qui cum deinde aliquam, humanæ societatis vtilitatem, perciperent, multoque facilius societatem multorum, quàm paucos, sibi victum comparare, viderent, familias familijs, domui domum adijcere, eaque ratione excitare pagos, & de communi societate viuendi, cogitare cœperunt. In qua, dum nihil commune omnibus, sed suis quisque commoditatibus, reique priuatæ, atque domesticæ studeret, patrimonia liberis ampla parare laborarent, vt perpetuò nihil ipsis, posterisq; deesse queat. Id, meum, & tuum, nasci, hoc est, dissidia & contentiones oriri cœperunt. Inuenti sunt aliqui, qui id, quod alij sibi, charisq; pignoribus collegerant, per vim nefariè auferrent, qui alienæ felicitati, possessionibus ac vitæ insidiarentur. Itaque, tutioris vitæ gratia, locis editis fossam ducere, & vallo circundare non dubitarunt, in quibus præsidij causa, quadam coniunctione casarum indigerent. Castrum inde dici cœpit, locus nimirum, muro ac fossa circundatus. Qui cum castellanorum numero aucto, domicilia, tectaque omnibus subministrare non posset, commoda castrorum vtilitate commoti, eadem de causa, oppida condere cœperunt. Id, quod nominum appellatio apertè confirmat. Nam oppidum dici, Varro testis est, quod munitur oppis causa: siue etiam ab opponendo, quia eius præsidio se incolæ hostibus opponant. Sic etiam Mœniia, quod

Vrbiũ oppidorumque condendorum ratio.

Pagus.

Castrum.

Oppidum.

nia, quòd oppidum, munitionem, aut castrum muniant, & Murus, à munitione. Quibus ex rebus constat, primam rationem eorum, qui oppidorum ac vrbium institutionem inuenerunt, fuisse, vt tutè degerent, & à vi ac impetu munirentur. Tranquillitas nanque vitæ dux illius extitit, ad innumerabiles commoditates excogitandas. At verò, quia complures, tutioris vitæ amore, in eiusce modi multorum, vnà degentium, cœtum, cõirent, frequentiores plurium societates, à coëundo, Ciceroni, ciuitates sunt dictæ, quod amabili societatis vinculo, in vnum coëunt cœtum, qui maiorem oppido, multitudinem contineat. Peculiares verò in vrbibus condendis, siue etiam colonijs deducendis ritus, numinumq; propitiationes veteres obseruârunt: Si etenim Ouidio in 4. Fastorum, Plutarcho in Romuli vita, Varroni, lib. de lingua latina, Catoni in originum libris, Alexandro Sardo de moribus Gentium lib. 2. Et Antiquorum nomis, quibus non minus, quàm eruditorum scriptis hac in re debetur, credimus: Oppida & vrbes condebantur, Coloniæ item deducebantur in Latio ritu hetrusco, religionis causa, apto & auspicato die, ac loco fatali, erecto nimirũ vexillo, æneo vomere, Thusco, vt ait Carminius, more, sulco, qui dicitur primigenius, mœniorum loca designabant, sexu dispare bobus, tauro dextera, vacca sinistra iunctis, stiua incurua, vt intra caderent glebæ. (Nam qui aratri sequebantur ductorem, ijs id dabatur negotij, vt quas aratrum susciteret glebas, in interiorem partem diuerterent, nec vllam delapsam extra esse paterentur) incinctu ipsi Sabino, togæ scilicet parte caput velati, parte succincta: Vbi portæ futuræ, suspendebant aratrum, & intus aris constructis, sacrificia faciebant dijs immortalibus. Hinc Varro, ait vrbem dici, quod aratro præfinita esset. Et Pomponius Iureconsultus peregregius vrbem dictã asserit, quod vrbare, aratro definire sit, vrbum, optimum vetustissimorum verborum indagatorm præterea dixisse ait, curuaturam aratri appellari, quod in vrbe condenda adhiberetur. Terram, quam aratro excluserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum. Spatium verò, quod post murum intus manebat, detractis per syncopen litteris, pomœrium, quasi post murum locus, quem neque habitari, neque arari fas erat. Quoniam verò locum portis aptatum, aratrum attollentes, educto vomere, intactũ relinquebant, murus totus, exceptis portis, sacer putabatur, portas aũt sacras putantes, res necessarias, nisi antè expiatæ, importare aut exportare religione impediebãtur. Quocirca fuêre Grammatici veteres, qui arbitrati sunt portam dici, non ab importando, exportandoque, quæ vsui essent, sed à portando aratro, quando ex sacrorum ritu eo loci eleuaretur, ne in portæ limine fossa fieret. In portis verò quondam Mineruam, in suburbijs Martem depingebant, quod intus prudentia, foris armis imperia conseruarentur. Neque verò in vrbibus tantum condendis, tanta diligentia veteres sunt vsi, sed dum castra statiua militum eligerent, factis sacrificijs, diligentissimè bidentium exta rimabantur, & si iecinora liuida, aut vitiosa inueniebant, quoniam id aquæ vitio fieri arbitrabantur, locum quamprimum mutabant. Sed nunc ad vrbium conditores redeamus. Quemadmodum certas numinum propitiationes in cõdenda vrbe, scriptorum turba obseruatas affirmat, ita pari superstitionũ vanitate, Penates, priuatis incolarum ædibus, quibus vrbs constat, præfectos, eosq; vrbanos ac patrios, nũcupatos esse tradidit. De quibus Cicero lib. 2. de natura Deorum scribit. Penates Dij, siue à penu deducto nomine, est enim omne, quo vescuntur homines, penus, siue ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam penetrales dij, à Poëtis vocantur. Hinc & Festus ait, Penetralia esse Penatium Deorum sacra. Macrobius Penates sic dictos arbitratus est, quod per eos penitus spiremus, per quos & corpus habeamus, & rationem animi possideamus. Seruius Grammaticus, Penates, inquit, omnes Deos esse, qui domi coluntur, vnde & pro domibus ipsis sæpè ponuntur. De figura verò ac forma eorum, scribit Gyraldus Syntagmate XV. Dionysium non procul à foro Romano in templo obscuro ac humili, duas duorum Troianorum imagines vidisse, duorum iuuenum sedentium, habentiumq; pila in manibus, vetera eius artis opera, quibus esset inscriptio, D. PENATES. Timeus quidam Historicus, asserit eos lituos ferreos, & æreos & Troianum vas quoddam fictile fuisse, eaq; in occultis & reconditis Laudni iacuisse sacra. Ne quid porrò ædium in ciuitatibus deesset custodiæ, præter Penates, etiam Lares ijsdem antiquitas curiosa præfecit. Quos

Vrbis condendæ, siue coloniæ, deducendę ritus.

Penates.

Lares.

domicolas nominat Seruius,eosque vetustas pellibus vestiuit caninis, quòd hoc animal,natura duce,domorum custodiæ inuigilet. Quoniam verò,curiosa, doctaque antiquitas, sibi minimè persuadere potuit,aut fortasse,plebeculæ,in officio conseruandæ gratia, noluit, tantum ciuilis Societatis bonum,nimirum turres, oppida vrbes, præcipua mundi ornamenta,sola humana industria,ac non potius mente quadam, quæ humanam multis excederet modis, excogitata & inuenta esse.Itaque peculiare quoddam numen,vrbium oppidorumq; decori,quò diCybele. uinam ipsis authoritatem adderet,præfecit.Quamobrem veteres Almam Cybelem,magnam Deûm matrem,eo habitu effinxerunt, quo etiam totius Vniuersi Dominam, & ciuilium Societatum,vrbium,oppidorumque conseruatricem,prodiderunt. Eius siquidem simulachrum sedentis mulieris effigie in curru,quem leones traherent, lapidibus pretiosis,& diuersis metallorum generibus,vestitæ,turritam in capite coronam,tympanum & Spicas, manu ferentis,effinxerunt. Cuius quidem simulachri, eam allegoriam constituunt; vt hanc potissimum ob causam,Cybele curru vehi diceretur,quia terra,asserente Seruio,credebatur,quæ in medio aëre dependet.Ideoq; rotis sustineri effingitur, quia totum hoc vniuersum,volubili,ac perpetuo motu cieatur.Et eidem subiugabantur leones,vt ostenderetur,maternam pietatem omnia posse superare,neq; tantam feritatem extare, quæ materna affectione mitigari non queat. Vel,vt Macrobio placet,quia Cybele terræ dea est,quæ ab aëre, quem cæli ambitus continet, vehitur, cuius natura similis est leonum validorum animalium feruori. A Martiano autem confingitur grandæua,corpulentaq; mater, quamuis fœcunda circumfusaq; partubus,tamen floridam discolaramq; herbida palla,contexuerat,in qua totus gemmarum metallorumq; census,atque omnium prouentus frugum & sationum larga admodum vbertate,ferebatur.Eaq; de causa,& spicas manu tenere fingitur,quia nimirum Tellurem eandem dictam esse Matrem,quæ omnia vitæ necessaria ex se gignit.Porrò,etsi Aristoteles,cum suis Peripateticis, totû hoc vniuersum, sphæricam obtinere figuram tradat,corona tamen turrita, inæqualitatem terræ denotat, quæ oppida,turres,& montes sustinet. Tympanum verò,ex D. Augustini sententia, in septimo de Ciuitate Dei prætendit,quod hæc dea,totum terrarum orbem designet. Plerique & Vestam, quemadmodum Cybelem,terram constituût,eamq; hoc compellatam nomine asserût, quod terra,varijs,tum herbis,tum plantis,cæterisque,quæ ex se,copioso prouentu,effundit,decenter vestiatur.Atq; hæc quidem suauis,& iucunda felicis istius temporis contemplatio fuit,quo lites & controuersiæ causarum cognitæ perpaucis fuerût,quo philosophati sunt homines,& sanAureum sæculum. ctissimis moribus securi,quietiq; vixerunt,quo æquo & bono, à præstantissimis viris,non seueritate legum,cuncta transigebâtur.Et,si fortè inter ciues controuersiæ oriebantur aut lites, eæ, de æmulatione virtutis,de natura deorum,de ratione naturę,de probitate morû susciebâtur. De quibus summi ac eruditi viri,certis cõstitutisq; dieb. publicè, admissis etiam fœminis, disserebant.Sed tam præstantes ac sancti hominum mores,sola habendi cupiditas,quæ ad turpissima scelera,mortalium mentes impellit,vt initio probare cœpi,violauit.Quod,cum permultis,quæ in toto hoc vniuerso,varijs in locis,acciderunt historijs, confirmari facilè queat,ne tamen in immensum excrescat oratio,vel sola Hispania,virtutis,sobrietatisq; semper amantissima,docebit.In qua ante,quàm auri, argentiq; venæ reperirentur, bella perpauca sunt gesta,sed amabili virtutum seminario,quod cunctis insseuit natura,incitati,philosophiæ,hoc est,sapientiæ studio oblectati sunt homines,atq; de natura,de vita ac moribus,de abditis occultisq; naturæ rebus,disseruerunt. Quodam verò tempore,vt Georgius Agricola,lib.de fodinis Metallicis: L. Marineus Siculus,& quotquot Hispaniam scriptis reddiderunt illustrem, tradunt,arserunt quidam montes(vt fit ex vehementi solidorum corporum commotione, calorem, & ex eo ignem excitari: Quemadmodum Vitruuius lib.2.ob syluas, ventorum agitatione incensas, hominum cœtus coactus esse scribit,& Hercinium,aliasq; syluas,pari de causa,igni conflagrasse,constat.)Igitur,dum montes,metallis grauidi in Hispania arderent,atque aurum argentumque ex se liquidum profunderent,nouam, & inusitatam homines admirari cœperunt materiam,eamque Phœnicibus,qui quæstus gratia, totum peragrabant orbem, ostensam,cum exigui pre-

gui pretij rebus,permutabant:Phœnices,& facili,& magno suis domi quæstu,exhibito,tam ex ea regione,quàm ex reliqua Asia,Græciaq;, ingentẽ vim hominum,ad cupiditatem promptã, diuitiarum spe,exciuerunt.Ita modò immensis classibus,modò singulis binis, ternisúe onerarijs nauibus Hispaniam subinde repetebant: Plures,vel soli,vel cæli bonitate capti, atque metalla patriæ,penatibusq; præferentes,in Hispania remansêre, qui ad se cognatos affinesq; alios alijs illectamentis pertraxerunt.Tunc frequentes ex tota Asia,vicinisque insulis,in Hispaniam coloniæ sunt missæ,Hi rudes malitiæ,ac vitiorum populos, Asiana Græcaq; docuêre scelera, quorum etiamnum ea gens nimis esse tenax videtur.Hinc subito exorta Hispanis suorum metallorum admiratio,& custodia,hinc lites,hinc rapinæ,cædes,primum priuatæ,& latrocinium paucorum,demum apertum, publicumq; gentium inter sese concurrentium,quod vocant bellum,ducibus alienigenis,& primis Phœnicibus,sola habendi cupiditate illectis,authoribus,atque magistris.Porrò,cum in eiuscemodi bellorum incondito cœtu,illaudati complures, atq; inglorij inuenirentur,quos nec pudor ab infamia, nec à libidine pudicitia, nec à turpitudine honestas,nec à cupiditate modestia,nec à scelere verecundia; nec virtutum denique splendor deterreret à vitijs.Tum excellentissimum philosophiæ studium omissum, artesq; præstantes, vt coli desitæ,ita ferè extinctæ sunt atque deletæ, nam litteris continebantur perpaucis, auditione magna ex parte tradebantur, percipiebanturque. Tum desitum est æquo ac bono fidi. Tum,vt deprauatis malorum conatibus obuiam iretur,leges ferri cœptæ: Et,vt ea optima hominum Societas,in qua lex dominaretur,ita pessima,omniumque deterrima est iudicata,quæ Lex. à lege,iudicijsque secerneretur.Idcirco cogitandum fuit, vt esset aliquis, qui cæteris præficeretur, alios regeret, pro omnibus excubaret,rationem pacatè viuendi, hoc est,leges, quibus supRegnum. plicia vitijs,premia exhiberentur virtutibus,præscriberet. Elegerunt ergo virum aliquem virtute,sermone,ac fortitudine præstantem,probitate ac moribus integrum, cui rerum permiserunt arbitria.Eius cum viderent prudentiam circa iusta honestaque versari,& ea omnia agere, quæ communi ciuium vtilitati,tuta ac commoda esse perspicerent, de publico, quò ab illiberali ac sordida functione animum esset,cum alere [illegible]Disciplinam ab eo viuendi præscriptam,cõmuni boni opinione,æquo animo acceperunt,etiamsi priuatæ quorundam libertati,videretur obesse,summo deniq; honore eum affecerût.Moyses,qui apud Hebræos primus omnium leges tulit,nónne in summa veneratione semper extitit? Draco,& deinde Solon,qui Athenienses,Minos,qui Cretenses,& Lycurgus,qui Lacedæmonijs sanctiones suas ediderunt,quantam sibi gloriam vendicarunt, & quàm benè meriti de suis ciuitatibus esse dicuntur? Horum scripta adeò Romani sunt venerati, vt Decemuiros ex S. C. constituerint, qui leges à Græcis ciuitatibus peterent,quas in æs incisas,& pro Rostris æditas,populum docuerunt.Atq; duas deinde ipsi addiderunt,ne quid perfectò operi deesset. Cicero in libris suis de oratore,ad Quintum fratrem,Crassum loquentem,& duodecim has tabulas,diuinis pene laudib.efferentem,introducit,cũ ait:Frement oẽs(licet dicam quid sentio) Bibliothecas,me herclè omnium Philosophorum,vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum fontes,ac capita viderit,& authoritatis pondere,& vtilitatis vbertate,superare.Ex his itaq; apparet,eam primã omnium politiæ faciem fuisse,in qua vnus Remp.administraret:Ex qua,quopacto deinde Aristocratia,atque etiam Democratia sit orta,nunc, prolixitatis euitandæ gratia, non disputo. Sed,vniuersum Politiæ munus atq; officium,laconica breuitate recensebo.Politiam igitur,cu Politia. ius fundamentũ Religionem statuo,cum Aristotele in Rhetoricis,principatũ & consuetudinẽ rerũ nuncupo,secundũ quam viuere vnumquemq;,& conuersari decet.Eam verò ab omni affectu & cõmotione liberam sine amore,odio,spe,metu,ambitione aut auaritia,optimè Remp. ciuium,gubernare oportet.Cũcta æquitatis & iustitiæ authoritate ac nutu gerere,vt neq; infecti gratia,neq; perfringi potẽtia,neq; adulterari pecunia,possit.Improbos ac sceleratos,qui nec humanitatis,nec officij sui,nec publicæ salutis rationem habent,vi,minis,vinculis,damno,ignominijs, exilio, verberibus,& morte etiam,quando extrema vrgebit necessitas,coërcere.Nã, etsi omnes emendare,paucos,aut si fieri potest, nullos,interimere debeat,tamen,cũ Politię cle-

mentia,non in ipsius modò,sed etiam in eorum,qui in Repub. viuunt, ingenijs sita sit, illiq́ue piarum constitutionum ac legum reuerentiam excutientes animis,summa imis confundunt, vi opus est, vt vis repellatur. Ad hæc etiam eos, qui in benè constituta ciuitate, virtute aliqua,eruditione,& scientia excellunt,præmio & honore,splendore ac gloria,Politia afficiet,& dignitates tribuet ijs,qui optimè de Reipub.meriti esse videntur.Itaque Romani prisci in dandis Magistratibus & conferendis honoribus,non largitione,& ambitu,sed vera virtute nitebantur,& propter res egregiè gestas,domi militiæq́; meritos ciues, prætura, ædilitate, consulari,& amplissimis honoribus cohonestabant. Duo itaque numina, maximè veneranda in Repub. Democritus asserebat. Præmium scilicet,ac pœnam. optimi namque ciues & benè de Repub. meriti muneribus honoribusq́ue augendi sunt; Deterrimi autem omni fœditatis exemplo afficiendi. Porrò,vt Politia optimarum constitutionum ac legum autoritate. Ita legum obser-
Religio. uatio Religionis opinione ac reuerentia, multo firmior erit. Itaque Rhadamanteus Gnosius vir & iustitia,& sapientia summa, ciuilia instituta Cretensibus præscribens, quò maiore leges autoritate muniret.Summum Deorum Iouem,in consilio habere se finxit, cuius nutu singula quæque decreta,ad Cretenses deferret,eo autem inuento, ciues omnes dicto obediẽtes habuit, eosq́ue ad frugalitatem,æquitatemq́ue redegit.Hunc Minos sequutus,in animum Iouis descendit,vt Plato lib.de Legibus scribit,ac noua quædam instituta deferens,Iouem similiter Legum suarum numen asseruit,Lycurgus autem Apollinem. Amolxis,qui Gethis leges præscripsit, deam sibi prætulit Vestam, quæ præsens apud eas nationes numen habebatur. Apud Romanos, Numa Pompilius sanctionibus suis Egeriam Nympham præfecit, quò maiore reuerentia,eas populus acceptaret. Sed,quidnam sit ipsa Religio, dices? Seruius Sulpitius, Religionem dictam esse tradidit, quod propter sanctitatem à nobis, & ab alijs humanis actionibus remota sit,atque sepositа.Cicero lib.de Deorum natura secundo,à relegendo, religionem deducit,inquiens: Qui autem omnia,quæ ad cultum Deorum pertinerent,diligenter retractarent,& tanquam relegerent,sunt dicti Religiosi à relegẽdo.Quemadmodum & lib.1.de natura Deorum, Sanctitatem,scientiam solendorum Deorum tradit.Verum ineptam & anilem hanc Ciceronis interpretationem,Firmianus Lactantius lib.de vera sapientia IIII. cap.XXVIII.deridens, Religionem à vinculo pietatis deductam esse confirmat. Quod hominem sibi Deus religauerit,& pietate constrinxerit.Quia seruire nos ei vt Domino;& obsequi,vt patri necesse est.Benè ergò nomẽ id interpretatus est Lucretius,qui ait,Religionum se nodos exsoluere.Huic D.Augustinus lib.de vera Religone cap.55.his verbis subscribit. Religat nos Religio vni omnipotenti Deo,quia inter mentem nostram,qua illum intelligimus,& patrem & veritatem, id est, lucem interiorem,per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est.Eam & alibi hoc pacto describit.Religio est,quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, cæremoniamq́ue affert. Nulla autem Politia vnquam firma, aut benè constituta censebitur,nisi Religioni summa in ea laus, & veneratio tribuatur. Hinc Aristoteles, qui minus tamen pietati,& religioni,quàm præceptor huius Plato,deditus fuisse videtur,magnam agrorum partem ijs,qui religionem in vrbibus administrarent,in Politicis suis attribuit. Neque id immeritò: Religio etenim sola,cum omnis concordiæ & ciuilis vnitatis fundamentum existat, politiæ ornamentum ac vinculum,qui Religionem perturbat,auferre videtur.Adeo quidem, vt quemadmodum benè constituendæ ordinandæq́ue Politiæ prima elementa sunt Religionũ sacrorũ momẽta ac rationes:Ita declinantis Reip.ne dicã inclinatę cunabula sunt Religionum socordia,indiligentia,neglectus.Quid etenim in ea Repu.benè fieri vnquã poterit in qua nulli⁹ Dei metus,nulla Religio nulla fides in officio ciues cõseruat,& à prauis actionib.coërcet? Nam illi,qui legum terrore nil rectè faciunt,qua,obsecro,mente vrgebuntur à cæde,à latrocinijs,à rapinis abstinere,ne in testimonijs mentiantur,ne fraude circumueniant alium,nisi Religionis pietatisq́; reuerentia, falsa mens territa, ad iustitiæ rudimenta ac cultum instituatur? Illa Deum vereri,parentes amare,à turpitudine abstinere,id denique,quod honestum & æquũ, mentes humanas docet.Præclarè Cicero, lib. de Deorum natura primo scribit. Religione ac

pietate

pietate erga Deum sublata,fidem,& humani generis societatem,& iustitiam,virtutũ omnium excellentissimam, tolli. Itaque Dryopes, quò deprauatas de Religione sententias,& superstitiosos ac nouos de ea sermones,ex Athenienſium Repub.profligaret, legem tulit,qua capitale censebatur esse,de Deo non rectè sentire,siue de Religione,nouos,in Rempub. ritus,introducere.Imò,ne ipsi quidem,qui cæco mentis errore,prouidentiam diuinam, cum omni religione reijciunt, qui cuncta in hoc Vniuerso,fatali quadam necessitate agi,& animas,vnà cum corporibus interire existimãt,quos atheos vocamus,hanc, à communi plebe, defendi sententiam vellent,adeò,vt id se credere,nec fateantur apertè, nec Rempub. ad eam formam institui cupiant,vt nullius religionis exercitio populus in officio contineatur,cum inde ineuitabilem politiarum ruinam subsequi non ignorent. Symmachus apud Prudentium,cùm veteri Deorum cultui,omni tamen superstitione contaminato,inualescente Christianorum fide,permultum authoritatis decedere animaduerteret, & Aram, quam veluti consiliorum dictorumq́ue omnium testem,multis religiosissimè, in Senatu annis coluerant, eijci, & conculcari videret,Legationem ad Romani Imperij Principes Augustos,pietatis,nomine,suscepit,in qua,priscæ Religionis statum,Imperij,& Politiæ dignitatem conseruasse, multis argumentis confirmat.Religionem autem spretam,publica,inquit,subsequuta est fames, & spem prouinciarũ omnium, messis ægra decepit.Non sunt hæc vitia terrarum,nihil imputemus astris, nec rubigo segetib. obfuit,nec auena fruges necauit, sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod Religionibus negabatur.Veruntamen,quam ob rem nos,qui verum,in vera religione veneramur,ac colimus Deum,cum ijs,qui falsorum deorum religionem defendunt, qui vana superstitione,simulachra muta,& æreas adorant imagines,disputationem susc ipimus? Cum nos eam,quæ vera & beata est,profiteamur,eiusq́ue finis sit,imitari quem colis.Quis autem turpissima eorum scelera vnquam imitari cupiet,quos multorum deorum,fertile sæculum,in Diuorum ordinem recepit? Quorum cultus vera Religio censeri non potest, eò, quod summo bono, cultorem non reddat beatum. Ea igitur Christiana, hoc est,vera Religio putanda est, quæ sola efficit,vt homo hominem charum habeat,cumq́; sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum,siquidem Pater idem omnibus deus est,vt Dei,patrisq́; communis beneficia,cum ijs, qui non habent,partiatur,nulli noceat,nullum premat,non fores claudat hospiti, non aurem precanti, sed sit largus,beneficus,liberalis,quas regias esse,laudes Tullius existimauit. Vnde planè apparet, præcipuum Religionis munus & institutum esse ne iniuria quis alium afficiat, sed id,quod verè,optimorumq́; hominum sententia, bonum est,præstet. Quo ille respexisse videtur,qui mundam & immaculatam Religionem apud Deum & patrem hanc esse descripsit,visitare pupillos,& viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Hæc fuit profectò aurei sæculi religiosa iustitia,vt inquit Lactantius lib. de iustitia 5.cap.6.quæ Ioue primum regnante,corrupta,mox & ipso,& omni eius progenie consecrata, deorumq́ue multorum suscepto cultu,fuerat omnis sublata. Pari quoq; ratione,inuectis in Ecclesiam Dei, superstitiosis nouorum dogmatum sententijs, pristinæ & auita religionis marcescente vigore, ciuium dissidia,& perniciosæ factiones nascuntur,quæ partium deinde studia gignunt, quarũ qui defensiones susc ipiant, infinitis calamitatibus politicam Reipub. formam, seditionibus, intestinis,& domesticis bellis euertunt; Magistratus reuerentiam ciuium animis eximunt; dicacibus famosisq́; libellis omnia miscent; turpissima conuitiorum plaustra, in eos,qui in nuper inuentas opinionum sententias,non statim iurant, nefariè ingerunt,vt maledici potius, & contumelioſi sifilatores,quàm alicuius religionis defensores esse videantur.Præclarè Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib.10.cap.7.Ex pluribus,inquit,rebus apparet,Religionem,in qua summa custoditur sanctitatis reuerentia,si extenuetur,magna pericula adferre Rebuspub. Ac rursus eãdem,si legitimè tractetur,& custodiatur,maximam prosperitatem Romano Imperio,& cunctis mortalium rebus præcipuam præstare felicitatem. Equidem,si remotas ob vetustatem historias ex litterarum monumentis repetere libeat,quamplurimis argumentis Religionis immutationem,Rebuspub.perniciosissimam fuisse constabit.Quam florens olim nobilissimum

(?) (?) orientis

orientis imperium fuerit,nemo hiſtoriarum peritus ignorat. Verùm funeſta Arrianorum factio,non modò omnia in eo perturbauit, ſed & ijs tandem orientem exagitauit furoribus, vt impuriſsimi Mahumetis ſuperſtitionem ſuſciperet: Eius factionis ſoboles Donatiſtarum & Circumcellionum furores, tanta immanitate ſacras atq; ciuiles in Africa leges cõtaminarũt, vt omnis ex eo regno iuſtitia atq; Religio exularit.Ita quidem,vt vaſtitatis atq; communis calamitatis,etiam illi ipſi,qui Donatiſtarum partium erant,perteſi,nihil aliud,quam legitima aliqua collatione habita,religionis vnitatem optarent; Aſſerente D. Auguſtino lib. poſt collationem cum Donatiſtis habita.Quam deploratam politiarum mutationem, ſeditioſa Huſsitarum factio, Duce Ioanne Ziſcha,in Boiemiam inuexerit, quantis viribus in paterna viſcera arma cõuerterit,Aeneas Syluius Boiemicæ hiſtoriæ ſcriptor,Albertus Krantzius paſsim in ſua VVandalia lib. 10. 11. 12. Nauclerus: Bernardus Lutzenburgus, Sebaſtianus Franc, Alfonſus à Caſtro: Gabriel Prateolus, & poſtremo Ioannes Dubrauius,commentarijs admiratione dignis,commemorant.Taceo nunc de maxima & horrenda calamitate, quam ex alterata Religione noſtræ Germaniæ,deinde florentiſsimæ Galliæ,ac demum Belgicæ politia percepit.Illud,coronidis ſaltem loco,adijciam.Cum veræ Religionis profeſsio,non alibi, quàm in vera Chriſti inueniatur Eccleſia.Hæc autem in politica contineatur Repub. Itaque, quemadmodũ Imperij & Politiæ amplitudo,plurimum ad Religionis Chriſtianæ propagationem adiumenti confert,ita quaſſata & vera labefactata Religione,Imperij, & Politiæ quoque ſtatus concutiatur,neceſſe eſt.Itaq; Chriſtiani veteres,locum Pauli ad Theſſalonicenſes de Apoſtaſia,ita interpretabantur,& de Antichriſto ſic loqui ſolebant,vt exiſtimarent, imminentem Religioni & Eccleſiæ per Antichriſtum ruinam,non ſine extrema Romani Imperij calamitate & diſſolutione inſtitui poſſe.Itaq; cum Imperij & Eccleſiæ eandem eſſe ſalutem, parem quoq; perniciem exiſtimarent,pro tranquillo Romani Imperij ſtatu, Deum precari ſolebant, in cuius incolumitate incluſam eſſe ſciebant,felicitatem Eccleſiæ. Cuius ſimiliter fidem, pietatem,religionem,ardentiſsimis Deo precibus,committebant,vtputa, cuius ſalus atq; felicitas,Imperij & Politiæ quoq; incolumitatem defendat. Hinc in Teſtamento veteri,cum per Prophetas ſuos Deus Iſraëlitarum Regi impio Achab,ſcelerum ſuorum cauſa,Regni & familiæ vniuerſæ exitium prænunciaret,Religionis, veræq; pietatis,& optimorum prophetarum contemptum,iuſtiſsimo ſuo iudicio,in eius regni politiam permiſit irrepere, cum nimirum, veniam ſpiritui nequam cõcederet,vt doctrina,ſyncera religionis, ſuppreſſa, mendacium pro veritate,omnes eius regni Prophetæ docerent.Quam quidem doctrinam,ſumma Regis atq; reginæ calamitas, & extremum politię exitium eſt ſubſequutum.Id Achior coram Holopherne conſiderans,ne contra Iudaicam gentem quid temerè moliatur monet,quam diu veri Dei cultum, hoc eſt,integram apud eos religionem vigere cognoſceret,neq; enim aliquem huic populo vnquam inſultare potuiſſe,niſi,quando ſpreta religione,à cultu Domini Dei ſui receſsiſſent.Hæc,etſi fortaſſe pro ratione huius loci, prolixiora, & à topographicis vrbium oppidorumq; deſcriptionibus,remotiora eſſe videantur,paucis tamẽ præmittenda eſſe putauimus, quidnam potiſsimum vrbes & oppida, quorũ hoc opere deſcriptiones,& topographicas exhibemus picturas,florenti in ſtatu conſeruare,quid ſeditiones etiã in ijs plerumq; ciere,& politias quam optimè conſtitutas,inuertere putemus.Nunc,vt finem tandem præfationi imponamus: Ad ipſas vrbium enarrationes quod attinet. Etſi in ijs me multa omiſiſſe concedam, quæ vero de ijſdem elogio ſcribi,& tuto etiam publica eſſe poterant,quis enim in tanta hiſtoriarum turba, non per ignorantiam multa omittat,quod etiam quæſo,volumen,omnia,quæ de ſingulis vrbibus,in publica litterarum monumenta referri poſſent, capiet? Tamen,pro paginarum capacitate,ea, quæ vel ipſi ex hiſtoricorũ ſcriptis eruimus,vel familiaribus, ab amicis noſtris epiſtolis accepimus, candide à nobis prolata fatemur.Quod ſi autem curioſuli,omnia enodatius perſcrutari,& ſingula inueſtigare cupiant,concedatur ipſis id præſtare, quod magnificum eſt,& laborioſi, egregijq; viri gloriam conſequi.

Erunt etiam aliqui, qui fortaſſe plures vrbium icones deſiderabunt, quotus enim quiſque eſt,qui

eſt,qui non,viſo hoc libro,ſtatim ſuæ patriæ deſcriptionem atq; picturam inquirat? Multi,iuncto vtroq; vrbium tomo,inuenient,aliqui etiam fortaſſe deſiderabunt. At ea,quæ heîc non habentur,non ſunt,aut negligentia noſtra, aut ſumptus euitandi gratia,omiſſa.Sed,quia emptori etiam,pro virili noſtra conſulere voluimus,ne in immenſum maioris operis pretium excreſceret,totius vniuerſi vrbes libris,ſi non alia de cauſa, ſaltem pretij mediocritate laudatis, proponere viſum fuit.Qui autem patriam ſuam omiſſam iniquius tolerat, eum maiorem in modũ rogo,vt eius commotus amore,eam ad nos depictam tranſmittat, & artificioſa Hogenbergij manu, cum honorifica nominis ſui mentione celari curabimus, & vel huic, vel priori tomo, prout volet, inſeremus, vel in tertij fortaſſe editionem, reſeruabimus. Reliquum nunc eſt, vt beneuolum rogemus lectorem, quò benè feliciterque valens, operi & inſtituto noſtro, benè faueat. Ex Muſæolo noſtro Agrippinenſi, Anno partæ ſalutis

M. D. LXXV.

REMACLVS LYMBVRGVS

MEDICINAE. DOCT. ET. LEODII. APVD D. PAVLVM. CANONICVS, D. GEORGIO. BRVIN.

S. P. D.

Litteras tuas, Vir præclariſsime, vti doctas, ita concinnè exaratas, amoris erga me tui & officij plenas,accepi,quæ quidem,quanto me opere refecerint & recreauerint, vix verbis aſſequi poſſum. Quo quidem nomine H. Tuæ obligatum me libenter concedo, quam nunc, ſucceſſuq; temporis frequenter, litterario inuiſam colloquio. Initio itaque mihi, non parum gaudeo,tecum mihi, felicibus auſpicijs, conciliatam & initam eſſe amicitiam, quam ſanè, vt vnice venerer,exoſculer,& ſingulari amore amplectar, nihil omnino mihi debetur gratiæ, ſed eruditioni & eloquentiæ tuæ, qua hiſtoricas vrbium enarrationes, accuratiſsimis earundem picturis,ea induſtria & dexteritate ſubiungis, vt non tam artificum, & Bruinij ope delineatas,ſed viuas exhiberi vrbes,appareat. Adeo quidem, vt etſi noſtro hoc æuo, in pulcherrima,totius orbis deſcriptione,non pauci docti,ac celebres viri gnauiter laborẽt, re vera tamen,nõ meo tantũ, ſed & eruditiſsimorum hominum iudicio,ſuperat, & poſt ſe longo interuallo Agrippinenſis Bruinius, relinquit.Quippe,qui præter puriſsimè in vrbium enarrationibus obſeruatam ſcribẽdi phraſim, vrbes etiam ipſas æreis laminis artificioſè celatas,longè maximis impenſarum ſumptibus, artificioſiſsimè exhibet. Quid iam induſtriam, & diligentiam propè ſingularem illam tuam commemorem, qua non vicinis modò, ſed & remotiſſimarum nationum hominibus innoteſcis, quos doctiſſimis excitas litteris, quo tuum hoc ſtudium, vrbes ſuppeditando, promoueant.Itaq; non exiſtimo,reperiri nunc aliquem,qui Coſmographiæ addendum eſſe quippiam putet,ſi tuos hos libros,accuratiſſimo totius vniuerſi Theatro,à ſummo huius æui coſmographo.D. Abrahamo Orttelio conſcripto,coniungat. Quamobrem,macte virtute,vir præclariſsime, laudatiſſimam & hanc,quam peperiſti nominis tui gloriam,fortiter,omnii incremento laudis,ad finem vſque proſequere,nihil te zoili,nihil te curioſuli alicuius momi perturbet inuidia,boni eſſe viri cogita, nominis ſui famæ conſulere. Neq; exiſtimes velim, tibi minimè ambitioſo,laborum tuorum laudem,aliquando interituram, aut vllam futuram tam ingratam poſteritatem, quæ de tantis ſudoribus tuis, læuius ſit ſenſura,quàm hodie, te viuo,iudicant, non ſolum eruditorum hominum ingenia, ſed ipſe etiam terrarum orbis,non minus, quàm quondam Veſtæ,ſe tibi debere concedit,cuius tu ornamenta,hoc eſt, vrbes & oppida, tam graphicè deſcribis, atque depingis. Vale, viue, ac felix eſto. Leodij apud D. Paulum. XIIII. Iunij. Anno ſalutis

M. D. LXXV.

STEPHANI. BROELMANI. AGRIPP. IN. THEATRVM. VRBIVM. POPVLARIS. ET. CIVIS. SVI. AMICISS. GEORGII. BRVIN. AGRIPP. CARMEN. HENDECASYLLAB.

Si te res iuuat orbis vniuersi
Depictas breuibus videre cartis:
Sed te res iuuat orbis vniuersi
Depictas breuibus videre cartis.
Si nec tædia ferre, siue cæli,
Seu viæ libeat; leuique sumptu
Vrbes viser longius remotas,
Et cunabula prima, ciuiumque
Mores, exiguo labore nosse:
Sed certè exiguo labore nosse
Iuuat oppida, ciuiumque mores,
Hunc sumas nitidum nouumq; librum,
Vrbes ille tibi dabit trecentas.
Vrbes cum fluuijsque mœnibusque,
Tum docta artificis manu politas,
Vt cum Naïdum chorus sororum,
Antra quæque tenent Lepontiorum,
Quæ fontesq; lacusque, quæq; montes,
Atq; harum pater, amniumq; Rhenus,
In ripa ad liquidas videret vndas,
Admirans loca nota, littorumque
Expressos tenui sinus colore,
Et fratres fluuios. manuq; tollens,
Hucne solus eo, vel alter, inquit,
Rhenus? alterat Albis & Mosella?
Et vos congeminastis, ô puellæ,
Quæ mecum egelidos habetis amnes?
Inclusum exiguæ nuci vetustas
Grandi Mœonij poëmatis
Admirata fuit: magis nepotes,
Hoc miremur opus, breuis libellus
Cunctas exhibet iste ciuitates,
Quotquot vnda ferit marina, quotquot
Rhenus, Sequana, Tyberis, atque Iberus.
At tibi bona multa sint, Georgi,
Phœbi deliciæ, pater leporum.
Te duce innumeras videmus vrbes
Amissam reparasse dignitatem,
Et cultas magis & magis venustas,
Nunc tandem superas venire in auras.
Viues. hoc tibi quidquid est laboris
Omni perpetuum manebit æuo.
Tibi magna Pales, & alma Diuûm.
Ops mater, tibi ciuium cohortes,
Et Lares simul & simul Penates,
(Quos hic vestibulum tenere cerno,)
Ornabunt mueis caput corollis,
Et Phœbus pater, & nouem Camœnæ,
Et quantum est hominum eruditorum.

IAN. MELLERI PALMERII SILVA, IN THEATRVM VRBIVM GEORGII BRVIN, AD EBERHARDVM SVDERMANVM.

HÆC quæ longè alias inter caput extulit vrbes,
Qua Rhenus Mœno cũ fratre, sorore Mosella,
Fallor? an & Mœno cũ fratre, & fratre Mosella?
Hinc, atq; hinc viridi prætendit cornua ripæ,
Agrippina, Vbio commissa & sanguine gentis,
Tybri, tuæ, (quanquam heu) Druso duce, & auspice Druso;
Ripa fuit quondam molli vestita salicto,
Tum cum, Roma, tibi bellig, togæq; maneret
Partus honos, nec victæ manus Tyberine dedisses.
Aspice, vbi lenem scandunt Capitolia cluum,
Is dumis stabat locus, & sine frugibus herbis:
Illic qua spectare forũm maiusue, minusue
Nunc datur, vndatates vento, remoq; ferebat,
Et dat iter plaustro via, quæ dedit ante carinæ.
Quo Petri gradibus fanum se sustulit, olim
Pro tectis salices stabant, pro turribus vlmi.
Quid loquar aut templa, aut certantes arcibus ædes
Nobilium? quid quæ de marmore curia surgit?
Quæ nunc spectantium mirantia lumina vertunt,
At tum pabula erant gregis, & sine nomine tellus.
Miramur? quæ iura dedit terræq; mariq;
Roma, fuit quondam colles, in collibus herbæ:
Iam noua, quando vetus cælo caput Alba ferebat:
Nec dominas semper Nereo Tybris intulit vndas:
Nec semper stetit Alba, albæ suis omine nata.
Nullas Æneæ viderunt secula Pisas,
Massiliam nullam: quæ nunc verfantur in ore
Omnibus, & qua inuectus equis petit æthere Titan,
Et qua præcipitem Oceani lauat æquore currum.
Scandentes videas Genuæ de vallibus arces,
Surrexisse putes sumptuq; manuq; deorum:
Atqui ætas veteris Genuam nesciuit Homeri.
Vrbs Venetum, magnæ virtutibus æmula Romæ,
Proportis cui est Tethys, pro mœnibus æquor,
Bigarumue loco celeres subiere carinæ;
Sola palus quondam Hunorum fuit ante sagittas:
Quæ pedibus si quando tuis adeunda daretur,
Vnam collectum mundum mireris in vrbem.
TANtum æui mutare valet longinqua vetustas.
Nam noua cum primo fœtu se terra profudit,
Ac Cereris cæpit messes in luminis oras
Tollere, & ignotis herbas committere ventis,
Vitam homines inter tractarunt secla ferarum:
Nulli vrbes, nulli cinxerunt oppida muri:
Pallas adhuc tenuit nullas in collibus arces.
Quæ peteret natura sibi, dedit omnia tellus,
Illa cibum vulgò, vestes illa, illa cubile
Præbuit, vt fama est, haud vllo saucia ferro.
Nondum tollere opes, ac cælo educere molem,
Laus erat: & quæ nunc est vita, lacessere factis
Fortunam: nec velle modum sibi ponere luxus:
Sed frutices inter, inter spelæa ferarum
Sub Ioue mudabant terræ membra horrida, membra,
Qualia posse putes imponere Pelion ossa,
Vt conjurati cælum rescindere fratres.
Iuncta Venus dabat, & reddebat gaudia, iunctis
Ad somnos arbor, quos illa, vel illa vocasset.
At nouitas mundi nullo poscente ferebat
Omnia: quem nunc ex alio status excipit alter.
Ipsa sibi pinxit tellus sua floribus arua,
Et magnum arboribus, quas inde, vel inde ferebat,
Crescendi dedit immissis certamen habenis.
Quæ nunc tarda venit, factura neptibus vmbram,
Si qua fides, anno sparsit sua brachia in auras,
Quodq; magis, nullo se semine sustulit ilex:
Ac mali coma, cum Bacho, Bachiq; sorore
Sponte sua in superas terra caput extulit auras,
Et, mirum dictu, cælum non iussa petiuit.
Nondum alterna sitim cæli collegerat æstas,
Nondum bruma suo siluas spoliarat honore,
Cum primum lucem pecudes hausere: nec vllo
Iupiter in gremium vxoris descenderat imbre.
Ver erat, & sæuis parcebant flatibus Euri.
Necdum vsus silicis venis excuderat ignem:
Vulcano mollire cibos res nulla monebat,
Nec mora: cæpisti (sic dij voluistis) ab antris,
Æole, luctantes hyemes, cum grandine nimbos,
Cum nimbis ventos, ac vasto murmure fluctus
Mittere, & ah sæuos armare in prælia fratres.
Tum primum emissus madidis Notus euolat alis,
Noctem, hyememq; ferens: manat cui plurima mento
Vnda: aëq; hinc, illinc rorant pennæq;, sinusq;.
Nec satis: hinc Euros mittunt orientia solis
Lumina, & iratis addunt æstumq; minasq;:
Illinc Hesperio quæ littora sole tepescunt,
Opponunt Zephyros, quis credere posset? ab igne
Frigus, & in media nautis æstate leuamen.
Hinc Boreas, illinc Boreæ contrarius Auster
Bella mouent, replentq; suis stridoribus auras.
Illi vndas vndis glomerant, atq; imbribus imbres:
Et nemora, ac rauco percurrunt murmure pontum:
Parua loquor: cæli quoque turbine nubila raptant.
Tum Deus, vt perhibent, contraxit tempora veris
Perpetui, & spacijs exegit quatuor annum:
Vere grauem iussit terram cum floribus herbas
Fundere, & è viridi protrudere stipite gemmam.
Illa facit: sed dum frondes in aperta ministrat,
Ver fugit, heu cur iussa soror dare terga sorori?

Capitolia Agrippinę ad instar Romani: Marianus, & alij. Forum boarium & annonarium.

Prima ætas mundi, cũ omnia spõte terra ꝓduceret.

Altera ætas: quâ summa illa fœlicitate homines exciderũt.

Annus, q. huc vsque summa aëris tẽperatione, peeserat, nunc deinceps calore & frigore distinctus.

(?) (?) (?)

Et

Mox & fœderibus dulces confundere succos
Institit, ac mistos ramis inducere flores:
Vt sublimis equi tardo misceatur asello
Ardor, & exitio generis cadit vltimus hæres.
Ergo ascita suæ pyrus eripit arma sorori.
Et nomen gaudet pomus mutare salignis
Scipitibus, sorbumq; suo distendere succo:
Pinguis & affines frondes oleaster adoptat:
Persuadet moris ficus mutare colorem:
Altera & alterius genus inserit arboris arbor
Stirpibus, vt frondes miretur, & haud sua poma,
Postquam læto ab humo se ad sidera sustulit auctu
Tum scrobibus mandant effossa cydonia siluis,
Cæteraq;, vt durum mutent cum matre saporem.
Et quas non artes hominum ex se prompsit in auras
Ingenium: vel quas naturæ accedere partes
Ignauus vetuit circum præcordia sanguis?
Omnia obiuerunt animis & fortibus ausis:
Nauigatio initiũ. Felices, rate si nullus mare nauta secasset.
Ille quidem hoc vellet, fluctus cum ad sidera tollit
Æolus: & longè scopulis illisa reclamant
Æquora, dij quantum ignaris factura timorem.
Illi sub terris venant mala multa, cui autem?
Qui primus struxit volitantem flamine currum,
Atq; iter inuito fecit per cærula Nereo:
Illum funestæ vexetis Erinnyes: illi
Æternas Tityi inter aues sua pœna vagetur,
Qui primus stellis numeros & nomina fecit
Nauita, & ostriferi fauces tentauit Abydi:
Tentauit nostro atq; alio sub sole iacentes
Terras, & cursu rudia imbuit æquora ponti.
Quid facis? ah, reuoca cursu te ad littora: redde
Te terræ: diuos, & non tua regna lacessis.
Ventorum est quodcunque paras. vix vlla carina
Consenuit, quin ipse rates Aquilonibus arcet
Neptunus, sæuis ventis: & turbida cursum
Luna negat cum fratre, & fratre: ac mox super ingens
Porta tonat cæli. perges contendere cælo?
Pergis: nec causas differs contexere leti,
Infelix. etiam quid cogitet Auster, & Eurus,
Exploras, ipsis Austris rapiendus & Euris.
Mercatura pretiũ fecit auro. Sic primum in summum argentum successit honorem:
Et prius abiectum è contemptibus exijt aurum.
Ex illo fluere, & retro sublapsa referri
Omnia: donec in hæc se tempora protulit ætas.
Nasq; aurum postquam virtuti dempsit honorem,
Continuo impietas, eheu, dare terga coëgit
Spemq; metumq; Deum: & terram Ioue natа reliquit.
Nauigatio, & è nauigatione mercatura: è mercatura auri atque argenti æstimatio vitijs simpleuerunt terrarum orbem. Nil iam hominũ reuocat mentes, quibus excidit omnis
Religio, atq; omnis decessit pectore virtus.
Tum sese magno tumefacta superbia fastu
Intulit in terram, atq; Erebi caput extulit vmbris.
Tum mollire animos, & fractos soluere sensus
Luxuries cœpit, linguamq; & nectare crura.
Cœpit auaricies furto distendere saccos:
Cœpit cognatas furor in se vertere dextras.
Virgo suum falso traxit candore maritum:
Sæpè suo turpem passa est mala corpore mœchum,
Casta prius, nulloq; animum labefacta ab amore.
Iam studium est scortis vulgò conquirere amantes,
Naturæq; decus mercato pendere luxu.
Et niueum Eois pectus variare lapillis.
Nulli iam victum, vel præbet silua latebras:
Nec modo fundit humo facilem iustissima victum
Tellus: sed nec rure dapes dat solus inemptas
Hortulus, vt nullos addat Neptunus honores.
Fabrorum ex amplis tectis lux suscitat arma:
Ipsosq; è magnis laribus rus mittit in vrbes
Agricolas: vrbes oneratos terga remittunt.
At quibus arrisit vultu fortuna benigno,
Virgatis lucent sagulis, si resq; genusq;
Suaserit, aut animus, raro inferiora secutus.
His per mulsa domus iucundo ridet odore:
Candet ebur solijs: mensis sua pocula lucent
Ex auro solida, aut si quid præstantius auro.
Tota domus Cerere, & Bacho, gaudetq; Minerua.
Vellera mutantur Tyrios incocta rubores
Impenso: & tenues, bombycis viscera, tele.
Venimus ad summum: nihil est quod crastinus addat
Sol, nisi si solio tendas depellere diuos.
Ergo Deus terræ mittit stragemq; luemq;:
Et sæuis addit morbis bellumq; famemq;.
Secuta Deũ ira: qui tres clades hominibus immisit, famem, mortalibus, bellũ. Primum frumentis labor additus, inuida calmos,
Vt rubigo ederet, Phœbi, siue igne sororis:
Tum tribuli, fruges tum carduus inter, & inter
Herbas horreres, non his, non vilis illis.
Inriguis pater, & luxu ridentibus aruis
Lappas asteriles dominari iussit auenas.
Deus agricolas diris prosecutus. Si tibi non agros iterumq; iterumq; nouarint
Rastra, nec, vt res est, ibit labor actus in orbem,
Scilicet antiquam ad vitam te silua vocabit:
Decussusq; cibum dabit ab Iouis ilice fructus.
Sæpe etiam, nempe ira Dei quando vrget ab alto,
Omnia si facias dextraq; aduncus, & arte,
Expectata seges vacuis eludet aristis.
Cum benè conduxeris, & spe tua magna vocaris
Commoda, curgulio farris populatur acerbos
Impunè, atq; inopi metuit formica senectæ.
Sæpè hyemi negat autumnus decedere, veri
Sæpè gelu, sæpè est alienis mensibus æstas:
Atq; ita nulla animos tollunt sata, gramina nulla
In teneras audent tuto se credere frondes. Fames.
Et quoties tandem victum seges ægra negauit
Humano generi, exitium splendentibus astris?
Acre malum, fateor, sed morbis addere morbos,
Is dolor est & homini duro ex Acheronte creatus. Morbi.
Hi facerent, leti toties in limine mortem
Orare, & mœstis arcessere vocibus Orcum
Caussa esset nulli: ac dextra finire dolores:
Non cuiquam vlceribus vocis via septa coiret:
Non animi interpres manaret lingua cruore:
Non pectus vis per fauces immissa repleret
Morbida: nec cum se venis diffuderit ardor,
Spiritus ore foras tetrum asper nandus odorem
Volueret: aut miseros facer ignis adureret artus:
Non turpes papulæ, non turpis olentia sudor
Membra sequeretur: non riuus naribus iret
Sanguinis, & stygijs animam submergeret vndis:
Nec quosdam morbo caperent obliuia rerum
Cunctarum: nullos quaterent aut frigore tussis,

Aut

Aut febres æstate: gradum non ægra senectus
Infirmum traheret, nec duceret ilia: semper
Integro solidæ starent in corpore vires.
Quid? cum tempestas autumni incanduit æstu
Pestilentia Morborum; vt sæuo cumuletur funere funus:
Seuit & in lucem infernis immissa tenebris
Tisiphone: currum morbos agit ante, metumq;,
Horribiles visu formas, luctumq;, famemq;,
Omnia quæ primis stabulantur faucibus Orci:
Successuq; auidum gaudens caput altius effert.
Deletis liberis super examinata parentum
Corpora, vel patribus natos super edere vitam
Cernas, quà gressu in festo sese intulit agris:
Et rus, & viduas exhaurit ciuibus vrbes:
Quando per incautum serpant contagia vulgus:
Et quibus in captos sacra pestis abiuerit artus,
Vel prius, heu, nona vel reddant lampade vitam
Solis: dum mussat gelido medicina timore.
Nam quod sæpe aljs cæli dat templa tueri,
Si sumam, forsan vitæ mihi claustra resoluat:
Vt taceam, ars quod clade manus dat victa Chyronis:
Et Iouis imperio morti sua iura remittit.
Non sat erat, nisi signum etiam Bellona tonaret
Cædis, & vna dies hominum detruderet Orco
Millia multa, truci versa in sua viscera ferro.
Nam simul Alecto Dirarum ab sede sororum
Bellum. Excita, infausto superum pede contigit orbem;
Arma manu ciues poscunt, arma, arma iuuentus,
Arma fremit: mox & bello cruor imbuit arma.
Illa potes & geminos armare in prælia fratres:
Illa odijs versare domos, & crimina belli
Cudere: mille dolos, mille ex se promere fraudes.
Nec mora, Saturni falces curuantur in ensem:
Et bello Geticos taxi torquentur in arcus.
Hinc pelago, hinc terra dubijs Mars errat in armis:
Vel mare, vel cæsis pinguescit ab ossibus agri.
Ah illi solido stabat de marmore pectus;
Illi erat & triplex circum præcordia ferrum:
Si quicquam dedit, aut tygris dedit vbera, sæua
Aut vrsa, aut sæua si quicquam sæuius vrsa;
Qui primus gessit collato prælia Marte:
Cui nec pendentes animum circum oscula nati
Flexerunt: quem nec pietas, fidesq; repressit:
Nec: sed Musa redi: metam breuiore petemus
Cursu: atq; adductas retro tendemus habenas.
Postquam bellorum fluctus miscere pepertum est,
Mille ac mille virum sudant, luctata per arctum
Ambitionis iter summo succedere honori.
Quare sub leges victos cecidisse tyranni
Res monet: atq; iugum domita ceruice subisse.
Mox iterum ad fœcem rerum omnis summa redibat:
Nec cuiquam pede sat stabili fortuna manebat:
Cum velut è summo funesta in Tartara fulmen
Deijceret reges: regnumq; in signe corona
Sub pedibus vulgi amissum lugeret honorem:
Priscaq; maiestas soliorum euersa iaceret.
Tunc arces primum infestum Mars vertit in ignem:
Tunc fit præda pecus: pereunt cum nomine gentes:
Subuersæq; ruunt vrbes, dubiæq; minantur.
Coloniæ deducendę Tunc veteres iussit victor migrare colonos:
Accepitq; nouos deducta colonia ciues. initium, & titus.
Nam si quæ populo tellus alimenta negaret,
Antiquis victos laribus decedere, & agros
Cogebant sibi cum tectis transmittere habendos:
Aut noua ponebant vrbis fundamina, iusso
Cæmentis ad cælum & saxis surgere muro.
Primum iuncta suo cum coniuge vacca subibat
Aratrum: magnum muris crescentibus omen:
Vt Lucina suis successibus impleat vrbem:
Nec; quod sæpe; Venus aruis exerceat arma
Nil profecturis; ac fallat vota parentum.
Tum nouus ærato tellurem dente ruebat
Vomis: & impresso signabat mœnia sulco.
Namq; æris tam tum tempus patefecerat vsum,
Cum clausum tegerent montes sine nomine ferrum.
Ære solum terræ findebant: ære serebant
Vulnera, quãdo manus Mars iiuctus ad arma vocabat:
Donec in opprobrium ferro falx ænea cesserit.
Attamen antiqui hæserunt vestigia moris.
Sic quod longa duci ad talos demissa pependit
Vestis, qui presso scindebat vomere terram:
Vsum hunc annorum longus seruauerat ordo:
Aeq; ita mos fuerat soceris se ferre Sabinis.
At qui signabat primo molimine fossam,
Solis ad occasum solis ducebat ab ortu:
Solis ab occasu solis vertebat ad ortum.
Qui portas habiturus erat locus, omnis ater
Intactus manſit, neq; vulnere saucius vllo:
Sed ferrum summo vestigia puluere pressit:
Fallor? an vt gressus illac inferre liceret?
Cum sua relligio tueretur mœnia; nulli
Saltu victa, vt non lueret quoq; sanguine culpam.
Post vbi tollere humo, cæloq; ostendere turres
Incipiebat, & vrbs iunctis crebrescere tectis;
Vos patrij, vos, quorum essent in numine, diui, Penates.
Sueti humiles adhibere preces, in vota vocabant.
Vos omnem salua pestem depellere ab vrbe,
Nec fas esse pedes hostem intra mœnia ferre,
Si non ante sua migrassent sede penates,
Credebant. id relligio laudabat auorum. Si vrbs esset in potestatem hostium ventura, Penates, ac dij tutelares emigrabãt: & qui vrbẽ obsidione premebãt, ferè eos euocabant. Seruius. Lares. Politia.
Vos quoq; cura Lares tectis præfecit auorum:
Et castas sanxit seruare aras & focos q.
Vobis ferre preces: vobis suspendere bullam:
A vobis dubijs rebus sperare salutem:
Et pacem vino, vel poscere thure solebant.
Post fuit, vt sanctis fundarent legibus vrbem.
Scilicet, vt (quæ sola tenebant vincula ciues)
Pœna sequeretur fontes, & præmia iustos.
His sine perpetuus tota Mars sæuiat vrbe:
His sine non somno curæ, non luce relinquant:
Non sit in hanc illam quisquam qui dormiat aurem:
Sed semper ferri pauidos circumstrepat horror.
Ipsa solum virtus mutet, nisi legibus instes:
Et quatiat commota faces discordia, donec
Alter in alterius deponat sanguine vitam.
Vt quando cursu sese effudere quadrigæ,
Nequicquam aurigæ manibus retinacula tendunt:
Ipsi se saltu ignipedes super auia mittunt:
Effundunt q; duces, rapiunt q; in deuia currum:
Haud aliter calidos in se discordia ciues

(?) (?) (?) (?) Armet

Armet, pulsa foro si fas, & iura recedant.
Quibus in manibus gestent, & viuere rapto
Tentent, quantumuis magna se ab origine iactent,
Altera non videant surgentia cornua lunæ.
VSQVE ADEO casu ius & concordia eodem
Stantq́; caduntq́: nec est cur altera commoda speres,
Vtraq; ni teneas, vinclo sociata iugali.
Accessit cæli metus, & reuerentia diuum:
Relligio. *Quæ postquam semel ararum compleuerat orbem,*
Mox alia, atq; alia vulgauit numina terris:
Vt tandem fœdè ante oculos oppressa iaceret
Vita hominum: nec ferre caput, nec mittere contra
Auderet vocem: tantum dabat arcta timoris
Relligio: quæ sese à cœli parte suprema
Ostendebat, & in mentes illapsa fluebat.
Nullam vnquam Phœbus, qui terras lumine lustrat,
Aspexit gentem, cuius non vlla sederet
Relligio menti: quæ libera lumina cælo
Tolleret, & longe rideret tela Cyclopum.
Hinc natum est, diuûm genibus se aduoluere ad arcas:
Velatum verti ad lapidem: tum sanguine multo
Spargere quadrupedum, diuis ridentibus, aras:
Et se sternere humi prostratum: ac pandere palmas
Ante Deûm delubra: ac votis nectere vota.
Quantos tum gemitus ipsi sibi, vulnera quanta:
Quas lacrymas seris peperere nepotibus? eheu,
Omnia complebant mortis nigrore: solutam
Nemo metu cæli seruabat ad omnia mentem:
Nemo foras miseri strepitus Acherontis agebat.
Fulmine deiecti fundo Titania pubes,
Ab genus antiquum terræ, voluuntur Auerni.
At Tityo porrecta nouem per iugera corpus
Tenditur, æternoq; habitat sub pectore vultur.
Tisiphone multo pallam suffusa rubore,
Vestibulum inferni seruat noctesq́; diesq́.
Quinquaginta suis immanis hiatibus hydra
Intus habet sedem, & supra caput imminet vmbris.
Quæ quanquam nullis peperit rationibus error,
Suaserunt animo fines transcendere iuris
Nolle: nec à recta ferri ratione per iram:
Quando ad Plutonem sequeretur pœna nocentes:
Nec Stygis iniustos in morte relinqueret horror.
Si quisquam leges fixit pretio atq; refixit:
Si thalamum inuasit nataesi vendidit auro
Seq; suosq́; omnes: si est impia castra secutus:
Si non est veritus dominorum fallere dextras:
Si quibus innocuo fraus est innexa clienti;
Inclusi expectant pœnam. quidni impia pulset
Corda pauor? retrahatq́; animû non sponte sequentê?
Hoc bene quod validas cui contemnere vires
Numina credebant; hominum neq́ fata timere.
At diuûm muris præfecit Græcia matrem:
Cybele. *Atq́; vrbes eius posuit sub numine tutas:*
Muraliq́ caput cinxit festiua corona.
Illam vis Phrygiæ rapit in deserta leonum:
Si memini, vt mediam librari pondere mons Crent
Tellurem, neq́ posse in terra sistere terram.
Adijciunt gemmos domita ceruice leones,
Quod quamuis rabie liberis furor arma ministret,
Ipsa tamen iubeat collum submittere matri
Naturæ ratio, nec contra ferre parentem
Arma: sed officijs animum demittere victos.
Quà sese populis medias inuecta per vrbes
Infert Gallorum graditur stipata cateruis:
Gallas per Iudibrium appellat Catullus. *Quòd qui non tenuit sæuus linguamq́ manusq́,*
Quin se pollueret violato iure parentis;
Hunc stygiæ exagitent Diræ terraq́ mariq́,
Indignum, liberos oras qui in lumina edat.
At comites iunctiq́ manus, & brachia nexi,
Armati in numerum stabant: pernice chorea
Armati in numerum pulsabant æribus æra:
Quod ne nefas patriæ commune refellere dextra,
Instantemq́ vrbi prohibere à mœnibus hostem
Præciperent? mortemq́ pia pro laude petisci?
Salue sancta Deûm genetrix: tibi Dyndima cantum
Exagitata fremunt: frondes tibi tollit in auras
Ida suas: totum vadit tibi fama per orbem.
Te sine non vllæ replentur ciuibus vrbes:
Te sine non pestem domibus, non mœnibus hostem
Arcent: quæsito aut pellunt ieiunia victu.
Nunc ad te sublata venit mea Musa quadrigis;
Seu bigis; nec enim mihi donat Apollo quadrigas;
Sudermane, tuæ iam nunc spes altera stirpis:
Prima, nisi palmam genitor virtute tulisset.
Aspicis vt varias ætas protraxerit artes:
Atq́ hominum sordes vitæ deterserit vsus:
Vt quæ olim in cœno ante pedes contempta iacebat,
Venerit in summum ingenijs sublata cacumen.
Ex illo retro redit ad cunabula mundi:
Nec melior a potest deinceps sperare relictis.
Nam veluti mulier spatio defessa fatiscit,
Atq́ in se quærit vires, quibus ante solebat
Ponderа ferre vtero, vel nixibus edere partus:
Sic (vires terræ siue ipsa senecta peredit,
Siue ea de cælo nobis venit ira Deorum)
Ad scopulos mundus spatio lassatus abiuit:
Quæq́ dedit quondam tellus ingentia partu
Corpora, vix paruos paruis premit artubus artus.
Sæpè caput quassans durus suspirat arator,
Et dolet incassum sumptos cecidisse labores:
Ac cum tempora temporibus præsentia confert
Præteritis, actam laudat melioribus annis
Vitam; cum angustis tolerarent finibus æuum
Non malè: nec segetes mundo cæli ira negaret.
Ipsæ vrbes etiam alternæ surgunt q́, cadunt q́:
Et patrum quibus ante inuidit stantibus ætas,
Nostra nihil præter seruarunt secula nomen;
Si non & nomen cum re tulit horrida secum
Tempestas bellorum, ac famæ inimica vetustas.
Vnica sese effert virtus super æthera: fine,
Vt res cunq; cadet, nullo claudenda senectæ.
Hanc pete: cætera da ventis rapienda per auras.
Si tibi dij dederint melioribus ire per artes
Palladis auspicijs, & famam extendere factis;
Omnes supra vrbes quondam tua fama feretur:
Quin se tollet humo, ac caput inter nubila condet.
Et cum forte suis se infuderit vrbibus æquor:
Multas exitio dederit ferrumq́, diesq́;
Ipse hominum viuus postfata per ora volabis:
Nilq́ manus in te Parcarum iuris habebunt.

Addam:

Addam: si tibi non læuus ridebit Apollo,
Ipsos exitio populos labentibus annis
Ingenio arcebis. nec longe exempla petantur:
Qui puerum leuibus q́ minis, leniq́ timore
Pellexit, mitem vt peteres per acerba profectum;
Brunius: atq́ nouas aures, sensusq́ sequaces
Imbuit: ac dedit Aonios haurire liquores:
Is quantas oculis vrbes, quas subijcit arces?
Quas ne fama quidem ad nostras vnquam attulit aures.
Quid? quod nonnullas tanquam reuocauit ab Orco
In lucem, quibus interitum iam fata parabant?
Quasdam, quas tenebris pridem nox improba texit?
Atq́ aiunt stygias facto ingemuisse sorores:
17. Precæ Bruno faccnsent *Nec passas animo à quoquam sua pensa teneri:*
Ac casti veterem Hippolyti reuocasse querelam;
Cum vitam extinctus Dite indignante recepit.
Parcite fatales diuæ: nihil ille nec ausus,
Nec voluit, vestris quo inferret finibus arma.
Si vitam dedit; at vitam dedit Æsoni Colchis:
Nec Iouis, aut Phœbi sensit vel tela, vel arcum.
At si cuiq́ libet sua reddere præmia facto,
Longa illi seros ducatis stamina in annos.
Eueniet; mea si quid habent oracula veri:
Aspice, nam in tortos apices se flamma volutat:
Quamq́ prius maior se fundit, & aëra lambit.
Hæc satis: olim aderit; si quid pia numina possunt;
Cum te, qua sacros aperit se callis in hortos,
Aonas in montes ducam, modò vita manebit:
Inuidia est? sperabo tamen: nec vota fatiscent.

D. ADAMVS VVACHENDORF, GEORGIO BRVIN AGRIPP.

DEPICTAM ciuitatem Gedanensem ad me perlatam esse non dubito, quin ex litteris meis XXII. Iunij datis, cognoueris, nunc verò tuis XIII. Et XX. Iunij scriptis, quibus enarrationem misisti, copiosius respondere volenti, ecce, ingens litterarum fascículus à D. Doctore Sudermanno adfertur, cui & tuæ XX. Iulij datæ, inuolutæ erant. Ad enarrationem, quod attinet, non possum, quin mihi gaudeam, patriæque nostræ ex animo gratuler, quod talem rerum suarum præconem nacta sit, qui eam à perpetua obliuione asserere, totique terrarum orbi commendatissimam, notissimamq́; facere non dubitauerit. Egregium me herculè facinus, nec à quoquam hactenus tentatum. Sed tuo ingenio quid acutius, perspicaciusque esse potest? Qui tam accuratè, tantoque cum iudicio de origine & nomine ciuitatis disseris, eamq́; densissima caligine abstrusam, & vix vlli ante hac, quoad eius primordia, satis cognitam, ex intimis historiarum visceribus eruis, luculentissimaq́; enarratione tua omnibus ita conspicuam facis, vt iam toti mundo possit esse notissima, quo nomine, omnes patriæ nostræ ciues tibi quam deuinctissimos esse, & me quoq; tibi quamplurimum debere, ingenuè fateor. Quare, quantum in me erit, operam dabo, vt re quoq; ipsa me haud ingratum fuisse, experiaris, &c. Vale.

Ex Musæo nostro Londinensi, ad Tames in flumen. VI.
Augusti, Anno verbi incarnati,
M. D. LXXV.

CANTABRIGIA.

GVILIELMVS SOONVS GEORGIO BRVINO S. P. D.

MVnus quòd ex præclara tua ſuppellectile depromptum, politiſsime vir Bruine, ad me miſiſti, mihi, ne mentiar, pers gratum accidit. Eſt enim Moſcouiæ gentis, quæ Scythia veteribus fuit, elegans, noua, & accurata deſcriptio. Itaq; ea, iam non ad oculos paſcendos, ſicuti præcipis, vtar, ſed multo magis ad animum erudiendum: neque in Muſæo ſolùm collocabo meo, vt tuæ ſuauitatis mihi memoriam ſubijciam, ſed etiam mentis inueſtigatione, perpetuo pers agrabo. Quod verò me rogas, vt quæ de Cantabrigia acceperim & cognorim, ea literis mandem, etſi me domeſticæ occupationes ſuſceptarum rerum, & iam inſtitutarum valde diſtentum tenerent, & inopia librorum eorum, quibus ad hanc rem opus eſt, laborarem, ſtudio tamen tuo honeſtiſsimo, negare non potui, quo minus ex occupationibus meis, tantulum temporis eriperem, quod tibi commodarem. Quod eo etiam minus grauatè feci, quo inſtitutrici meæ, hanc ſaltem tenuem gratiam referrem, vt verentem iam extrema ſenectute, ex Inſula in Continentem traijcere, Oceano præſertim Geuſijs latrocinijs infeſto, & verecundantē, iam ſolito deformiorem in theatrum prodire, manu mea deducerem, & in vrbium clariſsimarum, digniſsimam quidem illam tali comitatu, confeſſu collocarem. vnaque opera, ex inquinatorum noua ſuperſtitione hominum manibus ereptam, tibi homini ſanctiſsimæ Relligionis ſtudioſiſsimo, tuendam & ornandam traderem.

Anno orbis conditi 4095.

Cantabrigia igitur Academia, primi conditoris ſui Cantabri, Ducis Hiſpani nomen, & famam refert. Is enim, imperante Britannis, Gurguntio, Belini Regis filio, primus, accerſitis Athenis vſq; magnis propoſitis præmijs Philoſophis, domicilių ibi literarum collocauit. Ita hanc omnium bonarum artiū ſedem, Chriſti ortū trecentis nonaginta quatuor annis anteceſsiſſe Bedam & Alfridū authores, ſequutus Ioannes Lydgatus, tradidit, & Lanfrācus Richardus Diuiſienſis, Ioannes Herriſonus, Nicolaus Cadnæus, multiq; alij hiſtoriarū ſuarum monumentis prodiderunt, & temporū ratio ad numeros reuocata comprobat. Hæc eadem à Granta fluuio præterlabente, & maritimas cōmoditates excipiente, Saxonum lingua, poſtea Cairgrant, Granteceſtre, & Grantebrige, vocitata eſt. Ex pontifi

A Chriſto nato 188.

cibus verò primus, Academiā comprobauit, & auctoritate ſua muniuit, Eleutherius, regnante iam tum in Britannia, Lucio. Qui, princeps regū Britannorū, miſsis Romā Eluano, & Meduino Legatis, ad Chriſti nomē & cultū, cum ſubditis ſibi populis, aggregatus eſt.

307. 344. 458.

Multas interea clades perpeſſa, bello primū, quo inter ſe Diocletianus & Maximinus teterrimi tyrāni, conflictati ſunt, conflagrata eſt, reuocataq; ad vitam ab Octauio, qui multa ſtudiorum hoſpitia exædificauit, ſecundam deinde cladem, à Saxonibus, cum Pelagiana ſchola coniunctis, accepit, dum eam arcere, & profligare diſputationibus ſuis, Diuini homines Cantabrigenſes nituntur. Atq; ex hac clade, Vortigero auctore, emerſos, excepit tertia calamitas, quæ Academiam planè excidit, à Pictonibus & Saxonibus, alienis à Chriſti nomine gentibus, importata. Horum ſæuitia, ex vnis Bangorenſibus monachis, bis mille trucidati ſunt. Cadvvalladrus Rex, qui poſt, abiecto regio ſplendore, monachorum humilem cultum induit, cum eam ex hac vaſtitate reſtituiſſet, quarto à Cymbris, quos nunc Danos vocant, hominibus ſuperbiſsimis, ducibus Inguar & Vbba, incenſa eſt. Reſtitutaq; deinde ab Alphredo primo Anglorum Monarcha, in hunc vſque diem perducta numerat, hoſpitia ſtudioſorum decem & nouem. Collegia verò quatuordecim, tanta æ-

538. 624. 870. 872.

dificiorum magnificentia, tantisq; opibus, vt regia palatia eſſe dicas, non domicilia ſtudiorum. Scribit aluiſſe eam ſua ætate, Ioannes Maior, homo Scotus, ad quinque, aut ſex etiam millia ſtudioſorum. Veſtitus communis omnibus ratio, pileus ſacer. Sacrum dico, qui ſacerdotum caput ornat: Toga ad talos vſq; producta, eadem forma, qua ſacerdotum. Nulli extra collegia viuunt in ædibus ciuium: perpetuas cum ciuibus rixas, & pugnas habent. Quod maximè perſpicitur in certaminibus ludicris, quæ æſtate in platæis, clypeis ictus declinantes, & cæſtibus vulnera inferentes, exercent. Periclitandę virtutis ſuæ cauſa noctu egreſsi clauis prægrauibus, quales Herculeas fuiſſe dicas, ferro tranſuerſo, quò vim à capite arceant, armatis, rem gerentes, vigilias ſæpè cedunt. In platæis ambulantes, decedi ſibi de via, non à ciuibus ſolum, ſed etiam à peregrino quouis, niſi dignitate excellat, poſtulant: vt iam in prouerbij locum venerit, equum Royſtonium (eſt autem pagus Royſtonum, vnde Londinum hordeum coctum, equis impoſitum peruehitur) & magiſtrum Cantabrigenſem, duo eſſe animalium genera, quæ nemini de via cedant. In petitionibus honorum, grauiſsimas inter ſe ſimultates exercent, nationes Aquilonares & Auſtrales, ſicuti Oxonij fieri contingit inter Cambros, quos nos Germanica voce, Wälſchen, vocamus, & Anglos reliquos, quos illi ſua lingua, Saxones vocant. Ianuarium, Februarium & Martium meſes, vt noctis tædia fallant, in ſpectaculis, populo exhibendis, ponunt, tanta elegantia, tanta actionis dignitate, ea vocis & vultus & motus moderatione, ea magnificentia, vt ſi Plautus, aut Terentius, aut Seneca reuiuiſceret, mirarentur ſuas ipſi fabulas, maioremque, quàm cum inſpectante pop. Ro. agerentur, voluptatem, credo, caperent. Euripidem verò, Sophoclem, & Ariſtophanem, etiam Athenarum ſuarum tæderet. Magiſtratus perpetuos habent. Cancellarium, qui hodie eſt Guilielmus Cecillus, Burgleij dynaſta, Regius ſecretorum ſcriba. Oeconomum, quem magiſtratū Robertus Comes Leyceſtrenſis obtinet. Syndicum; hominem ex iuris municipalis ſcholis eruditum, quod Gilberto Gerardo Procuratori fiſci munus obtigit. Mandatarium deniq;, Cancellarij; cuius muneris dignitatē ſuſtinet Ioannes Ithellus Legum Doctor. Neque enim hi magiſtratus alijs, niſi qui in ſumma dignitate poſiti ſunt, mandātur, quique auctoritate ſua, potentiorum iniuria, Academiam prohibere poſſunt. Annui verò magiſtratus ſunt. Procancellarius: ad quem omnia referuntur. Procuratores: qui moderatores Scholarum, & Præfecti vigilum ſunt, & curā carnis habent, vt ſalubris victus ſit. Taxatores: qui Annonæ præſunt. Scrutatores denique, qui ſuffragia in Curia colligunt. Prælectoribus: qui extra ordinem Theologiam, Ius ciuile, Medicinam, Hebraicas, Græcas literas docent, ſingulis eſt conſtituta merces centum & quadraginta aureorum ſolarium, in annos ſingulos. Viatores, qui Pedelli, vulgò vocantur, omnes nobilitatis titulo ornantur, excepto vno, qui Procancellarij ſtator eſt. Quid quæris? Qui Lutetiam primùm ad ſtudia ex Inſula appulſus fuerim. Qui inde Dolam Sequanorum commigrarim. Qui Dolam relinquens, Briſgoyorum Friburgum me contulerim. Qui hinc Alpibus ſuperatis, Antenoris Patauium frequentarim. Qui Louanium, ſcholam multos annos habuerim, in qua ex ſuperiori loco, multa dixerim. Qui Romæ in conſeſſu Doctiſsimorum virorum diſputauerim. Qui Coloniæ Agrippinæ docuerim. Qui multa præterea periclitatus fuerim, quantuluſcunque his omnibus rebus viſis, auditis, lectis, vſu pertractatis, adiudicandus ſum, hoc verè affirmare poſſe videor, huius Reip. Scholaſticæ ſummam dignitatem eſſe ſummam amplitudinem. Cum in curiam coguntur Ordines, quod fit, viatore collegia omnia hoſpitia; obeunte, & in area altera manu ſceptrū inauratum tenente, altera verò caput aperiente magnaq; voce in certum diem & horam concilium indicente, adeſſe putes Ampliſsimæ cuiuſuis Reip. prudentiſsimos Senatores, & grauiſsimos. Denique in his collegijs iucundiſsima eſt & liberaliſsima viuendi ratio. Ac ſi mihi daretur optio, & mea hoc ratio ferret, hanc vitam cuilibet regno anteferrem. Vale Coloniæ Agrippinæ, pridie Pentecoſtes 1575.

CANTEBRIGIA, opulentissimi Anglię Regni, vrbs celeberrimi nominis, ab Academię conditore Cantabro, cognominata: A Granta, fluuio vicino, Cairgrant; Saxonib. Graunteces Tre, et Grantebrige, iam olim nuncupata.
HOSPITIA ARCISTAR
1 Kinges Hall
2 Michaell howse
3 Physwicke, Ostell
4 Gregorye Ostell
5 Garett Ostell
6 S Marie Ostell
7 S. Austines Ostell
8 Bernarde Ostell
9 S. Thomas Ostell
10 Buttolph Ostell
HOSPITIA JURISTAR
11 Ouins Inn
12 Paules Inn
13 Clemens Ostell
14 Trinitie Ostell
15 S. Nicholas Ostell
16 Burden Ostell
17 Domus Pythagorce
18 D.S. Bedae
19 Crates ferrea vbi olim pons Canteber a Cantebro, vnde Cantebrigia.
Christes Colledge
Iesus Colledge
Gray Friers
Trinitie Chaebe
Markett hill
Augustine friers
Pastall close
Lutburne lane
Trumpington street
Penbroke hall
Warde
Heighe
S. Iohns Coll.
S. Clemens
Bridge Warde
Bridge street
Castell
Magdalen Colledge
S. Giles
S. Peters
Parochia omniū sanctorū ad Castrum
Kinges Colledge
Kinges Colledge chap.
Queens Coll.
White Friers
Peter howse
Kings mill
Newnam

VINDESORIVM CASTRVM.

VINDESORIVM, Regium in Anglia castrum, Arturi Regis tempore, prima fundatione, constructum putatur, ac deinde ab Edoardo tertio multis adauctum ædificijs, collem situ peramœno, decem & octo milliaribus, à Londino, primaria Regni vrbe, occupat. Distat à Tamesi, qua id maximum Angliæ flumen, Meridiem, & Septentrionẽ respicit, CCCCX. passibus. Agrum habet incredibili amœnitate planum, atq; compascuum, adeò quidem, vt oculorũ aciem, ad duodecim milliaria, sine impedimento aliquo, extendere facilè possis. In quo venatores ac nobiles viri falconũ aucupio, feris indagandis & consequendis, exercẽtur. Castrũ hoc, regia sede, & magnificis regũ sepulchris, atq; Garetteriorũ sodalium cæremoniâ, celeberrimũ est. Hæc aũt equestris societas, ab Edoardo tertio, qui à Ioanne Gallorũ Rege capto, speciosissimè triumphauit, est instituta: Sunt verò Garetterij equites, bellica virtute, vetustateq; nata liũ lectissimi duces, qui solenni sacramento adacti, mutuæ, perpetuæq; amicitiæ se deuouent, nec ad tuendũ Collegij decus, nobili conspiratione quoduis periculũ adire, nec subire mortem recusant. Garetterij aũt Sodales ob id appellãtur, quòd sinistri cruris surã fibulato baltheolo vinctã, gestent, in memoriã caligariæ fasciolę, quæ illustri fœminę, ab Edoardo flagranter adamatæ, dum ea choreã saltaret, soluto fortè nodo, deciderat, eamq; Rex ipse repentè sustulerat, vt in honorẽ mulieris, non amatoria vanitate, sed graui, & maximè honesta ratione, insigniũ procerũ tibijs dicaretur. Eius aũt Collegij cęremonia, Vindisoriæ quotãnis, statо die, Diuo Georgio equitũ tutelari dedicato, præsidente Rege, celebratur, mosq; est, vt sodales galeam & scutum, cum gentilitijs insignibus, conspicuo templi loco, suspendant. In hunc ordinem Herculem superiorem Ferrariæ Principem, honoris causa cooptatum ab Henrico septimo fuisse, referunt. Tres præcipuas areas latas, castrum hoc Vindisorium, non sine grata spectantium voluptate, ostentat. Quarum prior nitidissimis ex candido saxo, supernè planis, plumboq; contectis ædificijs cincta, Garetterijs equitibus hospitia præbet. Habetque insularem in medio domum, præcelsa turri conspicuam, quam Gubernator, præfectusq; castri inhabitat. In ea publica est culina, suppellectili, rebusq; culinarijs atq; domesticis instructa, & spatiosum triclinium, in quo equites, communi quotidiè mensa vtuntur. Ad hanc aũt Garetteriam societatem Angliæ Rex ac gubernator, idoneas, pro volũtate sua personas, deligit: quas nobili ex parentela, tertio propinquitatis gradu esse oportet, quiq; ob grauiorem ætatem, reiq; familiaris angustias, precibus Deo offerendis, quàm bellicis tumultibus magis habentur idonei. Singulis pensionis annuæ XVIII. libræ, denarij V. assignantur, & vestis. Huius autem tam magnificæ fundationis præcipuum institutum est, vt pro incolumitate Regis, pro fœlici administratione regni, quotidianas ad Deum preces fundant, hinc rebus diuinis vacant, & bis quotidie ad sacellum, orationis gratia, conueniũt. Hæc etiam area ad lævam, magnifica structura exornatur, Sacello peraugusto, CXXXIIII. passus in longitudine, & XVI. in latitudine colligens. In eo, pro Equitum numero, decem & octo subsellia, à temporibus Edoardi tertij parata habentur. Estq; ædicula hæc sacra, magnificis Regum monumentis decorata, Edoardi IIII. Henrici VI. & VIII. Eiusque coniugis Reginæ Ioannæ. Sacellum hoc regia liberalitate dotatum 2000. libras annuatim habet, qui quidem prouentus Edoardi III. Et Henrici VII. Regum munificentia, plurimum sunt adaucti.

Altera, editiore in loco Arcis Vindesorij Area, validissimis cincta muris, turri, & magnificis ædificijs clara, vetus quondam Castrum fuit. De quo hunc in modum veterũ annales. Anno Domini 1359. Rex Edoardus incipit nouum ædificium in Castello de VVindesore, vbi natus fuerat, ob quam causam illum locum amplioribus ædificijs, & splendidioribus decorare præ cæteris procurauit. In hac castri regione Ioannes Galliæ Rex, & Dauid Rex Scotiæ, de quibus vno eodemq; tempore Edoardus tertius magnificè triumphauit, tenebantur captiui. Quorum consilio, ob iucundam loci amœnitatem, & sumptibus, ob sui redemptionem, hoc castrum in eam magnificentiam paulatim excreuit, vt non arx, sed iustæ magnitudinis, & humanis præsidijs inexpugnabile oppidum, videatur. Et hæc quidem castri regio, solius Scotiæ regis, vnica excepta turri, sumptibus constructa est, quam, quia VVinchestorie Episcopus, sodalitij equestris prælatus, condidit, VVinchestriæ turrim, appellitant. Hæc gradus habet C. ea opificum industria perfectos, vt facilem equis ascensum præbeant. CL. passus in ambitu continet. In ea omne armorum genus, ad arcis defensionem necessarium, asseruatur.

Tertia demum celeberrimi Vindesorij regio longè amplissima, captiui Gallorum Regis impensarũ sumptibus ædificata, vt editiore situ, ita elegantia atq; nitore priores longè superat, Ea CXXXVIII. passuum longitudine, Et XC. VII. passibus in latum protenditur. In medio fontem limpidissimæ aquæ, per occultos terræ meatus, quatuor milliarium spatio, maximis sumptibus deductũ, ostentat. Sumptuosissimis insuper ædificijs clausæ, qua orientem spectat, regiæ nobilitati tecta præbet. Meridiem versus Sphæristerium habet aulicæ recreationi destinatum. Septentrionale verò latus, domus regia, magnificis cœnaculis, aulis, & hypocaustis, priuatoq; sacello, decenter ornatur. In eo quoq; amplissima illa cœnatio conspicitur, LXXVIII. passus longa, lata verò XXX. In qua solenni & peringenti sacrorum pompa, annuam S. Georgij tutelaris Diui memoriam, Garetterij equites celebrant. Inde CCCLXXX. passus in longum, septem verò in latũ ambulatio colligens, incredibili venustate se offert, fulcimentis ligneis vndequaq; cõsepta, quæ nobilibus magnificisq; viris sustentacula præbet, vt inde venationes, & falconum aucupia, in area admodum laxa conspiciant. Nam prata ac pascua, vario herbarum ac florum genere vestita, perenni viriditate, collibus ad castrum vsq; leniter intumescunt, deinde in libratam planitiem, maxima spectantium voluptate, sese extendunt. Hæc ex multis alijs, quæ D. Emmanuelis Demetrij, & D. Georgij Hofnagelij præstantissimorum lectissimorumq; virorum opera, cõscripta habuimus, pro capacitate paginæ paucis delibauimus. Cæterumsi quis plura de inclyta hac Angliæ Arce, de Garetteriorum equitum origine, instituto, ac vita scire desiderat, is Angliæ descriptores consulat. Hæc autem, quæ laconica breuitate pro vnius tantum pagellæ, & loci ratione paucis perscripsimus, accuratissimus arcis, ipsiusq; vrbis Oxonienſis depictor D. Georgius Hoffnagel, ciuis Anuerpianus, per humaniter nobis exhibuit.

OXONIVM vvlgò OXENFORD.

OXONIVM, Bellositum, ob loci amœnitatem olim dicta, ad septentrionalem Tamesis ripam ciuitas, ab Anglis Oxenford, à nostratibus Rhyd ychen, id est, boum vadum, Latinis verò Oxonium dicitur: sed, quod nomẽ antiquitus habuit, penitus ignoratur: Alij tamen Caer Vortigeru, & ab eo conditum (quibus ego non accedo) affirmant. Nam Gildas scribit eam ciuitatem ædificatam fuisse in Occidentali insulæ parte, & ego credo in regione Cambriæ, quæ nunc ab eo nomen habet, Gurthsonion sitam fuisse. Lelandus noster Ouseford, id est, Isidis vadum dicendum esse mordicus tenet, cui viro, optimè de Britannis merito, & in antiquis historijs exercitatissimo, refragari non audeo: nam supra Isidem sitam esse constat, & tempus multa locorum nomina corrupisse in propatulo est. Sed quodcunq; habuit ab initio nomen, pulcherrimum & saluberrimum habet situm, regionemq; omnia necessaria affatim ministrantem, bonarumq; literarum celeberrimam scholam, vt omnes, qui alias Europæ Academias adierint, facilè agnoscunt. Hæc Humfredus Lhuyd, commentario descriptionis Britannicæ. Alij patrij soli amore, miram eius antiquitatem ambientes, Saxonas Oxonium appellasse ferunt, quòd prius Bellositum dicebatur: Alij ex Gual. Monumentensis lib. 1. de Britannorum origine, Oxonium Britannico nomine Caerpenu helgoit appellatum tradũt. Sed has, aliasq; errori propinquas de Oxonij antiquitate sententias, Ioannes Caius lib. 2. de Cantabrigiensis vniuersitatis origine, refutat.

OXONIVM *nobile Angliæ oppidum, Septentrionalem ripam elegantissimo atque salubri situ illius frat*

Depingeb. Georg. Hoef. nagle.

MERIDIES.

VINDESORIVM *celeberrimum Regum locus amoenissimus: ædificia magnifica: Artificiosa sepulchra: & illustris Garetteriorū equitum Societas reddunt*

Depingebat Georgius Hoefnag.

SEPTENTRIO.

Cum Priuilegio

OCCIDENS.

ALHAMA.

ALHAMA, haud ignobile Hiſpanię oppidum, ſeptem milliaribus ab ampliſsima Granatenſiũ vrbe diſtans, à Mauris cõſtructum certiſsimis hiſtoriarum monumẽtis perhibetur, à quibus etiã maxima ex parte, ante poſtremam ipſorum ſeditionem incolebatur, quos rei frumentariæ negotiatio, & aſsidua agrorum cultura alebat. Situ tam eſt amœno, vt agreſtibus Afris regnum Granatẽſe quondã tenẽtibus, optatiſsimos receſſus, regiam quaſi ſedem & aulam ipſis Maurorũ Regibus præbuerit. Eò, quòd varijs, multisq; dotibus, hoc oppidum, agrumq; vicinum ipſa natura locupletârit, adeò, vt locus ipſe, ſuapte quidẽ amœnitate & vbertate voluptati ac gratijs videatur eſſe dicatus. Etenim, tam fertilitatem ſoli, quàm altiſsimas atque præcipites montium rupes, valles atque fontes conſideranti, nihil ad oblectationem hoc loci deeſt. Quas quidem omnes Dei Opt. Max. naturæque dotes, aquarum calidarum vberrimi fontes, infinitis propemodum modis ſuperant. Qui peculiari, & ſecreto naturæ miraculo, ſponte, nullo planè externo Vulcani artificio adhibito, calent, eò, quòd nati in intimis terræ viſceribus riuuli (nempe vaporis à circunſtante frigore in aquam condenſatione, vt Ariſtoteles lib. I. Meteor. cap. XIII. docet) per occultas cauernulas venasq; fluitantes, in loca ſubterraneis ignibus plena, aut ſulphureas in venas incidant, à quibus calefactæ, naturalem ſecum calorem deferunt. Hæ autem, iuxta Alhamæ oppidum thermæ, vel principem, inter Hiſpaniæ miracula, locum, optimo ſibi iure vendicant. Eſt quidem varia & præſtans in Germania paſsim thermarum, cùm ſaporis, ponderis, feruoris, tum coloris maximè gratia, conditio. hæc autem aqua limpida, tanto nitore videndi ſenſui ſeſe offert, vt vel exiguus in fundo numulus, perfacilè agnoſci queat. Et, nec tepida, nec prorſus feruens, moderato calore eſt, quem nudum hominis corpus commodiſsimè ferat. Et quia ſapore amaro, aut ingrata aliqua naturæ qualitate infecta non eſt, etiam pota, ad varias corporis ægritudines curandas, efficaciſsima eſt. Itaq; frequens eſt huius balnei in Hiſpania vſus, eò, quòd tam benè valentibus, qui voluptatis gratia lauare, cutemq; curare cupiunt, oportunè deſeruiat, quàm ijs etiam præſidij, & medicaminis loco habeatur, qui quocunque morbo laborant. Quotidianis ſiquidem experimentis probatur, quòd mirifica medendi facultate polleat. Quinetiam ſingularis artificum induſtria naturalem hanc balneorum amœnitatem, ſtructuræ elegantia, multum adauxit. Sunt etenim fornicata viuo ſectoque ex lapide loca, gradibus peroportunè exſtructa, quibus calidam in aquam, pro diuerſa lauantium voluntate, deſcenditur. Huius autem balnei, Martio atq; Septembri ſalutaris potiſsimum vſus, vulgari Hiſpanorum conſuetudine, exiſtimatur. Eſt & ampla hîc domus, in quam ex vniuerſa paſsim Hiſpania hoſpites diuertere ſolent, quæ vti omnem in ſtabulis commoditatem equis atq; iumentis, ita cubicula, ſpondas, lectos, lodices, focum, cæteraque valetudini recuperandæ neceſſaria, hoſpitibus præbet. Iuxta hoc oppidum præcipites arduorum montium rupes, videntur, ex quibus riuulus, graui murmure delabitur, qui ex niuoſis, iuxta Granatam montibus, tanta frigiditate exoritur, vt inde, El Rio frio, hoc eſt, Riuulus frigidus, nomen habeat, Thermarum muros alluit, & calidam ex balneis aquam abſorbet. Præcelſæ ſunt & aſperæ horum montium rupes, & quò horridiora ſaxa, magis præcipites, conuulſæq; ſunt valles, eò vehementius mirandum, quanam mortalium induſtria, crucis ſignum, præcipiti montis dorſa, ſit impoſitum, cùm aſcenſu non modò difficile, ſed planè inacceſſum ſit eius faſtigium. Alhamæ hoc oppidũ Archiepiſcopatui Granatenſi ſubeſt, templum habet nouum, & artificioſiſsimâ ſtructurâ, nobile, à Chriſtianis, deuotionis, pietatisque gratia, ædificatum.

ALHAMA

Cum Priuilegio

Depingebat Georgius Hoefnagle aº 1564.

ANTEQVERA.

NTEQVERA, Oppidum in Hiſpania Regni Granatenſis admodum memorabile, ſitu eſt montoſo & inæquali, atque à Mauris, prima fundatione, conſtructum, qui validiſſimis idipſum muris cingere cœperunt, ea potiſſimum parte, qua montium dorſo ſuſtinetur, qua verò in planitiem ſe leniter extendit, Chriſtianorum labore ac ſumptu perfectum eſt, & mœnijs defenſioni oportunis circundatum. Caſtrũ habet in montis vertice, Alcaſſalia, vulgò dictum, vti amplum, atque magnificum, ita probè munitum. In quo Mauris, hæc loca tenentibus, Granatæ Reges vt plurimum, & ſæpius, quàm Granatæ, loco aliqui læto, ac peramœno, agere ſo lebãt. Eò, quòd lætiſſimus vndique ager, videndi ſenſum, ex hoc caſtro, tanquam ex ſpecula, quocunque oculorum aciem conuertas, mirè afficiat. Adhæc, fontium hic ſit nitidiſſima aqua lucentium, tanta frequentia, quanto ſuauiſſimo riuulorum murmuri concitando, ſufficiat, quos varijs in locis hic aſperi, & cauernoſi montes, gelida aqua fœti, vberrimè euomunt, qua Mauri, quotidiano vſu admodũ delectantur. Eius caſtri portæ ſunt omnes ferreæ, in quo hoc etiã tempore plurima Maurorum bellica, & caſtrenſia inſtrumenta aſſeruantur, veluti loricæ, ſpicula, gladij, ſcuta, ex pelle & ferro affabrè confecta, quibus vniuerſum obtegunt corpus, & hoſtium tela excipiunt. Squamoſa etiam & oſſea inſtrumenta, quibus ſiniſtri brachij anteriorem partem communiunt, ne, dum ſagittas ſæpius in hoſtem contorquent, recurrentes arcuum nerui, manicarum plicis impediantur. Videntur & oblongæ Maurorum haſtæ: ſagittæ, hamato præacutæ ferro, & arcus ex nobili ligno confecti, quod ob ſubtilitatem humoris extenſum, mira facilitate in priorem ſitum redit. In quibus ſumma Maurorum gloria, & ſpes quaſi extrema, dũ manus cum hoſte conſerunt, eſt repoſita. Tanta ſiquidem arte, vi, atque induſtria hos arcus contorquent, vt loricam, & ferreum, ſolis ardore, atque geſtatu calefactum, thoracem, ſine difficultate ſæpè traijciant, ac penetrent. Moseſt his amentatã geſtare haſtam, ſagittariam thecam, qua iacula circunferunt, quorum etiam aliquot compreſſo femore tenere ſolent, ſcutum, & arcum, & celerrimis, leuioriſq; armaturæ equis inſidentes, panſis incredibili velocitate lacertis, ſagittas tanta frequentia & celeritate in hoſtes ſpargunt, atque excutiunt, vt frequenter poſtremarum acierum, & earum quidem longius diſſitarum ordinem, telorum quaſi gradine frangant. Quod ſi Saxonibus, atq; Germanis noſtris, grauioris armaturæ equitibus, minaci bombardarum fulmine furioſis, cum his tam frequenter, quam Hiſpanis in arenam prodeundum eſſet, aut mitius de equitatu ſuo ſentire, aut fortè ſobrius viuere diſceret. Iuxta hoc caſtrum, vt inſtitutum noſtrum proſequamur, homines nobilitate clari, tam loci amœnitate, quàm aëris puritate adducti, domicilia ſua habent, latiſſimam verò ſubiectam planitiẽ agriculturæ ſtudioſi incolunt, & ij quidem opum affluentia fœlices, quas partim ex agris, partim ex ſalarij opificio, quod maiori ferè parte exercent, vberrimo prouẽtu, conſequuntur. Nam in vicinis oppido montibus, plurima ſunt loca, ſalinis, naturæ beneficio, oportuna, vbi paſsim incredibili abundantia candidi ſalis grumos conſpicias, quod quidem non artificioſi ignis adminiculo, vti in Saxonia & Zelandia, maximis ſumptibus, ſed ſolis ardore, quemadmodum ad vrbem Calaritanam in Sardinia, & iuxta Ceruiam in Romanula, ſiue Romandula, concoquitur. Aeſtiuis enim menſibus, tam fontium, quàm pluuiali in his montibus aqua collecta, vehementi ſolis ardore concreſcit, actandem excoquitur, vndetantam ſalis copiam conficiunt, quæ magna ex parte huic Hiſpaniæ tractui ſufficiat. Iiſdem etiam in montibus fodinæ ſunt inexhauſtæ, ex quibus præſtantiſsimi lapides ad ſumptuoſiſsimorum operum & ædificiorum ornamenta idonei, eruuntur, qui latè patenti, & ampliſsimæ negotiationi occaſionem præbent. Quin etiam hi montes alterius quoque lapidis fœcunditate præſtant, quem, Hieſſo, vulgare Hiſpanorum idioma, nuncupat, ex quo calcem, imò multo præſtantius gluten conficiunt, quod vſitato nunc nomine Architecti, Tarras, appellitant, quod muros, & ædificia conſolidandi, & cõfirmandi vim maximam habet. Hoc ſiquidem lapidis genus, igni concoctum, contuſum, per incerniculum cribratum, & aqua deinde maceratum, calcem, & tenaciſsimum reddit cementum, quod in priorem ſoliditatem deinde coaleſcit. Quo ſtructuras, tanta induſtria, componunt, & tenaciſsimas muris incruſtationes ſuperinducunt, vt ædificia continuo ex lapide nata, non manu facta, aut compoſita videantur. Eadem etiam calce, ſiue potius gypſo, glutinatores vtuntur, in obturandis fictilijs & ligneis vaſis, quæ condimentis & vario fœta liquore, in Indiam, & has noſtras regiones tranſmittunt. Mirum autem eſt, quo naturæ miraculo, quaſi ſopitum in ſe ignem hic lapis retineat. Quod quidem, cum admirari, quàm ſcrutari, atq; pernoſcere multo ſit nobis facilius (Differentię enim naturarum, non Ariſtotele tantum, ſed & ipſa rerum veritate aſſerente, ſunt nobis incognitæ:) D. Auguſtini de eiuſcemodi lapidibus & calce ſententiam adſcribere placuit, ex XXI. de Ciuitate Dei lib. cap. IIII. In quo, dum venuſta narratione, plurima recenſet, quorum humano ingenio ratio, non poſſe dari videtur, etiam de calce, inquit, Intueamur miraculum calcis. Excepto eo, de quo iam ſatis diximus, quod igne candeſcat, quo alia tetra redduntur, etiam occultiſsimè ab igne, ignem concipit. Cumq; iam gleba tangentibus frigida ſit, ignem tam latenter ſeruat, vt nulli noſtro ſenſui prorſus appareat, ſed compertus experimento, etiam dum non apparet, ſciatur eſſe ſopitus: propter quod eam calcem viuam dicimus, velut ipſe ignis latens, anima ſit inuiſibilis, viſibilis corporis. Iam verò quàm mirum eſt, quod cum extinguitur tunc accenditur, vt enim occulto igne careat, aqua ei infunditur, aquaúe perfunditur, &, cum ante ſit frigida, inde feruelcit, vnde feruentia cuncta frigeſcunt. Velut expirante ergo illa gleba, diſcedens ignis, qui latebat, apparet, ac deinde tanquam mortua ſic frigida eſt, vt adiecta vnda, non ſit arſura, & quam calcem vocabamus viuam, vocemus extinctam. Quid eſt hoc, quod huic miraculo addi poſſe videatur? Et tamen additur. Nam ſi non adhibeat aquam, ſed oleum, quod magis ſomes eſt ignis, nulla eius perfuſione feruelcit. Hæc quidem Auguſtinus, de viuæ & mortuæ calcis miraculo. Porrò, vt ad oppidum, de quo nonnihil ſumus digreſsi, redeamus. Viſendæ & ſuſpiciendæ capacitatis vaſa fictilia, quorum formam in vrbis icone ſpectator habet, hoc loci conficiunt, quæ Gaſteria, hoc eſt, ventricoſa, cum Dioſcoride non ineptè dixeris, ad condenda & aſſeruanda cibaria, & cuiuſcunq; generis liquores, aquam, vinum, oleum, cappares, oliuas, &c. quorum vel vnicum modò, ob incredibilem ſui capedinem, integræ familiæ domeſticæ refocillandæ, toto anno ſufficiet. Hæc vulgò, Tenaias, nuncupant. Fauces & cacumina montium, numero, 6. in lamina ſignatorum, quia aſininæ gingiuæ formam præ ſe ferre videntur, la Bocca del aſino, Hiſpanico idiomate appellãtur. Per iſtorum autem montium valles, publicum & vſitatum iter, Malagam vſq; ſuſcipitur, quod antiquum eſt, & præſtans Hiſpaniæ oppidum, octauo ab Antiquera lapide diſtans. Hæc ferè omnia à præſtantiſsimo viro D. Georgio Hofnagel, Iconis depictore ſic Flandrico idiomate accepimus.

ANTEQVERA.
1 Las hiesserias.
2 Camino de Seuilla
3 S. Francisco
4 S. Pedro
5 Los Theatinos
6 Boca del asino y camino para malaga
7 Iglesia major nuestra señora de gratia
8 El alcassaua
9 Casa del cabiltlo
10 S. Sebastian
11 S. Antonio
12 S. Augustin
13 Nuestra Sennora de los
Depingebat Georgius Hoefnagle
ANTIQVERA Hispanię in regno Granatensi oppidum olim Maurorum Regia; situ peramoeno; salis foecundjtate; lapidum fodinis, & figulina commendabile

VEGEL

VEGEL, Exiguum quidem, at ſitu & opere clarum Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, ſeptimo à Caditano opp. lapide meridiem verſus diſtans, colli, lætiſsima vndique planicie cincto incumbit, ita vt inde circumquaque proſpectus pateat, quo vſq; oculorum acies extendi poteſt, tam in lætam laxamq; planitiem, locaq; compaſcua, verſus ſolis exortum, quàm in Africæ montes, & oram circa meridiem. Tum etiam in vaſtum & tumultuoſum oceanum verſus ſeptentrionem proſpicitur. Eius incolis piſcatus ad communem victum neceſſaria abunde ſupped itat. Non ita procul ab hoc oppido Oceanus angu ſto freto, Europam ab Africa exiguo interuallo diſpeſcit, quæ quidem anguſtiæ vernaculo idiomate Hiſpanis Eſtrechio de Iubraltar, communiter autem, Fretum Herculis nuncupatæ, in Hiſpania Iubraltar opp. à Mauritaniæ opp. Ceuta ter mille P. ſpatio diſterminant. Hinc etiam præcelſus Mauritaniæ mons Abila, quem nautæ germani, den Scheminkelberg/ nominant, conſpicitur, cui in Hiſpania ad fretũ hoc Gaditanum mons Calpe, altitudine conſpicuus reſpondet. De his autem montibus, & Gaditano Freto, præter innumeram ſcriptorum turbam, hũc in modum Dionyſius Alexandrinus, eiuſque commentator Euſtathius, Mineruæ, rerumq́ue nouarum cupido ſuppeditabit.

VELIS MALLAGA

VELIS MALLAGA nitidum Hiſpaniæ oppidum verſus ſolis exortum, quinto diſtans lapide à Mallaga opp. & dimidiato milliari à mediterraneo mari, amœniſsimis cinctum campis, fructiferiſq́ue collibus, in quibus caſtrum ab Afris aut Mauris quondam ædificatum venuſtè conſpicitur. Agrum habet atque conualles, omnium rerum tam ad vſum, quàm voluptatẽ mortaliumfertilẽ. Ex hortis ſiquidem opere & arte conſitis, generoſiſsimi mirabili abundantiâ percipiuntur fructus, vt puta poma aurea, granata, limones, citrones, &c. Colles nõ tã aruis & arationibus, quàm vuis paſsis ſunt beati, ſic, vt opportunitatem ampliſsimæ rei vindemiæ præſtent, cuius hic ſummum ſtudium vberrimos acco lis fructus reddit. Hic etenim vuæ paſſæ, tam eæ, quæ vulgò paſſa de Lexia, quàm quæ cæruleo colore, paſſa de ſol, colligũtur. prẽſtantiſsimi itẽ liq̃ores, ſirupi, generoſa & fortia vina, ficus, amigdala, ex ſerica bõbicina tela, quæ quidẽ gratiſsimæ exteris merces, in remotiſsimis & varijs Europæ partibus, in maxima ſunt admiratione ac pretio. Horum verò montium tam ſunt aſpera & præcelſa iuga, vt ex eorum culmine Herculeum fretum, imò Barbariæ ora ac montes, atque adeò Africæ oppida Ceuta & Tingis, in faucibus Herculei freti ſita, commodiſsimè conſpici queant. Diuiduntur hi montes, diuerſiſq́; ſeparantur nominibus. Alij la Sierra, alij la Xerquia appellantur. Incredibili pagorũ frequentia paſsim culti, quos ſoli ferè Mauri, ex poſtrema profligatione reſidui, inhabitãt, hi Chriſtianæ fidei nomina dederunt, peculiari ſuo, ex antiqua conſuetudine, vtũtur veſtitu & lingua, & ſolum in huius oræ tractu colunt, montes vitibus & fructiferis arboribus cõſerunt, vicinaq́; loca tam decẽter labore ſuo exornant, vt ſpectatu ſit valdè iucundũ, quorum fructus, annuo prouentu vberes collectos, huius oppidi incolis diuendunt, à quibus exteri deinde mercatores hos coemunt, & onerarijs nauibus, in varias totius Vniuerſi partes exportant. Ad maris littus, dimidiato ab hoc oppido milliari, ampliſsima ex lapide conſtructa eſt domus, La Torre de Velis, nuncupata, intus frequenti ædium & habitaculorum commoditate conſpicua, in qua & varia ſunt loca peropportunè diſpoſita, in quæ omnia, quæ territorium vicinum ſuppeditat bona comportata, ante, quàm euehantur, vectigal Regi perſoluunt. Tum hoc loci, ijſdem mercatorum naues onerantur. Hac deſcriptione ſic nos iuuit præſtantiſsimus vir, multoq́ue rerum vſu nitidiſsimè cultus D. Georgius Hoffnagle, qui experientia omnia ſic ſe habere repperit.

VEGEL.



VES MALAGA.

CONIL.

CONIL, præclarum Hiſpaniæ oppidulum, ſex milliaribus,à Gaditano oppido, qua meridiem reſpicit,diſtans, primo abeſt lapide à regia via, qua ad fretum Herculeum, ſiue ſtrictum de Zibaltar deuenitur.Illuſtriſsimo S.Lucæ Duci ,qui & Medina Cidoniæ,paret.Eius præcipua ſalus atq; diuitiæ,in captura variorum piſcium, potiſsimùm verò tynnorum,conſiſtunt.Quæ Duci maximo eſt emolumento , nam ferè centum coronatorum millia annuatim hinc eum colligere aſſerunt.Locus piſcationi bonitate naturæ deſtinatus , quemadmodum etiam in vicino oppido Cadiz, Almodraua , vulgò dicitur, in quo quæſtuoſam hanc piſcationem à Calendis Maij,ad decimum quintum Iunij diem exercent.Arx ibidem eſt,domicilium Duci præbens , iuxta quam domus eſt ampliſsima,La chauca de Ducque cognominata,ex qua piſces minutim diſſecti,& ſale in vaſculis conditi, onerarijs nauibus incredibili copia in Italiam deferũtur , atq; in Mediterraneo mari,ac paſsim in Galeis totius anni tẽpore eſui ſunt. Earum nauium,quæ quotannis hinc deferunt piſcem, ſtatio eo loco eſt, qui litera C. in lamina notatus videtur.In proximo Cymbarum multitudo ferè ſemper conſiſtit, quibus retia in mare , dum tynnis inſidiantur,deferunt, quæ & apud eum, qui in icone conſpicitur,riuulum,dum à piſcatione redeunt,vuida explicant,reficiunt,atq; exſiccant. Illud verò quibuſdam fortè mirum videbitur,quonam pacto præcelſæ turris,litera E.deſignatæ,& vulgò,Torre de Attalaya dictę,adminiculo,in iſto piſcatu, vtantur.Speculator in ea,dum hi piſces cymbarum atq; lemborum multitudine ſectantur,conſtitutus, longius tynnorum aduentum conſpiciens(ſe ipſos etenim,dum gregatim tranquillo mari,dorſo eminentes adnatant,patefaciunt) candido velo dat piſcatoribus ſigna , vſitata & cognita ipſis inditia,quibus cognoſcunt , quouſq; ipſis progrediendum,& retia prouehenda , quando item ea in mare ſint demittenda.Eſt & alia noctiluca turris,litera D.inſignita.In eo nocturno tempore Turcarũ,Maurorum, & aliorum hoſtium aduentantiũ explorator agit,qui ignitis,& in vniuerſo iſto Hiſpanię tractu vſitatis inditijs,ſpeculatores in proximis conſtitutos excubijs,de hoſtiũ aduentu admonet,& hi conſequenter alios,vnde vicina deinde oppida,quam minimo tẽpore,vigilandũ, & proſpiciendum ſibi eſſe accipiũt.

XERES DE LA FRONTERA.

XERES, vrbs inclyta in Andaluſia Hiſpaniæ regione ſita, duabus milliaribus à celebri nauiũ ſtatione,amploq; B.Mariæ portu diſtat, qua conſueta Cadizium vſq;,duarum leucarum nauigatio ſuſcipitur, quæ vulgari lingua, De Bay van Cadiz,hoc eſt, Caditana nauigatio nuncupatur.Et quia hæc vrbs, omnium primùm muris, foueis,& turribus ſepta,in iſta Hiſpaniæ regione ſe offert,De la Frontera,quaſi Hiſpaniæ ex hac ora initium, ſiue etiam terminus dicitur. Magnitudine loci,ampliſsimoq; murorum ambitu conſpicua.Illuſtribus natalium ſplendore,nobilibusq; viris domicilia præbet.Qui celebri,frequentiq; numero eam incolunt,agrumq; vicinum,ex quo perin gentes commoditates percipiunt,latiſsimo ſpatio occupãt.Is ager , vineis & aruis diſtinctus, omnium frugum,vinei,olei & frumenti ferax,adeò, vt quaſi perpetuo vere perenni viriditate vuis decenter ornatus,variaq; ſegete campi,quouis etiam tẽpore,ſupra hominum fidem , luxuriare, laxiſsima demum prata graminum, & florum viriditate contecta, atq; veſtita ſpectãtes reficiant. Ita quidem,vt nulla ſoli portio otioſa,nullus planè locus,tantùm publicis exceptus,inueniatur, quem non aut vitium vbertas, ac varietas,aut ramoſæ arbores præſtantiſsimis fructibus graues exornent. Eiuſmodi ſanè vicini agri conditio eſt,tanta in eo elegantia,nitor,atq; vbertas conſpicitur,vt vix eam referenti fides adhibenda putetur.Quare mirandum minimè eſt,cum olim,tum hac noſtra quoq; ætate,ſummos,nobilesq; homines in ea potiſsimum vrbe domicilium ſibi delegiſſe. Inde præclara illa vina, quæ ab Indicis vſque gentibus expetuntur,in inferiorem Germaniam,Galliam,Angliam,Scotiam,Oſtlandiam,& in alias totius vniuerſi Regiones quotannis exportantur.Inde Anno A.C.N. M.D.LXV.cùm graui caritate annonæ Germania Inferior affligeretur,incredibili frumenti copiâ ægeſtate & inediâ preſsis ſubuentum eſt. Immenſæ etiam altitudinis puteos ſub terra,ad rem frumentariam multos in annos conſeruandam,in hac vrbe paſsim nobiles habent, infra quidem latos, anguſtiores autem ſupernè, lapidum mole contectos, quos ſine peculiari Magiſtratus conſenſu aperire non licet. Tantam vini copiâ huius vrbis territorium annuo prouentu cultoribus profert, vt ſexaginta millia vaſa,quorum ſingula tres amas,ſua capacitate abſorbent, vix ad hoc vinum conſeruandũ ſufficiant, compertumq; ſit quandoq;, vt is doliorũ numerus,octuaginta millia excederet.Præſtantiſsimos inſuper totius Hiſpaniæ equos,& maximè pernices hæc regio profert,eos Genettas vulgò nuncupant,quos nobiles mirâ induſtriâ informant,eorumq; curſu in hippodromis oblectantur,dum equeſtres inſtituunt pugnas,in quibus arundinibus & cannis,haſtarum loco,ſeſe mutuo exercent , eum ad modum, quo Mauri haſtas torquere , & iacere in hoſtes ſolent.Eos ludos,Fuegos de cannas,patriâ linguâ nuncupant.

CONIL.

CONIL, inſigne Hiſpanie oppidum ad fretum Herculeum, queſtuosa, tynnorum piſcatione nobile

XERES DE LA RONTERA.

LOXA.

LOXA, nobile Hiſpaniæ oppidum, à clariſsima Granatenſi vrbe, ſexto, plus minus, lapide diſtans, eo itinere, quod Hiſpalim ducit, Granatenſi epiſcopatui ſubeſt, ſitu tam amœno ac eleganti excellit, vt vniuerſam hanc regionem, hortum, atque pomarium, ſummâ diligentia cultum, eſſe dixeris. In quo Opis, & magna deorum mater Tellus, efficacium herbarum ac fructuum cornu plenum, effudiſſe videatur. Propter perpetuas in eo herbas, flores, ſegetes, ac gramina, quibus campi magna cum voluptate ſpectantium veſtiuntur, obque virentium arborum frequentiam, quæ præſtantiſsimos fructus, mirâ abundantiâ quotannis incolis præbent. Vnde hortulani hîc plurimi, & telluris cultores inueniuntur, qui ex ijs, quæ terra ex ſe fundit, victum quæritant. Et hortos habent, variâ fructuum affluentiâ, ditiſsimos, omniſque herbarum genere decenter ornatos, quæ non victui tantum quotidiano, ac eſui ſunt accommodæ, ſed & voluptati, vbi libuerit, morbisque medendis, deſeruiunt. Venationibus etiam ferarum, vt plurimum hîc incolæ ſtudent, eò, quòd ob miram pabuli abundantiam, paſsim leporum & cuniculorum greges, in patentibus campis, paſcuis, atque nemoribus, venantium oculis obuerſentur, quibus aut canum ſagacitate, aut falconum induſtriâ, aut denique muſtelarum ſolertiâ, inſidiantur. Quas in ſpecus & occulta terræ foramina emittunt, vt cuniculos è cubilibus ſuis, in apertum fugere cogant, quos deinde iectos capiunt. Montes, huic oppido vicini, inculti quidem ſunt, non tamen ſaxoſi aut horridi, ſed quia naturæ clementiâ pabuloſi, pecori alendo peroportunè deſeruiunt. Quare huc quouis ferè tempore, minoris pecoris greges agere ſolent, qui in his montibus, magna ſecuritate, non ſine ingenti indigenarum lucro, diuagantur. Hinc lanam, hinc vellera, hinc pelles lanatas, annuo prouentu, colligunt, quas ad vrbem Granatenſem, in qua permulti lanæ artem exercent, deferunt, in qua vſui humano aptatæ, ad varias orbis partes deinde exportantur, in Italicas potiſsimum, & belgicas vrbes. Et, quia vicinum huic oppido ſolum, ob naturalem loci clementiam, vti diximus, pabuloſum, ac optima eſt ouium nutrix, idcirco niuei lactis, ouini caſei, ſapidiſsimi butyri, feraciſsimum eſt. Hinc indigena, & quos grata paſsim agricultura ſuſtentat, maximo hominum confluxu, hebdomadatim, eſculenta ſua, ad forum Granatenſe comportant, vbi ea quamprimum, ob incredibilem, in ea vrbe, hominum frequentiam, in promptam conuertunt pecuniam.

LOX.

Camino para Granada
Camino para Sevilla
Delineabat Georgius Hoefnagle.

BILBAO, VVLGO, LATINIS, FLAVIOBRIGA.

BILBAO, vernaculè, Latinis Flauiobriga,& Flauiogallica olim dicta,vrbs Cantabrorum est in Hispania, celebris, & varijs rebus ad humanæ vitæ sustentationem necessarijs,abundans. Tribus verò in primis affluit, à quibus maximè commendatur: situs videlicet oportunitate, annonæ copia, negotiorumque, & hominum mirabili varietate & multitudine.Sita est enim in loco plano,à mari duobus milliaribus distans.aëre vti temperato,sic valdè salubri.Nam ab ea parte, qua terram respicit,magnis montibus circundata,nec frigori nimio obnoxia est,nec calore nimio torrida.Ab altera parte,oppidulum habet in ora maritima, Portugalette,vulgò nuncupatum, à quo riuus quidam, maris ingens brachium,non solum in hanc vrbem vsque: sed in ipsas etiam domos,influit. Hoc importari atque exportari paruo negotio,vilique pretio, varia mercium, aliarumque rerum genera indies est videre. Tanta annonæ copia abundat vt vix in tota Hispania aliud oppidum sit,quod ei hac in re conferri possit. Tritici semper ingentem vim asseruat. quo fit,vt nec inopia,nec fame vnquam laboret. Panem habet singulari excellentia præditum, singulatim id genus, quod incolæ vernaculè,de arregoriaga,aut,pan del fuego,vocant, quem in furno non coquunt. Est etenim tam præstanti sapore,vt non sit,cui rectè comparetur. Vini quoque an vllum genus desideret,non facile est dicere. Nam præter vernaculum & domesticum, tanta aliorum vinorum copia huc aduehitur,vt vltra viginti vinorum genera, quandocunque libeat, facilè inuenias. Carnium insigni & copia, & bonitate gaudet, in primis verò ouillæ,& bouillæ,volucrumque omnis generis. In foro indies centum & plures puellas videre est,quæuis annonæ genera,copiosè vendentes, quæ omnes incedunt capite aperto & nudo,capillisque tonsis,nec tamen propterea inelegantes.Heic est enim moris,virgines, antè, quàm nuptæ sint,nec capillos alere,nec velari. Nec est etiam cur piscium vllum genus requirat, cum & optimos habeat, & quantos ferè velit, eosque recentes. Pomorum est ei tam vberrimus prouentus, vt nisi qui viderint præsentes, facilè adduci non possint, vt credant. Decem enim marauadisijs, quod pecuniæ genus istic loci minimum est, & decimam ferè stuferi Brabantici partem valore æquat,tantum pomorum vulgò emitur,quantum mulus,consueto onere portare solet.Frequentia commerciorum florentissima est.Hac enim plerunque & importari solet, quicquid vel Anglia, vel Belgica, vel Gallia mittit, & quantumque Hispania cum alijs communicat,eadem hac solet exportari. Inter cætera verò,quæ euehuntur, plurima est excellentissima lana,ex qua in Belgica deportata,præstantissimi panni fiunt. Constat, hac lana quotannis quinquaginta naues onerari,quibus quinquagesies mille saccos,& amplius, auehi confirmant. In ipso foro machina est ad imponendas nauibus merces exponendasque aptè constructa. vbi quantus sit toto die negotiorum feruor, mirabile est videre. Tota vrbe passim nil videas,quàm officinas & cellas, reponendis & custodiendis mercibus,aptas, perpetuò plenissimas. Nauigationis enim commoditate fit, vt vel rarò,vel nunquam contingat planè euacuari. Naues in hac vrbe,& eius territorio, quotannis plurimæ fiunt,quarum nonnullæ ingentes & altæ,secundum priuilegia, quæ habet,aliæ vulgaris magnitudinis & formæ, penè innumeræ. Reperire heic est ciues, qui soli, propria pecunia vno anno, tres quatuorue naues ædificari curant. Hinc etiam omne genus apparatus nautici heic fieri consueuit. Hæc de ea Petrus de Medina in Hispaniæ descriptione, lingua vernacula scripta.

BIL VAO.
En, spectator beneuole, Magnificæ Hispaniæ ciuitas Bil bao, alijs, quasi Bellum vadum, Bilvao, vnde fit, vt alteram, per .V. sijl labum, scribant, condita à Didaco Lopeo de Hazo, Cantabror, Principe, anno circiter Millesimo, trecentesimo, à N. Ch. venusta Hogenbergij manu, ad viuum deline ata, ob oculos tibi ponitur, ea forma, qua anno Christj. CIↃ. IↃ. XL. IV. conspiciebatur, Cuius eleganti icone, opus hoc nostrum beauit, Præcellens & eximius Vir, D. Joannes Muflin. Hispaniarum Regiæ M. à sacris, summus præstantium picturarum, et antiquitatum, admirator.
LA VARA DE PORTO GALETE
1. S. Bartholome.
2. S. Petro de deusto.
3. S. Barbara.
4. S. Vincente de abanto.
5. La concecion.
6. S. Francisco.
7. S. Augustin.
8. Caÿ de la arena.
9 La cendeja.
10 S. Tiago.
11. La casa de don Tristan.
12. S. Anton.
13. Artecalle.
14. Tenderia.
15. Vello os nealle.
16 Carniceria.
17 La yglesia de los SS. S. Juanes.
18 S Cruiz.
19 La casa de los frayles.

SANTANDER.

VRBS, quam vulgò, Santander, vocant, in Hiſpania Tarraconenſi ſita eſt, ad littus oceani Cantabrici, eo fortè tractu, quem Ptolomæus ab Antigonibus habitari tradit. Hodie Aſturiam Santillanam vocant. Indigenæ tamen referũt, huius vrbis territorium particulari vocabulo vernaculè, la montana, nominari. De radice montis leuiter aſſurgentis in mare prominet, cuius alluuio à dextera, qua arcem prætergreſſa vltra vrbem procul ſeſe extendit, vulgò vocatur, la ria canal, à ſiniſtra, maxima ex parte totam vrbẽ attingit, ac canali quodam per ipſos muros vrbis interiora petit, qui vulgò, la ribiera dicitur, ipſumq; canalis oſtiũ vernaculè quoq;, el buccaron appellant. Ab hac parte, aggere quodam humana arte operaq;, veluti brachio in fluctus extenſo, quem ſua lingua, muello viejo, vocant, ſingularem vrbi portum fecêre, in cuius aggeris extrema ora, geranium extruxêre, ad nauiũ exonerandarum vel onerandarum commoditatem, quod vernaculè, la grua vocitant. Totus ſinus ille, quaſi vnicus portus videri poteſt. Nam per anguſtias quaſdam veluti per oſtium mare huc irrumpit, atq; intus ſe latius diffundit, vndiq; alias naturâ concluſum: A fronte vrbis alia moles fluctibus obiecta eſt, inflexa paululum, vt portus commoditati magis ſeruiret, qua & à furore æſtuantis oceani, ſi quando contingat, tueri ſe ſolet, & nauibus etiam aut exponendi aliquid, aut recipiendi commodiſsimum locum præbere. In medio huius ſinus oſtio, ſcopulus quidam exſtat, quem, la penna de mogro, appellant. Is, ob auium multitudinem, iſtic nidificãtium, incolis ſæpenumerò aucupij occaſionem recreationis ergò, præbet. Ferunt hanc vrbem tantæ antiquitatis fama cæteras eius regionis vrbes antecellere, vt incolæ eam à Noa conditam eſſe, dictitare, & gloriari ſoleant. Forma oblonga eſt, intus plana, & muro vndiq; cincta. ab ea parte, qua terram reſpicit, ob foſſæ profunditatem, aqua tamen vacuæ, acceſſu difficilis. Aëre gaudet ſaluberrimo. Fontes habet, tam intra mœnia, quàm foris, proximè muros, ſex excellentiſsimos, qui perpetua limpidiſsimæ aquæ ſcaturigine, incolis vltrò quaſi offerunt, quantamcunq; aquam, vel ad vſum, vel ad voluptatem, requirant. In ipſo foro duo ſunt, quorũ alter, S. Claræ, alter, Vrbanus vocatur. Foris ad fanum D. Nicolai, ex eminentiore ſaxo tertius prorumpit, omnium vti maximus, ita celeberrimus, vulgò, la fuenta de Becedo, dictus. Hinc maxima ex parte cùm multitudo ciuium, tum etiam, qui inter eos præcipui habentur, aquam hauriunt, propter ſingularem quandam eius præſtantiam. Aiunt enim, natura illi hoc ſingulare ineſſe, vt hyeme caleat, æſtate quàm maximè frigeat. Quartus eſt propè D. Franciſci, vulgò, fuenta de la Bobeda nominatur. quintus, qui vernaculè, el rio de la pila. ſextus, quem, fuenta de molinedo, appellitant. Hi duo poſtremi, vſui in primis ſunt, in vico marino commorantibus, quem vulgò, la calla de la mar, vocitant. Is vicus, ſuburbium eſt, ita vrbi adiunctum, vt vrbis nomine comprehendatur, tametſi murorum ambitu excluſus ſit. Heic ſeorſum ferè habitant, qui piſcatui operam nauant. Nam, cum ſinus ille optimorum piſcium tanta copia abundat, vt incredibile videri poſsit, ſi ſpeciatim ſingula exponantur, plurimos eſſe facilè eſt cogitari, qui piſcatui incumbunt. Portæ ei ſeptem numerantur, videlicet: S. Nicolai. S. Petri. De las Attalaſſanas. S. Franciſci. De la Sierra. S. Claræ. & de l' Arzillezo. Aedificijs alta ſuperbit, politiſsimè partim ex puro lapide, partim ex ligno conſtructis. Religioni colendæ conſeruandæque, bina monaſteria habet, vtrumq; ordinis S. Franciſci, alterum, fratrum D. Franciſci; alterum, ſororum pientiſsimarum D. Claræ. Summum in ea templum, vulgò, de los cuerpos ſanctos, dicitur, ornatiſsima ſtructura, vti ſuſpiciendum, ita ſanctitate venerandum. Perhibent eò loci, vbi iſta eccleſia fundata eſt, quondam bina martyrum corpora miraculosè deuecta, firma, atque immota, conſtitiſſe. Fuiſſe referunt, procul inde, ſanctos viros, qui magno animi ardore, & ſingulari conſtantia hoſtibus ſe ad fidei Catholicæ noſtræ defenſionem intrepidè oppoſuerint, à quibus tandem interemptos, in Durium flumen abiectos, eo corpora in mare, præcipiti curſu, effuſa, longiſsimo circuitu emenſo, in hunc demum ſinum, ſummo miraculo veluti fato delata eſſe, & heic firmam perpetuamque ſedem elegiſſe, itaque ab ijs, nomen ſanctorum corporum, eccleſiam nactam eſſe. Eadem collegio inſignium pietate, & doctrina canonicorum excellit. Rotunda eſt forma. Intus, in circuitu xenodochium habet S. Spiritus, vbi pauperes quilibet benignè excepti, humaniſsimè, pro neceſsitate diligenti cura, tractantur. Hinc inde quoque diuerſis ſacellis, ſepultura plerumque aliqua nobilis alicuius viri exornatis, aucta. Medio interiori ambitu, amœniſsimum pomarium includit, gratiſsimo floridarum arborum perpetuo odore fragrans. Inde, mare verſus, arx obuia eſt antiquiſsima, non vrbis ſolùm: ſed totius etiam ſinus imperatrix, quippe cui expoſitum ſit, quicquid toto ſinu apparet. A ſiniſtra, vbi dixi, aquam in ipſam vrbem ſeſe infundere, ædificia ſunt, in ipſo aquæductu, patentibus atque elatis arcubus exſtructa, veluti armamentarium quoddam nauale, vulgus, attalaſſanas vernaculè nominant. Heic naues naualisq; omnis apparatus, fieri cõſueuit. Ciues ſunt bellicoſiſsimi, vt ferè ſunt eius regionis omnes. Magiſtratus in ea annuus eſt, ſex ſenatoribus vno ſecretario, atque vno procuratore, conſtans, ineunte Ianuario, ſingulis annis, nouus de more creari ſolitus, in ſacello D. Lodoici, apud fratres D. Franciſci. Eò tum primatos totius vrbis indefinito numero congregati, communibus ſuffragijs, nouum anno nouo magiſtratum legunt. Hæc vrbs priuilegijs etiam ac immunitatibus antiquitus ampliſsimis dotata eſt. quorum hoc tantũ adijciã, quo cautum eſt, ne à Rege, aut vllo quouis ſuo domino, vendi vnq;, aut oppignorari, quacunq; etiã de cauſſa, poſſit. Hac ferè exportatur, quantũcunq; Caſtellę regnũ lanæ foras mittit. Verũ nec tu, ô Iacche, huic vrbi tua dona negaſti. Vinũ enim quis hîc deſideret? Terra vndiq; vinetis circũdatur, quibus hinc inde viridaria interiecta, ad voluptatẽ nõ minus, q̃ ad neceſsitatẽ cõſita, & amœniſsimũ ꝓſpectũ, & ampliſsimũ vrbi fructũ præbẽt. Adde his vicinos circũcirca diuerſos pagos, vario pomorũ frumentorũq; genere, affluẽtiſsimorũ. quo fit, vt, niſi ſingulari Dei pœna accidat, cõmeatu etiã, nunq̃ deſtituatur. In ſũma, vrbs eſt, ob portꝰ cõmoditatem omniũ rerũ diues. Hęc ex relatu indigenarũ.

SANTANDER.

AVRELIA.

AVRELIA, vel vt alij, Aurelianum, in Gallia ciuitas est, quondam Genabum dicta, sita ad Ligerim fluuium. Quis eam condiderit, certo adfirmari non potest. A multis creditum est, ab Aureliano Imperatore fundatam esse, atque inde nomen sortitam: sed, cùm constet, eam multo ante, quàm Aurelianus esset, exstitisse Genabi nomine; fieri non potest, vt ab eo fundata sit. Genabum verò, de quo Cæsar meminit commentariorum suorum libro septimo, ipsam Aureliam esse, cùm ex ipsa Cæsaris & Strabonis lib. 4. eius descriptione colligi facilè, tum ex Aimonis historia, & aliorum scriptis apertè demonstrari potest. Quapropter Franciscus Belleforestius, celeberrimus nostro tempore historicus, in noua sua Galliæ descriptione, ait, verosimile videri, ab Aureliano Imperatore ei nomen inditū, qui vel auxerit eam, tametsi Vopiscus & Aurelius Victor eius rei nullam mentionem faciant, vel Genabenses à se Aurelianenses vocari voluerit, quod apud eos per Druides de imperio suo prædictum fuerit. Explodi autem omnino eorum opinionem, qui ab Aurelia Cæsaris matre sic vocatam autumant, cum multò pòst etiam Genabum adhuc dicta sit. Minime quoque Sabellici sententiam probari, qui à Gallico auri vocabulo: Or, denominatam censet, quo ob loci, in quo sita est, fertilitatem, & ciuium singularem industriam, mire abundet. Ligeris fluuius tota Gallia notissimus hanc præterlabens, magnam illi commoditatem ad mercaturam faciendam, præstat. Vnde non sine caussa etiam olim vnicum quasi Carnutum forum fuit. Agrum circunquaq; fertilissimum habet, omniumq; abundantissimum, vt non minus pro horreo totius Galliæ habeatur, quàm quondā Sicilia Romæ. Vina eius territorijs præstat nobilissima, quæ inde & in Galliæ, & in alias Europæ partes, magna copia exportantur, nomē ab vrbe consecuta. Quapropter mirū non est, ciues ei magno numero opulentissimos & ditissimos esse, cùm & merces naturæ benignitate habeant, & ad eas aliò exportari curandas, egregiam commoditatem. Loco est paulò editiore ædificata, ea maxime parte, qua Lutetiam Parisiorum respicit, atque vnde se templum S. Crucis, quod non ita pridem per sectarios dirutum fuit, ostentat. Aere gaudet puro atque salubri. Peropportunus certè ac maximè idoneus Vniuersitati locus, quæ istic, inter cæteras Galliæ academias clarissima, Anno M. CCC. XII., post natum Christum à Philippo Pulchro Galliæ Rege erecta est, Iurisprudentiæ in primis alumna & conseruatrix. Nam cum Philippus Rex in animo haberet, hoc loco totius prouinciæ summo senatui, sedem figere, qui etiamnum istic est, necessitatem postulare facilè iudicauit, esse oportere, vnde veluti ex equo Troiano, prudentes ad Ius populo dicendum atque administrandum, rem omni mortalium societati vti maximè necessariam, ita dignissimam, euocari haberique possent. Quam ad rem nihil erat Academia tali commodatius. Ex hac vniuersitate quot egregij viri non Galliæ solum, verum etiam vniuersæ Europæ communicati & quasi dati sunt, non est facilè hoc loco referre. Plures enim sunt, quàm heic locus patiatur enumerari. Hoc tamen prætereundum non est, Bertrandum Burdegalensem Archiepiscopum, qui postea Pont. Max. creatus, Clemens Quintus dictus est, hinc quoque egressum esse. Lingua heic vtuntur vernacula adeò pura, vt Gallis Aurelianisium esse affirment, quod Græcis quondam fuit Atticissimus. Quare profectò multæ sunt caussæ, cur externi homines huc frequentes confluant. Alij enim mercandi caussa, alij studendi, alij linguæ discendæ gratia, multi proculdubio vtramque ob caussam, vt videlicet & studia prosequantur, & simul linguam purè discant. Vnde Germanis in primis moris esse aiunt, huc filios suos domo paterna ablegare. Qua ratione inde ab origine gubernata sit, cum nemo scriptorum, quod sciam, posteritati mandarit, non est facilè dictu. Colligere tamen licet ad leges Druidum ab initio sub indigena principe istic Rempub. administratam. Postea Romanis, rerum potitis, eorum imperio vti præscriptū fuit, haud dubie, paruisse. Ijs inde vel electis, vel conuentione facta, in Italiam reuersis, tandem ad Regni titulum euecta est, eo scilicet tempore, quo Clodoici filij, Galliam inter se partirentur, primusque Rex eius Clodomirus fuit. Hoc, & prole sua mortuis, Clotarius frater, in Regnum successit, qui idem etiam Galliæ vniuersæ monarchiam, fratribus omnibus absq; prole extinctis, adeptus est. Postea Galliæ coronæ restituta, ab ea vsque ad Valesiorum imperij initium, non est diuulsa. Ioannes enim Valesius, Rex, vt erat à Philippo patre iussus, eam Ducatus titulo, ac perpetuo quasi regni feudo, cum omni ditione ei adhærente, fratri Philippo, tum Comiti Valesio, contulit. Vnde deinde Ducatus titulum retinuit. Eo iterum sine mascula prole anno M. CCC. XCI. vita defuncto, secundo, ad Gallicum regnum redijt. Nec enim in huiusmodi feudum, præter mares, quisquam succedit, non magis, quàm in ipsum Galliæ regnum. Postremò, Carolus eius nominis Quintus, Galliæ Rex, qui sapiens cognominatus fuit, perpetua lege sanxisse videtur, vt semper Aurelianensis Ducatus, secundo Regis filio, quemadmodum primo, Delphinatus, cedat. Quondam ab Attila, qui se Dei flagellum appellabat, obsessa legitur, verum inde strenua ciuium defensione repulsum, irrito conatu, referre pedem oportuisse.

BOVRGES, vulgò, Latinè BITVRIGES.

ITVRIGVM metropolis, quondam ab Eura flumine, quod eam alluit, Auaricum appellata. Sita est in agro plano & amœno, ac non modò omnium fere frumentorum atq; leguminum: verumetiam vinorum præstantissimorum, pecorum, piscium fluuiatilium, volucrumque, & quorumuis penè fructuum, victui humano accommodatorum, feracissimo. A quo primo condita sit, non satis constat, tametsi sint, qui Græcis, eius originem attribuāt. Veteris vrbis situs, quæ Auaricum olim nominata fuit, ad paludes vergit, cuius etiamnum muri propemodum integri, hinc inde exstant, adeò solida materia constructi, vt sumptus demoliendi architectis inutiles ruinas effecerint, vnde hactenus ijs parcitum est. Extenduntur à turri, quam ab insolita crassitudine, magnā vocarunt, vulgò, la grosse tour, per medium D. Stephani templum, & plateam D. Ioannis campestris, portamq; Gordianam, vsq; ad portam nouam, olim S. Andreæ, dictam, inde per plateam amphitheatri, vulgò, des arenes, nominatam, ad portam Turonensem vsq;. Hinc porrecto ambitu, versus portā D. Pauli paulatim Magnam turrim repetunt. Postea vrbs aliquoties aucta est. Carolus Magnus XXIII. Francorum Rex & Romanorum Imperator, cuius regni initium incidit in annum à N. C. DCC. LXXIX. eam amplificatam, nouis muris cinxit, à porta videlicet, Burbonia, angulosque Archiepiscopalis Curiæ, vsq; ad eam, quam Carolettam, Gallico diminutiuo, ex Caroli nomine facto, denominarunt, inde continuato muro, qui adhuc dum videri potest, ad ingressum vsq; in vrbem, Euræ, minoris fluuij, qui vnum est, ex tribus Euræ fluminis brachijs, vulgò quoque Gallico diminutiuo, Eurette vel Aurette, vocati; mœnibus inclusit, totum S. Fulgentij suburbium, item magnam illam plateam, quam vulgò, d' Auron vocant, aliamq;, vulgari nomine, Montcheury, dictam, qua ad Abbatiam S. Sulpicij iter est, vsq; ad Clementiam turrem, vnde porrò, ad exitum eiusdem Euræ minoris, eadem mœnia pertigisse, adhuc dum videri potest. Necesse verò fuit, adhunc mœniorum ambitum constituendum, multis fossis, aggeribusq; paludem aquas, à consueto cursu detorquere, quò flumen Arionium, vernacule, d' Auron dictum, quod vrbis mœnia, ab occasu, lambit, istuc allaberetur. Ea enim ratione studuit firmiorem, hostibusq; accessu difficiliorem reddere. Postea etiam muris inclusa sunt suburbia D. Ambrosij, ac D. Laurentij, item, quicquid est inter Clementiam turrim, quæ proximè à porta S. Sulpitij abest, & portam Carolettam, partim communi ciuium, partim Abbatis cuiusdam D. Ambrosij sumtu, adeò, vt ea vrbs, nostro æuo, vna sit, ex maximis Galliæ ciuitatibus, munitissima, & ferè inexpugnabilis, quod vndique fluminibus, & paludibus, quæ aqua, ex terra, copiosè scaturiente, perpetuo abundant, siccarijq; non possunt, circumsepta sit. Quapropter etiam vna tantum parte, adiri potest, ea videlicet, qua Euronotum excipit, vnde etiam hostis ei, non facile metum incusserit, quia istic & muris validissimis, & altissimis aggeribus, obuallata est, latissimè inde prospectu, patente. Ab hac enim parte, Magna turris est, vnde ad quatuor vsque milliaria circumspici potest. Ea, ab insolita magnitudine nomen adepta, vt dixi, alijs vndiq; minoribus turribus cincta est, & muro, fossaq; profundissima, quæ solidis ab vtraque parte muris, terræ obiectis, destinetur, etiam circundata. Id, quod Philippus Augustus, secundus eo nomine, & XLI. Galliæ Rex, anno ferè à N. C. M. C. X C. fieri curauit, quo eam quoque antea accessu facillimam, quippe in plane constituram, nullo, aut fossa, aut aggere, circumducto, faceret firmiorem. Vrbs est, forma oblonga, amplissima certè, & spaciosissima, ornata supra mœnia octuaginta elatis, & crassis turribus, opportunis sane mœniorum propugnaculis. Septem habet portas, præter minores hinc inde ad necessitatem factas septem item suburbia, proximè portis, adiuncta. Si quis est forte, de hoste metus, quatuor tantum portæ, aperiri solent Burbonia videlicet, S. Priuati, S. Sulpitij, & Aronia. Porrò, septem sunt in ea, collegiatæ, quas vocant, ecclesiæ, septemdecim parochiæ, quatuor mendicantium ordines, duæ virorum Abbatiæ, altera S. Sulpitij, olim Nostre dame de la nef, appellata, ordinis D. Benedicti, opulenta & prædiues, in suburbio Montcheury sita, iam ab ea mutuato nomine, S. Sulpicij dicto, aqua tota sere cincta, probè munita, murisq; vndiq; clausa, quos intra varios habet hortos, diuersissimarum arborum, herbarum ac quorumuis fructuum abundantissimos, item peropportuna viuaria, quibus ex Eura fluuio Abbatiam ipsam præterlabente aqua, quanta opus est, subministrari potest. In his monachi tantum possunt piscium alere, quantum ipsis, quibus ex regula non nisi piscibus vesci licet, ad victum sufficit. Altera est, D. Ambrosij, ordinis S. Augustini, intra ipsos vrbis muros, in loco peramœno sita, intus etiam viuaria, & viridaria sua cultissima habens, nemini non adspectu, iucundissima, & ipsa profectò amplissimis redditibus, liberalissimè dotata. Sunt heic porrò, tres, fœminini sexus, Abbatiæ. Vna harum, vulgò, Nuntiade dicta, in honorem beatissimæ virginis Mariæ, olim ab Illustrissima Ioanna Biturigum Ducissa, constructa, ac dotata est. altera, D. Laurentij, à Carolo Magno instituta. vtrique harum sunt amplissimi redditus. Tertia est sororum mendicantium D. Claræ, ordinis fratrum minorum. A porta S. Priuati, versus Septentrionem, longe lateq; sese vineta, ostentant, optimi vini feracissima. Mercatura heic in primis pannaria viget. Nam inter mechanica artificia, quorum cuiusuis generis, etiam optimos habet, atq; exercitatissimos magistros; textrina maximè semper excelluit, id, quod ex veteribus matrimoniorum contractibus, tum in ipsa vrbe, tum in vicinia apparet, vbi, si cui filiæ honestioris alicuius familiæ nupturæ, de vestibus prouidendum erat, apertis verbis declaratum legitur, ex præstantissimo Bituricensium panno eas fieri voluisse. Præter mercatus publicos, hebdomadatim binos, diebus videlicet, Iouis, & Sabbathi, commodiori mercium distributioni, aliæ etiam istic nundinæ, quotannis celebrari solent, ab omni exactione, & vectigali liberæ atque immunes, scilicet, in ferijs D. Laurentij. D. Lazari, D. Martini, S. Vrsini, S. Ostrilli. Item, nundinæ D. Ambrosij, quæ per septem integros & dies, & noctes continuāri solent. Non ita pridem, magistratus Bituricensis, amplissimum quoq; Xenodochium, communi pauperum afflictorum necessario solatio, & subsidio construi curauit. Huic gubernando', administrandoque à Maiore vrbano, quem le Maire, vocant, totoque Senatu (cui aliàs vniuersa, huius administrationis, cura incumbit) ciuis quidam, aut mercator opulentus, & notæ probitatis, ex ditissimorum præcipuorum numero delectus, præficitur, ei adiutores tres, alij veluti consiliarij, vitæ quoque innocentia probati, adhibentur. quibuscum ille, de reliquis officijs communicato consilio, decernit, agitque, quod maxime, è re futurum', videbitur, sine vlla inde mercede, solius Charitatis, & Dei amoris ergo, consequenda. Quinquies, aut sexies bello expugnata, tota diruta est, toties etiam incendio absumta, nihilominus tamen, hoc nostro tempore, insigni ædificiorum magnificentia, satis superbit, ea plurimarum domorum commoditate, atq; amplitudine, vt heroibus conuenire magis, quàm ciuibus dicas. Octoginta ab hinc annis, nempe, circa annum à N. Ch. M. CCCC. LXXXVII. cum eæ nundinæ, quæ postmodum Lugdunum hinc translatæ sunt, in hac vrbe adhuc celebrarentur, in toto Bituricensi Ducatu nemo fere nobilis erat, illustrioris alicuius saltem familiæ, quin heic domum propriam haberet, eoque, nundinarum tempore, presentia plerumque sua, vrbem cohonestaret. Attamen, si vel illius tempore ædificiorum structuræ elegantiam, vel eam, qua nunc est, cum ea, qua olim, spectaculo fuit, Auaricum, conferas; nullam esse dixeris. Indicio sunt superbissimæ, tum materiæ, tum elaborati operis præstantia, ruinæ, heic, si quid alibi terræ aliquando erui contigit, sæpius inuentæ, variæq; antiquitates hinc inde adhuc, cùm intra, tum extra muros, obuiæ.

Io

ORLEANS.

BOVRGES.

ROCHELLA.

ROCHELLE vulgò, vrbs Galliæ, maris vicinitate nobilis, quem plerique Ptolemæo, Santonium fuisse, existimant, quòd hæc quasi sola, totius Santoinæ prouinciæ portus, magna opportunitate conspicuus, asylum & propugnaculum, viribus humanis inexpugnabile, existat. Altero latere mari, altero paludibus, & vliginosis locis, tertia muris, foueis, & turribus, ad hostiles insultus propulsandos, idoneis, firma. Admirabile sanè, ac mirũ, quanto robore, ac fortitudine præstet, quàm validis sit munitionibus, vallisq; firmata, quàm commoda loci, situsq; ratio, pro dignitate expendi, dicíq; satis non potest. Nam, præter reliquam eius felicitatem, ipsum mare, pulchrè collocatum est iuxta vrbem ipsam, illiq; sinum, mirum in modum commodum, facit, & tranquillam portus protectionem, nauigantibus exhibet. Adeò quidem, vt etsi pleræq; in Gallia, inueniantur vrbes magnitudine celebriores, paucæ tamen, imò nullæ, futuræ sint, situs, munitionum, & propugnaculorum robore, præstantiores. Quod autem plerique existimant, Rochellam ex Ptolemæi sententia, Santonem siue Santonium portum videri, alij, probabilibus rationibus moti, inficias eunt, potissimum M. Helias Viue, vir multæ scientiæ atque doctrinæ, & curiosus rerum antiquarum inuestigator, qui huic potissimum rationi innititur. Quia, etsi historiarum inueniantur scriptores non pauci, qui celebrem multarum Galliæ vrbium mentionem faciant, nullum tamen fide dignum extare, qui ante annos D C. huius vrbis vel verbulo recordetur, cum vetustissimum eius ædificium, S. Ioanni sacrum, omnes asserant, quod quondam Templariorum fuit. Non igitur perantiqua hæc vrbs, sed à Galliæ regibus excitata videtur, vel ob commodam portus conditionem, vel, vt eorum hinc frangerentur furores, qui pyraticam in mari exercebant. Vnde magnificis Regum priuilegijs & immunitatibus, præ cæteris Galliæ vrbibus, ornata videtur: Tum, quia ciuibus sit data facultas, vt ex suorum ordine Maiorem, atque Scabinos deligant, qui eo modo vrbis politiæ præsint, vt nullam vnquam gubernationem externam, nulla militaria præsidia, imò, ne castrum quidem, ad sui defensionem, aut tutelam, admittant, præter vnicam illam turrim, quæ armorum custodiæ destinatur. Liberam igitur hanc ciuitatem dixeris, in qua Aristoteles, arcis præsidium inutile, & periculosum tradit, quod tyrannidis opportunitatem præbeat. Nam vbi æquo iure inter ciues viuitur, æqualia ædificia esse conuenit, non alia populo imminere, atque minari, alia depræhensa, atque subiecta iacere. Optimè Pedianus arcem definit, sedem esse tyranni: Timeleon summus ille Corinthiorum Imperator, qui patriam primo à tyranno liberauit, & à Syracusis, quibus auxilio missus fuerat, inueteratam seruitutem depulit, docuit vrbem, quæ arcis præsidio teneretur, vix vnquam sine tyrannide esse posse. Nam cum Dionysium, Sicilia pepulisset, & ciuibus sua restituisset, vrbiumque mœnia bello disiecta, instaurasset, & ciuitatibus suas leges, libertatemque reddidisset, arcem Syracusanam funditus euerti t, & nunc (inquit) solida pacis fundamenta gerimus, cum tyrannorum domicilium, ac sedem euertimus. Alijs insuper hæc vrbs priuilegijs, rei maritimæ permultum indulgentibus, fruitur, quibus à Carolo Rege eius nominis V. Anno partæ salutis M. CCC. L XII. aucta atque beata fuit. Cum nimirum Rochellani effrænatam Anglorum euitantes tyrannidẽ (cui etenim Reip. tyrannis diu præesse potuit?) eorum pulso, ac profligato præsidio, præfectis etiam contumeliosè eiectis, Regi suo se submiserunt, certis pactis & conditionibus, quibus tantam priuilegiorum immunitatem sunt consequuti.

1. Tour de la lanterne. 2. Citadelle et Porte des deux Molins. 3. La Tour du Gayor. 4. La Porte neufue & le Bolleuard. 5. Bolleuard de l'Euangille à present tout Fouldroye
6. La Porte et l'Esperon de Congne.
7. Les Plattes formes et Terres plains
8. Platte forme de la boucherie
9. Tour de moreille. 10. Bolleu des dames
11. Fort de S. Nicolas.
12 Porte & Bolleuard S Nicolas
13 Tour S. Nicolas
14 Tour de la cheyne
15 Cita dele des 2. molins
16 Le Carre four de la Caille.
ROCHEL
LA MV
NITISSI
MVM
GALLI
AE OPP.
Mer Oceane
Le Quay
Canal du rateau
Lisle de Maubec
Le grand rue
Le temple
Le Palais
Le Siege
Le Change
Le Consulat
Le Greffe
Le Change
Le Greffe
Le Consulat
Le Change
Le Greffe
Le Consulat
Le Change
Le Greffe
Le Consulat

MASSILIA.

MASSILIA, siue vt alij, Massalia, peruetusta, & opulentissima Galliæ, in prouincia Viennensi, ciuitas, fundatione Græca, eaque de causa ciuilitatis, noblitatisq; nitore, & honesto litterarum otio, sapientiæq; studio culta. Adeo quidem, vti Athenis Mineruæ exercitijs, maris potentia Rhodijs, terræq; diuitijs Lacedæmonijs meritò existimetur succedere. Studiosa Romanorum amica, quorum insatiabili tandem cupiditate, vastata est, atq; direpta. Eius paulò altius tam ob summam vetustatem, quàm incredibilem loci, situsq; magnificentiam, repetenda videntur initia. Cæsar in principio lib. 2. de bello ciuili, Massiliæ his verbis meminit. Dum hæc in Hispania geruntur. C. Trebonius Legatus, qui ad oppugnationẽ Massiliæ relictus erat, duabus ex partibus aggerem, vineas, turresq; ad oppidum agere instituit: vna erat proxima portui, naualibusq;: altera ad partem, qua est aditus ex Gallia atque Hispania ad id mare, quod adigit ad ostium Rhodani. Massilia enim ferè ex tribus oppidi partibus mari alluitur, reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra, huius quoq; spatij pars ea, quæ ad arcem pertinet, loci naturâ, & valle altissimâ, munita, longam & difficilem habet oppugnationem. Ad ea perficienda opera. C. Trebonius, magnam iumentorum atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina, materiamque comportati iubet, quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum LXXX. exstruit, sed tanti erant antiquitus, in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaque multitudo tormentorum, vt eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent. nam magnitudo operum, altitudo muri, atq; turrium, multitudo tormentorum, omnem administrationẽ tardabat. Deinde vlterius subiungit Cæsar, quòd maximæ Massiliæ vires, in nauibus consisterent, quibus plurimum detrimẽti Romanis, Cæsaris partes sequentibus, inferebant, cùm ipsi authoritatem senatus grauiter tuerentur. Eius etiam obsidionis Lucanus lib. 3. de bello ciuili meminit.

Sic postquam fatus, ad vrbem
Haud trepidam conuertit iter: tunc mœnia clausa
Conspicit, & densa iuuenum vallata corona.
Haud procul à muris tumulus surgentis in altum
Telluris, paruum diffuso vertice campum
Explicat: hæc patiens longo munimine cingi
Visa ducirupes, tutiq;, aptissima castris.
Proxima pars vrbis celsam consurgit in arcem
Par tumulo, mediisq;, sedent conuallibus arua.

Conueuit hæc Lucani descripto cum ea, quam ex Cæsare excerpsimus. deinde vrbis originem idem poëta subiungit.

Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Non momenta sumus, nunquam felicibus armis
Vsa manus patriæ primis è sedibus errant,
Et post translatas exustæ Phocidos arces.

Atq; hæc quidem Lucanus ad Græcam huius vrbis originem alludens, cui vniuersa historicorum turba subscribit, Ab Asiaticis Phocensibus prima eam fundatione constructam, Perianio ipsorum duce, qui loci opportunitate illectus, parte, qua ferè Rhodanus mari miscetur, ipsiq; à fortuito euentu nomen impositum. Videns etenim piscatores in littore maris, quos Græci ἁλιέας nuncupant, pro bono, fœliciq́ue hoc omine sumens, imperauit, Eo liens de macin, id est, colligere funes, ibiq; consistere, vnde paulatim vocis similitudine, Massiliæ nata est appellatio. Sed plura de eius situ, nomine, & origine Eustatius in libellũ Dionysij Alexandrini de situ orbis scribit. Tum etiam Iustinus lib. 43. Pomponius Mela li. 2. de situ orbis. Strabo lib. 4. Geographiæ. Aulus Gellius lib. 10. Ammianus Marcellinus lib. 15. Ex quibus, auido lectori, historicam sitim abundè explere licet. Agathius lib. 1. historiæ Gothicæ de Francis loquens, hæc de Massiliæ origine refert. Etiam num habent ciuitatem Massiliensem, quondam Ioniorum coloniam. fundata enim est à Phocensibus, patria pulsis à Medis, Imperante Persis Dario Hydaspis filio, sed hæc vrbs olim Græca, nunc prorsus est barbara, eò quòd relinquens vetustum viuendi modum, moribus eorum, qui ipsi imperant, se accommodet. Eutropius Massiliam ædificatam asserit Tarquinio superbo, quod veritati congruum esse videtur, cum ipsius regnum à Cyro inceperit, finemque in regno Darij sit consequutum, ipsamque ædificatam eo tempore, quo vrbs Hierosolymitana à Nabuchodonosore Babyloniorum Rege vastata fuit, Anno nimirum mundi 3351. Verum ea calamitas vrbi sanctæ, per dictum Regem Assyrum, ante natum Cyrum & Darium illata est, regnante Romæ Tarquinio Prisco. Et hac ratione Tarquinij nomen defendi posset, sed non item Darij aut Cyri. Aut itaq; dicendum est, Phocenses expulsos fuisse per Harpalum sub Cyro, aliquo tempore post ruinam Hierosolymiticam: aut non fuisse ædificatã Massiliam sub regno Persarum. In eo tamen omnes conueniunt, Harpalum in causa fuisse, cur Græci ex Asia profugerint, & quod in Galliam deuenientes, præclaram hanc vrbem, cum plerisque alijs vicinis ædificârint. Hæc autem vrbs vnica quondam conseruatrix armorum & litterarum, in qua præcipua totius Galliæ vniuersitas & schola fuit, quo Phocenses etiam, pernicioſam secum consuetudinẽ hominum immolandi Dianæ, aduexerunt, ad cuius imitationem abominabilem se postea Druides contulerunt, quam ob causam Imperator Tiberius, scholas Galliæ aboleuisse putatur, quas Nigromantiæ insimulabat, & sacrificiorum detestabiliũ nocturnorum, vbi diuini suas considerationes in extis habebant. Cæterum Tiberius non tam hoc impedire, quàm literas vniuersæ Galliæ moliebatur auferre, quemadmodum & Iulianus Apostata, religionem Christianam, vti sperabat, euersurus, scholas, & omnem librorum vsum ipsis ademerat. Quamuis autem Cæsar Massiliam contra omne ius & æquitatem sit depredatus, tamen subitò restituta fuit. Nam sub Nerone & Vespasiano florentissima ibi totius Galliæ schola fuit, in qua Principes Romani literis operam dabant, quam & multis priuilegiorum immunitatibus decorarunt, vti ex Strabone, Valerio Maximo, & Cœlio Rhodogino constat, qui præclarã hanc vrbem Græca ciuilitate & humanitate cultã, tradit, donec Burgundi & Franci Galliam tenerent, tum enim cogebantur se moribus victorum & Principum suorum accommodare. Et, quamuis maximarũ laudum elogijs Massilienſis hæc ciuitas digna, quia antiquitatem miram redoleat, quia situ & operę potẽtissima: quia Galliarum Regi, cui paret, omni obsequio fidelissima: quia item per totũ orientem, per Africam, & in intimam Aethiopiam merces eius incolæ deferant, & cum remotissimis totius vniuersi hominibus negotientur. Eo tamen potissimum nomine æuo duraturam meretur memoriã, quia ex primis sit Galliæ vrbibus, quæstatim à passione domini, salutarem Christi fidem susceperit: primis etenim Religionis elementis S. Lazari industria imbuta, qui cum Maria Magdalena & Martha sororibus, bonis ac sedibus exutus, ferociente persequutione, quæ S. Stephanum abstulerat, primus Massiliæ Episcopus fuit.

MARSEILLE.
A. La loge ou maiſt cõmune de la Ville.
B. Palais ou l'on tient la Cour du Lieutenãt.
C. La grãde Eglise appellee, la Maieur, ou est le chef du Lazare.
D. La Cour & cõmanderie de S. Iehan.
E. l'Eglise des accoles, ou Marie Magdel: cõmença à preſcher la Loy Chreſtienne. au Roy, & peuple de Marſeille, lequel elle conuertit, & grand nõbre de peup:
F. Là où S. Victor fut baptiſé. G. l'hoſpital du S. Eſprit
H. Le Monaſtere des Religieuses de Sion. I. Monaſt: de S. Saluteur. K. La chapelle S. Victor aux 4. coings.
L. La place neufue. M. La place de viuaulx
N. Le grand maſeau, O. Le petit maſeau
P. La pesquarie. Q. La tour du grand horloge
R. L'acqueduc des fontaines de la ville
S. Le grand puits. T. La pierre que Raie
V. La tour de. X. Les fourches d'Arene.
Les Augustins
Le fort de Nostre dame de la garde.
Les Arcenals
La maison du baron de Meullon gouuerneur
L'enfermerie pour les pestiferez.
Le fort & de hit
Les deux
Isles.

VRBS AVINIONENSIS.

AD vtranque Rhodani ripam, ingne totius Galliæ flumen in Prouincia sita, summæ antiquitatis laudem eo meretur, quod priscis apud Romanos temporibus magnæ celebritatis dignitatisque fuerit. A quo verò sit prima fundatione constructa difficulter ex historiarum monumentis erui potest, sunt, qui nullis historijs certis, sed vacillantibus coniecturis adserant, primùm eam hoc loci, sortitionibus, ex auium volatu obseruatis, ædificatam, vtque perpetua, tam magnificæ fundationis retineretur memoria, vsitatis priscorum consuetudinibus obseruatum, vt, quicunque eius generis auem, aut viuam, aut mortuam exhiberet, à vectigalium, & telonij solutione liber atque immunis iudicaretur. Sed, cum hæc fabulis, quàm historiarum veritati propinquiora, ab omnibus facilè intelligantur, ijs relictis. Ipsam nunc vrbem Auinionensem ingrediamur. Quam septenarius numerus, hoc est, omnium perfectissimus, laudabilem reddit. Septies etenim in ea, & hæc quidem inter se septenario numero repetita, præcipua ornamenta videntur. Septem nimirum pallatia, totidem parochiæ, Xenodochia, Monasteria virginum, Collegia, Conuentus, portæ. Primi eius vrbis conditores, ad optimum vrbis statum respexisse videntur, qui tanto studio, septenarium in ea numerum obseruarunt. Si etenim D. Augustino, varijs in locis, potissimum verò lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 31. & lib. 17. cap. 4. fidem adhibemus, omnium numerorum perfectissimus est septenarius, tum, quia ex toto impari, & ex toto pari constet, quo etiam nomine à Macrobio commendatur. Tum, quia in sacris etiam litteris, pro vniuerso ponatur. Veluti septies in die cadit iustus, id est, quotiescunque ceciderit. Item, septies in die, laudem dixi tibi. Id alibi his verbis dicitur: Semper laus eius in ore meo. Sed hæc ad Theologorum scholas remittenda. Cathedralis in hac vrbe Ecclesia D. Virgini sacra (Episcopatu siquidem in claresçit) fundationibus dotata amplissimis, conspicitur, in qua, etiamnum ea ipsa, sine hæresum superstitione viget religio, quam B. Rufus martyrio clarus, primum introduxit, quem D. Paulus, cuius fuit discipulus, eo destinauit, vt euangelicam ibi operam nauaret. Quod ea felicitate præstitit, vt non meminerim me vnquam legisse, hunc Galliæ tractum, cuius hæc vsbs primarium constituitur caput, à fide & religione christiana vnq̃ desciuisse, vsq; ad superstitiosos, seditiososq; Albigensium errores, qui duo cum Manicheis ponebant principia, corporum resurrectionem non admittebant. Baptismi & Eucharistiæ sacramenta contemnebant. Item, quod anima, pro meritorum diuersitate, in diuersa, in brutorum etiam animantium admittatur corpora, ad male anteactam vitam puniendam, si autem benè honesteque vixerit, in principis illustris alicuius viri recipi corpus; prout hæc & plura alia de impijs eorum dogmatibus apud Alfolsum à Castro, & Bernardum Lutzenburgensem inueniuntur. Porrò, vrbs hæc Auinionensis, magnificis summorum hominum, & Cardinalium decoratur pallatijs, Carthusianorum etiam cœnobio, quod reliqua vniuersæ Franciæ omnia celebritate præcellit. Sedem hæc vrbs Maximo Ecclesiæ Romanæ Pontifici annis septuaginta præbuit, quæ cum pro veteri à D. Petro recepta consuetudine Romam iterum esset translata, perpetuus ab eo tempore hoc loci legatus semper resedit, ipsam Pontificis auctoritatem repræsentans. Eius est penes Cardinalium consistorium collatio, ad quam præcipuæ dignitatis virum, qui reliquos auctoritate, experientia, doctrina & pietate prælucet, euehere solent. Amplissimæ huic functioni iam hoc tempore summa cum laude præest, præcellens & Illustrissimus Princeps, R. E. Cardinalis, Carolus Burbonius, multò rerum vsu, & præstantissimarum virtutum nitore politus, acerrimus R. Ecclesiæ defensor & propugnator. Illo verò, ob ardua Reipubli. negotia absente, Vicelegati munere fungitur, D. Georgius Amaignacen: & is R. Ecclesiæ Cardinalis, generis, doctrinæ, & pietatis laude præstans. Vrbs hæc latè patenti Romanorum imperio paruit, ad Gothorum vsque irruptionem. quibus à Burgundionibus deinde pulsis, ad horum gubernationem Reipub. cursus instituitur, à quorum se tandem subduxit dominio, quando Budonis filij Arelatensium Regis titulum vsurpantes, huic etiam vrbi præfuerunt: Cæterum Ottho Imperator, hoc sibi vendicans regnum, Augnionem etiam suæ iurisdictionis effecit. Deinde ad Prouinciæ comites vrbs ipsa peruenit. Tum Carolus Fraciæ Rex prouinciæ hæredem ducens vxorem, factus est Siciliæ, atque Neapolis Rex, successores etiam Prouinciæ Comites habuit, & Ioanna succedens Roberti Regi Neapolitano fratri bellum mouens, cum Rege Hungariæ cognato, Clementem Pontificem eius nominis sextum, suarum partium fecit. Vrbem hanc Auinionensem Pontifici vendit, eius enim patrimonium habebatur. Persoluitur pretium feudi permutatione, tantundem enim, & eo amplius ob regnum Neapolitanum Ecclesiæ Romanæ debebat. Aequalis autem retinetur auctoritas, tam eorum, qui Pontificis, quam eorum, qui Reipub. nomine præsunt, etsi iurisdictio habeatur diuersa, nam in congressibus publicis par præfectorum dignitas, æqualis vexillorum obseruatur ordo. Ita, vt eundem dignitatis gradum vrbis præfecti obtineant, quo multorum annorum interuallo sub Comitibus semper sunt vsi, Agri bonitate gaudet, pannorum, & byssi tinctura, papiraceis quoque molis, nomen hæc vrbs meruit, nam aquis, eiusce modi negotiani oportunis est diues. Vniuersitate denique inclaresçit, quæ olim, quando Romani Pontifices ibi residebant, florentissima fuit, optimisq; priuilegijs ornata. Huic Paulus Castrensis Iurisconsultus mul-
tum splendoris attulit, vt eius commentaria in ius ciuile, quæ prælectiones Auinionicæ vocan-
tur, declarant. Andreas quoq; Alciatus, cum propter bella in Galliam venis-
set, sexcentorum aureorum stipendio, conductus, docuit, vt
in oratione ad Ticinensis Academiæ
alumnos, profitetur.


SEPTENTR
AVIGNO
La tour de Villeneuf
Le Pont
RHOSNE FLUVIVS
Tardin Gadagne
Conduite de la fontaine de Vaucluse, emplissant les fossez
MERIDIES.
ORIENS.
Les 7. Portes.
A. Porte du Pont.
B. Porte Auronse.
C. Porte de la Legue.
D. Porte S. Lasse.
E. Porte Iubert.
F. Porte S. Michel.
G. Porte Chanssery.
Les 7 Paroisses.
I. S. Agricol.
K. S. Pierre.
L. S. Didier.
M. S. Symphorian.
N. S. Ginier.
O. La principale.
P. La Magdelene.
Les 7. Couuens.
R. Les Cordeliers.
S. Les Carmes.
T. Les Augustins.
V. Les Prescheurs.
Y. Les Celestins.
H. L'observance.
Q. La Trinité.
X. La Merey.
Les 7. Colleges.
2. de S. Nicola.
3. Le vuere.
4. de Dijon.
5. de S. Michel.
6. de la Croix.
7. Semanque.
8. S. Marceau.
Les 7. Hospitaux.
9. S. Bernard.
10. des Augustins.
11. de Nazaret.
12. du Pont.
13. S. Antoyne.
14. de S. Michel.
15. Canffeury.
Les 7. Palais.
16. le Grand Palais.
17. le petit Palais.
18. la Vissederance.
19. la motte.
20. Salenes.
21. S Iean.
22. du Roy René.
Les 8. Monasteres.
23. S. Clere.
24. S Catherine.

BLOYS.

BLOYS, elegans florentiſsimæ Galliæ, & celeberrimi nominis vrbs, cùm propter vetuſtatẽ, tum quòd auguſtiſsima multorum Principum, & illuſtrium virorum procreatrix fuerit: Ligeris fluminis ripam, ſitu partim collibus inæquali, partim plano exornat. Qua de cauſa, pleriſq; in locis deambulandi quandam difficultatem præbet, quam tamen incommoditatem gratiſsima ſoli, aërisq; felicitas, non mitigat modò, ſed & infinitis paraſangis ſuperat. Tanta ſiquidem ex ſuauiſsimo aeris temperamento huius loci, omnium & iudicio, & experiẽtia, ſalubritas naſcitur, vt permulti ſummæ dignitatis homines, in eo ſibi tutioris & diuturnioris vitæ gratia domicilia deligant. Agrum habet tam amœnum vitibus pulcherrimis, omni frumentorum genere, fructiferisq; arboribus luxuriantem, vt nulli in vniuerſa Gallia, vberrimo tritici, ac præſtantiſsimi vini prouentu cedat. Eſt etenim locus vniuerſus, ob miram elegantiam, ſpectatu iucundiſsimus, in quo nihil eorum deſideres, quæ vel neceſsitas, vel vltra eam voluptas requirat. Ea eſt amœnitas & aquarum, dulciſsimorumque fontium, hoc ſitu erumpentium, riuulorum item, ſinuoſis flexibus, gratiſsimo murmure delabentium, vt maxima hinc aeris oriatur ſalubritas, quem permollem & placidiſsimum vniuerſa hæc regio habet, adeò quidem, vt magnifici, potentesq; homines, ſanitatis amiſſæ recuperandæ gratia, huc, ex Medicorum conſilio, ſeſe recipiant. Quare Regum, Ducumque filij, hac in vrbe vt plurimum educuntur, & ipſi etiam Galliæ Reges, in ea potiſsimùm reſident. vnde ciuitas Regia vulgo cognominatur. Et quanquam tanta ſit vrbis, agriq; vicini venuſtas, non eſt tamen vrbs ipſa veterum hiſtoricorum monumentis celebrata, qui de ijs potiſsimum gentibus, & ciuitatibus ſcriptis ſuis aliquid prodiderunt, quę ipſis armorum præſidijs reſtiterunt, quas aut obſidione cingere, aut expugnare cogebantur. Et quamuis curioſitatem eorum commendem, qui accuratiſsimo antiquitatis ſtudio ferunt, locum d' Orcheze, ſecundo ab hac vrbe lapide, Iulij Cæſaris horreum fuiſſe, quo comeatum & annonam pro exercitus conſeruatione reponeret, quemadmodum collapſæ maximorum ædificiorum ruinæ teſtantur, tamen non exiſtimo eo loci, quondam prima huius vrbis fundamenta collocata fuiſſe, eò, quòd veteres Galli in condendis vrbibus, aſpera, montoſa, & aſcenſu difficilia loca, fluminibus vicina, deligere ſolebant. Nihilo tamen minus, vrbem hanc perantiquam eſſe, argumento eſt, locus quidam in Gregorio Turonenſi, qui inquit, quòd tempore Regis Gontrandi, Anno ſalutis 560. cum Iberulphum, qui ad ſanctum Martinum Turonenſem confugerat, capere niteretur, Aurelianenſibus & Bleſienſibus imperatum, vt ipſum obſeruarent, cauerentq; diligẽter, ne ſibi fuga conſuleret. In ipſa porrò ciuitate, caſtrum in rupe, eleganti ſitu, & ab oppido ſeparatum, conſpicitur, ſedem & pallatium regi præbens, vnde viſus cùm in ipſam vrbem, tum vicinum in agrum amœnum atq; compaſcuum, incredibili ſuauitate panditur. Duæ hic magnificæ ſunt Eccleſiæ: Altera in ipſo caſtro S. Saluatori dicata, & à Comitibus, & qui his ſucceſſerunt, Regibus, ampliſsimis dotata redditibus. Altera D. Iacobo ſacra. Duæ item abbatiæ Bleſienſem hanc vrbem commendant. Altera S. Lomerij, Anno ſalutis 927. à Rodolpho Burgũdione Galliæ Rege, dotata atq; cõſtructa. Altera Noſtre dame de Bourgmoyne dicitur, de cuius prima fundatione nihil in publica ſcriptorum monumenta redactũ inuenitur. Sunt porro alię cõplures in hac vrbę ædes, rebus diuinis dicatę, quas omnes enumerare nimis longũ foret. In quibus magnifica Regum ac Principum ſepulchra, ex cupro, alabaſtro, & præſtanti lapide politè facta, conſpiciuntur, potiſsimum verò in Eccleſia S. Saluatoris, in qua Ludouicus & Guido Comites Bleſienſes tymbo, eleganti artificum opere perfecto, continentur. Et Valentina Mediolanenſis vxor Ludouici Ducis, Lutetiæ Pariſiorũ occiſi, per factionem Ducis Burgundiæ. Et Ioannes Albaniæ Dux, alijq; complures genere & virtute præſtantiſsimi Heroes. Sunt inſuper paſsim in hac vrbe aquę ductus varij, qui effoſsis, magno ſpacio, intimis terræ viſceribus, ſtructisq; opere lateritio fornicibus, magno quoq; faſtu viſendos ſe præbent, idq; tanto ſpatio & altitudine, vt tribus equitibus iunctis facilè tranſitum concedant. Pleriſque etiam locis, exciſis duriſsimorũ montium rupibus, tantis impenſarum ſumptibus perfecti conſpiciuntur, vt fidem narratio excedere videatur, niſi oculis cõſpicias. Tanti operis planè admiranda ratio, Romanorum olim opes, viresq; in eo elaboraſſe omninò conuincit, etiamſi hiſtoricorum Romanorum ſcripta nullam tantæ rei memoriam celebrent. Cum eadem etiam ſilentio inuoluant, ædificia apud Nemauſienſes admodum celebria, Amphiteatrum Burdigalæ, & magnifica apud Pictones ædificia, Aquæductus item Pariſijs admodum celebres. Huc accedit, priſca ædificandi & cementi ratio, quæ in muris caſtri, ac vrbis obſeruata, Romanam antiquitatem redolet, & rudera paſſim, quæ ex terræ viſceribus quandoq; eruuntur. Ciues porrò & incolæ vrbis, ſuaui quadam & politica ſympathia, cum miti aeris clementia, agriq; bonitate, conueniunt. Si quis etenim, quãta eorum in familiari congreſſu ſit comitas, perpendat, quàm vrbana morum humanitas, quàm elegans ſermonis facundia, & in dicendo ciuilitas, in victu item, amictuq; ſplendor atq; mundities, fateatur neceſſe eſt, hanc tãtam, quæ in hac vrbe ſingularis eſt, humanitatem, & decentem morum ciuilitatem, natiuam ſoli bonitatem, concomitari.


SEPTENTRIO.
BLOYS.
LOY
RE FLV.
1 Greniers
2 S·Lomer
3 Le Chasteau
4 La porte du foix.
5 Les Iacobins
6 La Tupiniere
7 L'aumonne
8 Pied du chasteau.
9 Rue des Violettes.
10 S·Martin.
11 La grãd fontaine
12 La routisserie
13 La croix de Bloÿs
14 Carouer gaudebert
15 Chemoton
16 Le Change
17 Le pont
18 Rue des estuues
19 Fontaine des esleuz.
20 Rue de Vauluer
21 Puÿ de la foulerie
22 Port neuf
23 Maison de Ville
24 Porte rue
25 Poterue
26 Larche de la rone
27 Puÿ chatel
28 Porte du bas bourg S·Iean
29 Porte clozeaux
30 S·Solene
31 Rue des pape gaux
32 Croix Michel
33 Le puï du carrier
34 S·Honoré
35 S Iacques
36 La rue de Beau uais
37 Les prisons
38 Les cordeliers
39 Le Palais
40 Les halles
41 Le marché
42 Porte char treine
43 Fauxbourg de Viene.

METIS.

METIS, vulgò Metz, antiqua & præcipua Belgæ vrbs, quam Mediomatrices populi, præcipuum eius regionis caput agnouisse, pleriq; existimant, cuius quidē appellationis varias varij causas excogitârunt. Alij, Metropoliticam suam vrbem Metensem, sic dictam existimāt, quia medium occupet locum, inter Tullum, Verdunū, & Treuiros, quorum tamen sentētia, opinioni magis, quàm firmæ rationi innititur, cum nō hanc, Mediomatrices, sed Treuericam semper Metropoliticam agnouerint. Alij verò eam nomē, & appellationem à Metio Romano, consequutā tradunt, qui eam à Iulio Cæsare expugnatam, pomœrijs extensam, & auctā, muris, fossis, ac propugnaculis cinctā asserunt. Verùm & hāc opinionem Ptolemæi cosmographia euertet, qui de Mediomatricibus loquēs, præcipuā ipsorum vrbem, Diuodurum nuncupatā asserit, vnd planè apparet, longo post Cæsarē tempore, compendiosum hoc Metis nomē exortum. Illud sanè, ex varijs variorum historijs constat, hāc appellationē Metis, toto eo tempore, quo Romani hæc loca tenuerunt, prorsus fuisse incognitā, neq; aliam, quàm Mediomatricorū appellationē vsurpatam, quorum ibi latissima ditio fuit, quippe, qui limitibus suis, quicquid Galliæ Austrasiæ fuit, cōpræhenderunt, cuius præcipua, eo tēpore vrbs, Metis est constituta. Cum etenim Francici regni administratio, in Austrasiam, Neustrasiam, & Suessionis regnum diuideretur: Ipsaq; Treuirorū Augusta, grauissimis calamitatibus pressa, iaceret, à quibus longo pòst tempore, se vix erigere potuit, hinc factum, vt Austrasiæ Metis, quemadmodū Neustrasiæ Lutetia Parisiorū caput & Metropolis constitueretur. A quocunq; igitur nomen & originē habeat, amplam, opulentā, valideq; situ, ac opere munitā, & vnam ex præcipuis Belgiæ vrbibus, est manifestū. Mosella & Selna amnibus irrigatur. ædificijs elegantissimis, tam priuatorū ciuium, quàm publicis, reiq; diuinæ sacris, visendo ornamento, nitet. Cui tamē venustati plurimū ea obsidione decesit, qua eam Carolus Imperator maximis copijs cinxit. Quo quidē tempore ciues, vicinas vrbi ædes, & frequentibus ædificijs structa suburbia, diruerunt, ne latibulo hosti forēt, præclara itidē templa iuxta vrbis pomœria, ne defensioni obessent, necessario deiecerūt, veluti D. Clementis, & S. Arnoldi Abbatiam. Quo tempore, insigne religionis pietatisq; exemplum, Guisius Dux iam vita defunctus, cui gubernatio vrbis à Rege Francorū demādata erat, erga eorū cadauera edidit, quorum animæ, æternis beatorū sedibus, associatæ credūtur. Nam ex S. Arnoldi templo, magna cū pompa, miroq; apparatu, haud secus, quàm si celebri magnatū conuētu, exequiarū solennia Regiæ Dignitati exbiberentur, aliud in tēplum transtulit: corpus Ludouici pij Caroli Magni filij, eiusq; vxoris Hildegardis, Reginæ: & Aleide Drogonis, qui Archiantistes Metensium, & naturalis iam dicti Caroli filius, fuit: Vitronis, Lotharingiæ Ducis. Amalardi Archiepiscopi Treuirensis, & Caroli Magni, Cācellarij. Hæc, aliaq; summorū hominum corpora, in ædem sacrā, Dominicanorū societati dicatam, regio planè fastu, translata fuēre, quò ad obsidionē se vrbs muniret, quam & ea fortitudine sustinuit, vt rebus omnibus infectis, irrito, vanoq; conatu Carolus Cæsar, obsidionē soluere cogeretur. Fertur etiam, hyemis, cæliq; sæuitiam, & contagiosam pestis luem, quæ Caroli militem crudeliter inuaserat, plurimum ipsi detrimenti intulisse. Adeò quidem, vt in castris inuenti sint milites, lignorū aceruis onusti, & baculis, quibus sustinuerant gressum, innixi: alij arborū truncis admoti, stupefactis rigore membris, spirituq; vitali suppresso, mortui, viuentibus persimiles, durante ea corporis forma, qua inopinata ac subita mors quemq; inuaserat. Neq; porrò hic breuitatis studio, eas calamitates referam, quas à Francis & Alemannis Metensium Resp. pertulit, nèq; multorū Principum de eius possessione quærelas. Neq; etiā quomodo Fridericus Imperator Metim, vnam ex quatuor Imperij vrbibus, cōstituerit, & quamobrem nunc ex eo ordine sit amota. Nihil nunc etiā de ea emptione referā, qua ab Episcopo ciues ingenti eam pecunia compararunt. Nihil deniq; de ea obsidione cōmemorabo, qua grauissimis est labefactata incōmodis, à Lotharingiæ Duce, tempore Caroli VI. cuius præsidijs libertati tandē est restituta. Metensibus porro, fidei, religionisque Christianæ Apostolus fuit D. Clemens, non quidem Pontifex ille Romanus, D. Petri successor, sed ipsius, vt multorum perhibent scripta, aurunculus, qui à D. Petro, ad salutarem Christi fidem docendam in Gallias missus, cunctam Lotharingiam, & Mediomatricum fines, ex hominū animis falsorū deorū cultu amoto, pluribus fanis, sacrisq; vnius veri ac viui Dei delubris ornauit, primusq; Metensium Episcopus fuit, apud quos prima oratorij fundamenta S. Stephano nuncupati, religiosis fœlicibusq; auspicijs posuit, cuius etiam hoc tempore structura concinna, cathedrali honore conspicua, apud Metenses videtur, quæ sola à funesto Hunnorum incendio, peculiari diuini numinis gratia illæsa permansit. Ab eo autem Episcopo, ad eum, qui hoc tempore Ecclesiasticum hoc loci clauum moderatur ac regit, Illustrissimum Cardinalem Guisium, perpetua & nunquam interrupta successione LXXXI. enumerantur. Quæ verò iuris, ciuilisq; politiæ administrandæ ratio in hac vrbe obseruetur, in indice latius explicabitur.

METS.

44 La petite place
45 Le temple des Huguenots
46 Le cimetiere des Huguenots
47 S. Croix
48 Le pont S. George
49 Mosselle, riuiere...

1 Les Augustins
2 La porte S. Thibault
3 La porte Moselle
4 La port. des Allemãs
5 La port. S. Barbe
6 La p. du pont Sfroy
7 La p. du pât des Mores
8 Les grilles
9 La Citadelle
10 S Glossine, femmes
11 Le magasin de la citadel.
12 L'Abb. S. Pierre fem.
13 L'Abb. S. Marie fem.
14 S. Iean, paroisse
15 S Martin paroisse
16 Les Celestins Religieux
17 L'hospital
18 S. Sulpice
19 Les Precheurs
20 L'Abbaye S. Arnoul
21 S. Victor en change
22 L'Eglise Cathedralle
23 L'Euesché.
24 Le Palais
25 S. Gregoire le vieux
26 Le monstrer S. Pierre
27 S. Vincent Abbaye
28 Passetemps
29 S. Marcel
30 Place appelle le Sauly ou on vend le bois.
31 Molin à blé, & pour polir les armeures
32 Moulins à pouldre
33 La paroisse S. Pierre
34 S. Eloy. Le
35 Les greniers de la Vil:
36 Huegnoire
37 Les Carmes
38 S. Euglene, Abb. de fem:
39 Les Cordeliers
40 La Maiſ. de merdini
41 Les preſcheresſes
42 S. Iacques
43 La grande place de champaſſaige

VESONTIO. BESANSON.

Byzantz.

VESONTIO, magnifica & celebritate lõgè maxima præstans, Sequanorum, in Celtica Gallia, vrbs, vti naturæ beneficio, ita ad hostiles propulsandos insultus, Dubis ambitu, & validissimis ædificiorum propugnaculis probè munita, nunc Burgundiæ comitatu circumsepta, ciuitas est imperialis, & Metropolitica, nomẽ retinens, mutata litera V, in B. vt Romanis, & Vasconibus pronunciandi mos est. De cuius origine, ob insignem antiquitatem, nihil ferè certi publica in scripta relatum inuenitur. Ligurinus præcellens poëta, qui vitam, & res, à Friderico Imperatore gestas, cognomento Barbarossa, conscripsit, hunc in modum de Vesontione loquitur.

Has tibi Metropolis, & primi nominis vrbes
Chrysopolim placidam, Lugdunum siue Viennam
Quæq́, tuas spumante mari Prouincia fines
Claudit Auelatum, variis obnoxia ventis
Chrysopolim Dubius, reliquas perlabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

Quam verò ob causam, Ligurinus Chrysopolim eam nuncupet, Gilbertus Nepos se ignorare fatetur, nisi fortè, more poetico, incredibili vicini territorij felicitate, & percommoda situs ratione, permotus, id ei nominis, non immeritò tribuerit. Syluosis etenim, & viniferis cincta montibus, piscibus & delicatissimorum fructuum affluentia, diues, tanta etiam frumentorum vbertate præstat, vt quemadmodum vniuersæ Italiæ Cicilia: Ita totius Burgundiæ granarium, semper sit habita. Situm habet etiam hoc tempore, qualem Cæsar, in Comment. lib. 1. describpsit. Vesontio inquit, maximum Sequanorum oppidum, natura loci, sic munitum, vt magnam, ad ducendũ bellum, daret facultatem, propterea, quod flumen Alduabis, vt circino circunductum, penè totum oppidum cingit, reliquum spatium, quod non est amplius D C. qua flumen intermittit, mons continet, magna altitudine. Ita, vt radices eius montis, ex vtraque parte ripæ fluminis, cõtingant, hunc murus circundatus, arcem efficit, & cum oppido coniungit. Hæc Iulius Cæsar. Nunc verò Dubis fluuius, Vesontionem, magna ex parte intersecat. Dubius, siue Dubis nunc dicitur. Veteribus Alduasduius, quibusdam etiam Alduabis, Gallicè, le Dux, oriens circa montem Iuram, Sequanos ab Heluetijs diuidens, lapsúsq́; per comitatum Burgundiæ, montem Bellicardum, Insulam, ac Clareuallem castella perluit, & posteaquam Bysontinam hanc vrbem intersecat, dehinc Dolam opp. præterfluens, circa Veredunum castrum, non longè à Cabellonensi vrbe, Arari fluuio, cui nunc Saona, nomen est, miscetur, ad Sequanos prorsus pertinens. Mirandum autem in modum vrbem hanc Vesontinam veneranda commendat antiquitas, quæ à Iulio Cæsare, ob bellicosam gentis fortitudinem, & summum libertatis studium, culta semper, & obseruata fuit. Tantas siquidem suo æuo Vesontinorum vires fuisse cõmemorat, vt Principes etiam Alemanos stipendiarios habuerint, atq; adeò, Athenienses vectigales effecerint, & obsides dare coëgerint. Tunc etiam, cum Orgetorix, apud Heluetios longè nobilissimus & ditissimus, regni cupiditate inductus, nobilitatis coniuratione facta, suis persuasisset, vt de finibus suis, cum omnibus copijs exirent, perfacilè fore, cùm virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. itaque constituit ea, quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare, iumentorum & carrorum, quàm maximum numerum coëmere, sementes permagnas facere, vt in itinere copia frumenti suppeteret, cum proximis ciuitatibus pacem & amicitiam cõfirmare, ad eas res conficiendas, Orgetorix deligitur, is sibi legationem, ad ciuitates suscepit, in eo itinere persuadet Castico, Catamantaledis filio Sequano, cuius pater regnum in Sequanis, multos annos obtinuerat, & à S. P. Q. R. amicus adpellatus erat, vt regnum in ciuitate sua Vesontina occuparet, quod pater ante habuerat, itemq́; Dumnorigi Aeduo, fratri Diuitiaci, qui eo tempore principatum in ciuitate sua obtinebat, ac maximè plebi acceptus erat, vt idem conaretur, persuadet, eiq́ue filiam suam in matrimonium dat perfacilè factu esse, illis probat, conata perficere, propterea, quod ipse suæ ciuitatis imperium obtenturus esset: non esse dubium, quin totius Galliæ plurimum Heluetij possent, se suis copijs, suoq́; exercitu, illis regna conciliaturum confirmat. Cæterum, cum Orgetorigis detegerentur conatus, decq́; eo sumptum esset supplicium, fœdus cum Vesontinis Heluetij ineunt, vt per Burgundiam ipsis transitus pateret, obsides sese daturos, quod nihil in transitu damni, eorum agris sint illaturi. Vnde facilè adparet, quantæ Vesontinorum, eo tempore, vires fuerint. Quas magni etiam ipse Cæsar fecit. Nam post confectum Helueticum bellum, cum Diuitiacus Aeduus, quantam in Sequanos Ariouistus Germanorum rex crudelitatem exerceret, copiosa oratione explicaret, simul etiã probabiliter, paucis annis futurum, adfirmaret, vti omnes è Galliæ finibus, à Germanis pellerentur, atque Rhenum transirent, & Cæsaris tandem opem implorabat, vt Galliam vniuersam à summa Ariouisti iniuria, qui superbè, crudeliterq́; imperabat, defenderet, posse etenim eum vel autoritate sua, atq; exercitus, vel recenti victoria, vel populi Romani nomine, deterreri: Hac oratione Cæsar commotus, cum legationibus & priuato etiam colloquio, elatum Ariouisti animum emollire non posset, congrediendum tandem sibi cum barbaris, & efferatis Germanorum copijs, intellexit. Itaque, refrumentaria, quam celerrimè potuit, comparata, magnis itineribus ad Ariouistum contendit. cumq́ue tridui viam processisset, nunciatum est ei, Ariouistum cùm omnibus suis copijs, ad occupandum Vesontionem, oppidum maximum Sequanorum, contendere triduiq́ue viam, à suis finibus processisse, id, ne accideret, magnopere præcauendum sibi Cæsar existimauit, quod id oppidum, natura loci, sic muniebatur, vt magnam, ad ducendum bellum facultatem suppeditaret. Ad hæc, cum Iulius etiam Cæsar, omnes Rheno vicinas vrbes, à Basilea Mogunitacum vsque, Romano subiecisset imperio, ipsisque præsidia, Gubernatores, & capitaneos imponeret, cumque vniuersum Rheni tractum, in prouincias distribuisset, illarumque Gubernatores magnificis illustrasset titulis, & omnium prima ac maxima Heluetios, Burgundiones, & Basileenses contineret, voluit, vt eius gubernatori ac Principi, inclytam, vrbs hæc Bysontina sedem, præberet, cui cæterarum prouinciarum gubernatores, parebant. Quorum alter post cum præcipus, in Basileensi ditione semper hærebat, vt caueret, ne Germani Rheni flumen trajicientes, Romanorum ditiones turbarent. Ex quibus sanè facilè constat, quantæ olim dignitatis hæc vrbs, priscis apud Romanos, temporibus fuerit, licet tum ea non fuerit structurę magnificentia, qua se nunc commendabilem reddit, nihil etenim ferè tum ambitu suo aliud Dubis continebat, quàm quod est versus S. Quintini montem, & S. Ioannis ac Stephani phanum respicit, Dubis etiam fluuij alueum, plateam vulgò Ronchaux, fuisse affirmant. Muri autem, quorum Cæsar meminit, & Dubi fluuio, vtroq; ex latere claudi adfirmat, etiam hodie conspiciuntur, & S. Stephani montem à de la Croze, separant, quorum initium à porta scissa, vulgò Taillee, quæ est rupes ferro, in vsum portæ excauata, ad portam vsq; Mali passus, vulgò, Maupas, deducitur. Sunt, qui adserant, turrim S. Quintini, quæ antiqua est domus nobilis & patritij Vesontini, quõdam huius vrbis portam fuisse. Alij, idem de porta nigra adfirmant, quod ex perantiquis vetustatis monumentis, conijciunt. Huius etiam vrbis portas puro quondam auro contectas fuisse, constat, qua de causa, Chrysopolim nuncupatam existimant. Et, quamuis Vesontina Monarchia, tantæ non fuerit dignitatis, atq; potentiæ, quantæ olim Romana: tamen, publicorum ædificiorum magnificentia, proximè ad eius famam, ac gloriam adcessit, vetusta siquidem in hac vrbe loca, qualia olim Romæ, conspiciuntur, quæ Pantheon; Campus Martius, Dianæ, Mineruæ, campusq́; Lunæ, columnæ, vulgò semper latinè dicta, multaq́; hic alia priscæ vetustatis monũmẽta consistunt. Archiepiscopatu etiam Vesontina hæc vrbs inclarescit, cui primum S. Anthidius pontifex præfuit, missis ab Irenæo Lugdunensi Episcopo, viris religiosis ac doctis, qui christianæ fidei incunabula ac rudimenta traderent. Basileensis deinde tractus in Vesontinæ Ecclesiæ diœcesi, siue administratione fuit, donec iuxta sanctionem, quæ in volumine legum Franciarum extat in hunc sensum: Singulæ ciuitates suos Episcopos habento: proprium Episcopum acceperit.

VESONTIO
SEQVANORVM
GALLIS BESANSON
GERMANIS BIZANTZ
RECTO CLAVO
FLVVIVS
VESONTIONIS
ANTIQVISSIMAE·CELEBERRIMAEQ
SEQVANORVM·QVI·IN·CELTICA·GALLIA
BVRGVNDIAE·COMITATVS·NOMINE
CENSENTVR·METROPIS·IMPERIALISQ
CIVITATIS·DELINEATIO
Poli Longitudo; Graduum XXII. Minutorum·XX.
Latitudo vero; Graduum XLVII. Minutorum XXXVI.
COLONIAE VBIOR ∞ ∂·LXXV.

BLANMONT.

BLANMONT, Lotharingiæ opp. mediterraneum, à Nanceo, lapide sexto, & decimo, à præpotenti Argentina, distans, Lotharingiæ Ducis matrem, hoc tempore agnoscit dominam, ad quam viduitatis iure, mortuo marito, Lotharingiæ Duce, peruenit, non magnum quidem, sed pulchrum est, & amœnũ. A qua tamen pulchritudine, Anno Christi, M.CCCC.LVII, in D. Laurentij Protomartyris vigilia, plurimum amisit: Quia etenim cõfœderatis vrbibus atq; Principibus contra Carolum, Burgundiæ Ducẽ, coniungeretur, longa, diuturnaq; obsidione pressum est Heluetijs, & Ducis Austriæ, Sigismundi, militibus, qui cum tandem oppidum captum inuasissent, & insatiabilem, furiosamq; militarem libidinem, rapinis, ac spolijs expleuissent, ablatis octo pulueris tormentarij, quæ ibi reperta sunt, dolijs, bellicis etiam tormentis non paucis, & ea annona, qua biennio, se streuuè potuissent defendere, igni oppidum vniuersum perdiderunt. Sed quantum eo tempore Burgundiæ Dux miseriarum & calamitatum Lotharingiæ, & huic quoque oppido intulit, tantum in ea rursus est passus incommodi, quando in ea, vti gregarius miles cæsus, strenuus esse Princeps desijt. Dum etenim apud Nanceum, cum Heluetiæ confœderatis, qui Francorum Regis merebant stipendia, infœlicem, & temerariam conserit pugnam. Exiguas siquidem copias, in quibus vix duo erant millia, idonei ad pugnam, niuoso die, duobus hostium opponebat agminibus, quorum vnum secundum flumen; alterum via, militari ab Villa Noua, aduenerat. Heluetij ad decem millia, maiore numero Lotharingi, & Germani fortiter instructi, & recentes, adeò, vt imbecilles essent, aduersus illos, & attenuatæ Caroli vires. Pugnauit tamen ipse imperterritus, imperatorem ac militem agens fortissimum, perinde, atq; ineuitabili fato, in exitium suum rueret. Sed postquam omnia vidit dissipata, in conferto confossus fuisse dicitur peditatu, vt homo ignotus, qui die tandem tertio, inuentus est nudus, inter mortuos facie ad glaciem cuiusdam torrentis, aut paludis, congelata. Maluit (vt creditum est) mori ingens animus, quàm in Regis venire ludibrium. Cognitus primum est, à quodam ministro, seu cacula suo Baptista ab Columna, & ab Matthæo Medico suo Lusitano genere. Cognitus per vngues manuum, quos longiores omnibus alijs gesit: Per vulnus pugna herricia, in collo acceptum: per dentes inferiores amissos, certasq; alias corporis notas. Vulnus præter alia habebat lethale in temporibus capitis. Sic humiliata Dei voluntate tanti Principis superbia, & immodicus fastus, libidoq; regnandi insatiabilis. Per longum tempus interfectum esse vulgus hominum negabat, sed viuere adhuc illum pertinaciter prædicabat, crediq; voluit. Ita Carolus in terra hostili occubuit, & quem nemo poterat vincere Regum, sua semetipsius temeritate & cæcitate vicit & extinxit. Apud Nanceum in maiori templo, iuxta D. Georgij aram, cuius semper habuit venerabile nomen, collocatur. Tribus porrò potissimum ornamentis haud contemnendis, hoc oppidum nobile est, Castro veteri, spatioso atq; magnifico, cui palatium nouum Ducis, venusta structura insigne cõiunctum, non minimum oppidi ornamentum videtur. Tertium verò, omnium iudicio, existimo esse id, quòd incolæ plerunque omnes, agriculturæ dent operam, viri proinde sint boni, ac integritate conspicui. Veteres, siquidem, vt Cato, vir sapiens, & rei rusticæ assertor, testatur, quoties virum aliquem probum ac bonum commendare vellent, Bonum Agricolam, tanquam summo encomio, vnoq; verbo, efferebant, vt puta, qui eo exerceretur negotio, quo nihil antiquius, nihil, non grauissimorum modò hominum, sed etiam Dei Optimi Maximi testimonio, honestius, nihil eorum, ex quibus aliquid acquiritur, libero homine dignius, nihil deniq; suauius dici, excogitariq; potest. E sacris siquidem oraculis constat, antiquissimam, ante alias omnes artes, agriculturam iam inde ab initio humani generis extitisse. Neque Osyrim, neque Dionysium huius disciplinæ repertorem, sed Deum Opt. Max. hoc vitæ genus instituisse. Nam Adam & eius filij, agricolæ fuerunt. Item Noë, vineam plantauit. Abraham, Isaac, Iacob pastores fuerunt. Saul ab asinis, Dauid ab ouili, ad sceptra vocatus. Elizeus, & Amos, è pastoribus facti prophetæ, Ozias, agriculturæ deditus legitur. Syrach agriculturam cum primis efferens, eius opera tenere aratrum stimulo agitare boues, saginare vaccas, & cætera commemorat. Quid multa? Christus ipse gloriatur, patre se agricola fuisse, subinde suggerens, vitis, ac ouium, ac pastorum parabolas. Nam cum hæc ars sit maximè innoxia, & sine qua mortales nec viuere, nec ali posse manifestum; optimi quiq;, & sanctissimi viri, hanc amplexi, & veteres, eam dixerunt proximam, quasiq́ue consanguineam sapientiæ. Cicero iustitiæ, diligentiæ, parsimoniæ magistram appellat: nonnulli, omnium artium parentem, atque nutricem. Sed hæc fortasse, pro istius loci conditione, de agricultura copiosius.

SEPTENTRIO
BLANMONT AV PAYS
DE VAVGE EN LOREYNE
Le vieux chasteau
Chemin de Nancy
Jardin
Depingeb. Georgius Hoefnagle

LYMBVRGVM.

LYMBVRGVM, Ducatui, in quo metropolitica gloria præstat, appellationem præbet, oppidum est naturæ beneficio validè munitum, præcelso etenim & saxoso in monte, in ipsius Ducatus Lymburgensis medio, velut centrum, situm admodum amœnum, obtinet. Eius primordium eruditissimus omnisq; virtutis amantissimus vir, D. Remaclus Lymburgus Medicus, dulcissim e patriæ suæ amore, ex chronicorum & Annalium scriptis diligenter inquirens, veteribus non esse memoratum, affirmat. Qui vicinis autem temporibus, variarum gentium sedes, vrbium, oppidorumq; origines, in publica scriptorum monumenta, retulerunt, ij Lymburgi initium, in Annum Christi centesimũ, septuagesimum secundum, vltrà millenum, referunt. Quo quidem tempore, comitatus titulo claruit, cuius habenas omnium primas, modo ratus est Henricus Comes, & eius item successor, eiusdem pariter nominis, ex Henrico Quarto, Pio illo, verè Augusto, bellicoso, & multis victorijs clarissimo Imperatore, pronatus, primus Lymburgensium Dux appellatur, eiusque ducatus gubernacula pluribus annis, summa tum æquitate, tum prudentia tenuit. Eo verò Duce, sine successione masculi in fata sublato, Dux Brabantorum Ioannes Primus, circa annum salutis M. CC. XCIII. partim hæreditaria successione, partim bellica virtute, contra Reinoldum Gelriæ Comitem, omne huius ducatus sibi vendicans ius, id, in hunc vsq; diem cõseruauit ac tenuit. Hinc Lymburgi, Falckoburgi, Dalemij, & cætera transmosana municipia, criminales, ciuiles q; prouocationes suas, ad Brabanticam nomophilaciã, cuius perpetua Bruxellæ sedes est, dirigunt. Cæterum in Ecclesiasticarum rerum disceptatione & administratione, Eburonum Antistitẽ, cuius Diocœsis sunt, dominum agnoscunt. Est autem oppidum Lymburgense situ montoso, muro, & idoneis, ad defensionem turribus, clausum, arce etiam munitissima, firmũ, cuius turres, muri, ac propugnacula, viuo ex saxo, (quod natiuum suppeditat solum) constructa, ac prærupti montis dorso imposita, nec occultis terræ cuniculis, euerti, nec muralium machinarum ictibus concuti possunt, eò, quòd durissimæ rupi insistant, & præcipitibus naturæ clausiris, maximè tuto sint loco. Syluis cingitur quercu, fago, ac medicatis herbis ditissimis, In magna aũt cõualle, admontis, in quo Lymburgum est situm, batum, fluuio VVesa, seu ipsorũ lingua, vulgariter, VVesdo, maximo accolarum emolumento, irrigatur. Is, ex Arduenna Sylua, prima origine scaturiens, per Lymburgensem agrũ, grato delabitur murmure, ac Mosæ tandem, iuxta Eburonum Augustam, miscetur. Multis ac variis conducit vsibus, maximè, molitoribus & pannorum tinctoribus, qui in suburbio Dolhen plurimas officinas habent. Præstantissimis etiam, magna copia nobilitatur piscibus, trutis nimirum, tam prodigiosæ magnitudinis, vt vulgaris fluuiatilis salmonis appellationem mereantur; vmbris, anguillis, mustelis, caneris, & id genus alijs, qui sub cauernosis petris latitantes, summa cũ voluptate, & delectatione capiuntur. Fœlix huic oppido ager, omnium rerum necessitati deseruientium, ferax, vino tãtum, ob inclementiam cæli, excepto, pascuis, faginando pecori, vberrimis, maximè, iuxta Heruiam pagum, abundat, hinc delicati saporis, & inusitatæ magnitudinis cæsei, Lymburgense solum commendant: Eodem etiam telluris beneficio, efficaces colligunt herbas, tam morbis curandis, quàm esui accommodas, ponderosum seruat triticum, & zeam, ex qua panem, albedine præstantem, conficiunt: Habent & hordeum, ex quo potum, obvini caritatem, cerutiam coquunt, quam tam sitientes, tantaq; auiditate ea gens bibit, vt in conuiuijs atq; symposijs, satis sit operosum ministris, cantharos, ac phialas promptè implere. Eo liquoris genere, non vt exhilarescant, nõ vt melancholicas animi nebulas discutiant, vtũtur; sed tanta immodestia sese ingurgitant, tam strenuè se mutuo, ad potandum cogunt, vt, si quis hos noctes atq; dies strenuè cyathisantes, suspiciendæ capacitatis pocula vnico anhelitu exinanire atq; siccare, & eorum impotentem, ad potationes procliuitatem, consideret, periculum imminere Græcis, Germanis, atque Saxonibus dicat, ne tandem bibacitatis hederam, his Galliæ Belgicæ populis, sint porrecturi. Optandũ, apud hos AEgyptiorum consuetudinem vsu receptam esse, qui in symposijs, hominis mortui imaginem circumferre, & singulis accũbentibus, dicere solebat. In hunc intuens, pota & opulare, talis, post mortem futurus es. Sed, bibulorum societate relicta, ad agrum Lymburgensem nunc redeo. Qui multis etiã plumbi, ac ferri fodinis præstans, cultores, opum affluentia, nobiles reddit. Quinetiam calaminaris lapis, Plinio in re medica commendatus, ex terræ venis, iuxta sacram Henrici ædiculam, in Sylua Aquensi, eruitur, nec non multis in locis atra carbonaria, sulphuris particeps, terra, fabris ferrarijs, & vulcano domestico conseruãdo, admodum vtilis, ex qua globos, quos, Cluten, nuncupant vulgò, conformant. Effodiuntur ibidem etiam, ex occultis terræ visceribus, varijgeneris lapides, instar Namurcensium, marmoris & laspidis speciem præ se ferentes, candidis, nigris, fuscis varijsque maculis venustè conspersi, ex quibus mortaria, mensarum tabulæ, vt tanquam speculum reluceant, politæ; Magnificarum ædium camini; columnæ, earum capitula, coronides, bases, scapi; Principum, Illustriumq; virorum monumenta; aliaque ædificia, videndi sensum oblectantia, constructa videntur. Veluti superioribus annis elegantissima illa Anuerpiæ, prætoriana domus, accuratissima architecturæ symmetria subtiliter, & magnificenter, ex hoc potissimum lapide, constructa, vrbem ipsam, commendabilem reddens. Præter multos insuper pagos, domorum, populiq; frequentia cultos, villas duas (oppida diceres) eleganter exstructas, Lymburgẽse hoc territorii exhibet, Vpen ac Heruiam, vtraq, mercatoribus inhabitata ditissimis, qui mercibus suis, potissimũ verò, pãno & clauis, nundinas Francofordianas, bis annuatim maximo emolumento, quæstuq; vberrimo frequentant. Primo ab vrbe lapide, insigne ac peruetustum est Cistertiensium Monasterium, Vallis Dei nuncupatum, à Duce Henrico Secundo, fundatum, cuius etiam ossa ibidem, lapidæo sarcophago, continentur. Estq; ibidem Nobilium de Rosmel sepultura. Quinetiã in agro Lymburgensi passim scaturiunt, erumpuntq; salientes aquæ, tam villaticis, quàm voluptarijs vsibus seruientes. His autem omnibus infinitis parasangis præstat fons ille acidus Arduennæ syluæ, secundo à Lymburgo lapide in pago Spa, toti orbi nunc celebratissimo erumpens, quo tam indigenæ, quàm ex remotissimis mundi partibus alienigenæ, recreandi, & sanitatis amissæ recuperandæ, & abimminentibus morbis præcauendi studio, frequenti numero se conferunt. Etsi porrò Lymburgense hoc oppidum, angustioribus circumseptum limitibus, infrequentiores incolas habeat, si tamen ea, qua vrbes vt plurimum commendare solent, & clarissimorum hominum exeo progenitorum seriem consideres, non infimæ dignitatis oppidum esse censebis, vt de eo id Virgilianum non immeritò dici queat, Pauci numero, sed viuida virtus. Neque adeo refert, quali sint vrbes structura, situ, numero, atq; frequentia ciuium, sed qua animorum inueniantur concordia, quo virtutum nitore, qua religione sint ciues imbuti. Et quemadmodum fructuum dignitas arboris commendat præstantiam: Ita vrbes maximè illustrant viri, qui virtutibus, eruditione, & dignitate præstantes ex ijs prodierunt, Quales ex Lymburgo sunt nati Reuerendus vir, D. Hermannus Rauius, Abbas S. Iacobi, Insulæ vrbis Leodiensis, instituti S. Benedicti, vir religione, & pietate eximia. Nicolaus Bilstein, Bellireditus, ordinis Præmonstratensium, eiusdem, apud Leodios, insulæ, qui miserabili, & nunquam audita morte, interijt. D. Lambertus, Vallis Dei, in Ducatu Lymburgensi, ordinis Cistertiensis, Cœnobiarcha, vir admodũ hospitalis, & bonus, qui maxima animi acerbitate vidit, teterrimos, auitæ religionis hostes, qui seipsos Geusios nũcupant, Monasterij sui bona, diripere, ipsumq; cœnobiũ, Vulcani tandẽ furoribus litare, Anno salutis M. D. LXXIIII. Nonis Aprilis, Nec minorẽ meretur hoc oppidum laudem, quod insignem virum, Guilhelmum Vilkinium, Theologica professione eximium, Patrẽ Societatis Iesu, ediderit. Paribus etiam auspicijs, doctissimorũ, optimorumq; hominum laude, apud Lymburgos, perpetuum sunt nomen adepti, sacram representantes Triadem fratres, quorum eruditione atq; virtute eximia, nõ solum hæc Lymburgẽsis patria, sed & vniuersa Europa, decorata, illustrataq; est. Hi sunt, summus ille D. Gylbertus Lymburgus, qui candore & integritate animi, excellentiq; rei medicæ scientiã apud suos Eburones enituit. vbi Medicæ professionis praxin XXXV Lannos, summa cum laude, fœlicissimeq; exercuit. Quamobrem tanti & nominis & authoritatis apud suos semper fuit, vt ob morum, dicendiq; grauitatem, ac promptam in medendo fœlicitatem, alter quasi AEsculapius ab omnibus haberetur, vt proinde tres ex ordine Principes Eburonum Antistites, sanitatis suæ tutelam ipsi commendarint, vir pietati totus deditus, à libidine & ab omni tam corporis, quàm animi abhorruit, & philosophiæ amore incensus totam vitam in celibatu transegit, vir minimè ambitiosus, opes, omnesq; voluptates, quemadmodum & Ducum Regumq; aulas respuens, virtutibus, pijsq; meditationibus se totum deuouit. Nam ab Eduardo sexto Angliæ Rege, cura & sollicitatione Thomæ Grammeri Archiepiscopi Cantuariensis, sola virtutis, eruditionisq; cõmendatione, magnis præmijs & vitæ cõditione honorifica, crebris litteris fuit vocatus. Ad Sabaudiæ quoq; Ducẽ Philibertũ, incredibili studio, celeberrimi eiusdẽ Protophysici Anthonij Thesaurij Fossani, eo tẽpore, quo apud Illustrissimũ Leodiensium Principẽ Georgium ab Austria Archiatrũ ageret, est inuitatus. Similiter etiã ab Academia Louaniẽsi, regio stipendio, in locum Doctoris Medici ordinarij Hieremiæ Brachelij, & Magistratus, & creberrimis doctissimi virilitteris Ioãnis Tamesij, vtriusq; Iuris Professoris. Qui proh dolor, triũ ferè mensium spacio, vt Antipater Medicus ille Romanus senex, apud Galenum lib. 4. cap. 9. leui orthopnea, ex obstructione in leuibus arterijs affectus, omnigenã in eius pulsu inæqualitatem sistematicam, ipse carpum sæpius tangens, admiratus, accedente morbi successu, simul cordis palpitatione, ter, quaterue, ac sæpius aucta simul spirãdi difficultate repentè inter manus, ac pias suorum preces immatura morte, religiosa & catholica fide præditus, obijt, nõ sine multorum, qui eum impensè diligebant, apud Eburones luctu & lachrymis, VIII. Febru. Anno M. D. LXVII. Decuius vita, morte, & lucubrationibus, libellus publicè extat. Alter eius frater, Ioannes Fuscus, vtriusq; I. L. qui puer domi liberalibus disciplinis imbutus, adolescens, vti auidissimus bonarum artium mercator, Angliam, Galliam, deinde Italiam adijt, cumq; iam omnes in summam sui admirationem, ob egregiam indolem, rarasq; ingenij dotes, rapuisset, nono, & vigesimo ætatis suæ anno pestilentiali dissenteria, Leodij, curiæ Aduocatus, moritur. Tertium ex eadem familia, oppidum hoc Lymburgẽse edidit, virum literis, ac moribus castissimè perornatum, D. Doctorem Remaclum Medica Professione conspicuum, & Leodij apud D. Paulum Canonicum, strictiũ, & omnium eorũ, quæ terra ex se fundit, scientia præstantem, perillustri in rem literariam propensione hominem, ac summum optimorũ ingeniorum promotorem, qui pia & munifica liberalitate, priuatarum possessionum opibus, adolescentes aliquot, lectissima indole præditos, in litterarum studijs alit. Quin etiam præter summos hos viros, fœcunda hæc patria non sibi modò, sed & remotissimis mundi regionibus protulit, Petrũ Maheau litteratum, & in carmine mirè fœlicem. Et D. Ioannem Flemmingum Medicum excellentem, qui beneficio Ecclesiastico Aquisgrani resignato, Archiater Sigismundi Poloniæ Regis, Cracouiæ obijt. Atq; vt finem tandem faciam, vix dignis vnquam laudum elogijs pro merito celebrari poterit Clarissimus vir, ac vera nobilitate conspicuus, D. Guilhelmus Gulpen, ex vetusta ac nobili Rosmeliana oriũdus prosapia, totius ducatus Lymburgensis ac comitatus Falckenburgensis, sub prouisione (vt stylo Brabantico vtar) Gubernator, ob singularem animi constantiam, prouidentiam, & zelum purè catholicum in hoc vernali bello, anni M. D. LXXIIII. quo maximæ hostium copiæ irruerant, ac ciimosanas regiones depopulabantur, nullam suæ personæ, nullam vitæ rationem habens, sed posthpositio salutis suæ discrimine, diuino fretus auxilio, & generosi animi constantia, suma omnium admiratione, non solum ipsum Lymburgum munitissimum oppidum, sed vniuersum Ducatum, profligatis hostibus, ab omni periculo liberauit, & libertati pristinæ restituit.

LYMVRCH.

Limburgum oppidum Galliæ Belgi-
cæ, vulgó Lympurch, gallicè, Lembor dr.

Hanc Vrbis Lymburgensis iconem perhumaniter nobis communicauit vnicum illud huius patriæ decus R. D. Remaclus Lymburgus Medicinæ Doctor. & apud D. Paulum Leodij Canonicus dignissimus, quam optimè de re litteraria meritus.

1. La tour Iehan le Westi.
2. S. George Eglisse parochial.
3. La haille mason de la Ville.
4. Le Chateau
5. La porte de haul.
6. La port de Chateau.
7. La port den bas.
8. Dolhen Vilaige.
9. L'hostpitalle.
10. Bilsten.
11. Montagne de Bilstein.
12. Wilere.
13. Mons dicte Ruitcel.
14. Chemin de Liege et de Maestricht
15. La Riuire de Weste
16. Iardin de Mesir Iehan de boses.
17. Les Sarre Iardi.
18. Hadrimons.

HVVM, oppidum & antiquitate, & primaria dignitate, inter Condrusos præstãs (sunt autem Condrusi, Belgarum populi inter Eburones, qui nunc Leodienses dicuntur, Segnos, & Treuiros, quorum erant clientes, Mosæ fluuio, & Arduennæ Syluæ finitimi) situ admodum amœno, superbo, ac pereleganti, viridi ac pabulosa in valle, inter præcelsos Condrusi montes, Mosæ fluminis ripas illustrat. Eius primordium scriptores in diuersa rapiunt. Claudius Champerus lib. de vrbium oppidorumque origine, ex Lucio Tungrensi, Hunnorum Duci Cambro, nomine, huius oppidi originem tribuit, qui loci opportunitate commotus, oppidum probè munitum, ad confluentem Mosæ constituens, Hoynim nominauit, quod nunc, Huy, dicitur. Ioannes Marius autem, virum, in Condrusorum patria, summa nobilitate illustrem, anno decimoquinto, ante salutarem Iesu Christi natiuitatem, nomine Hoys, primum eius oppidi lapidem posuisse, deque suo nomine, Hoy, nuncupasse, affirmat. Vulgò deniq;, ab amni, ex vicinis collibus, iuxta pagum Hauelainge scaturiente, nomen consecutum putatur. Qui quidem amnis, copiosi riuuli instar, per agros, & reliquos Condrusi pagos, defluens, pluuioso cælo, & collectis, diuturna ex niue aquis, subitò excrescit, ac tanto cũ impetu exundat, horrendoq; fragore, ac strepitu, planè furere videtur, vt ob violentiam, nomen furiosi, ab accolis acceperit. A Mosa tandem, iuxta lapideum, Huy pontem, absorbetur. Multis verò vsibus, magno Huensis, viciniq; populi commodo, ac emolumento, conducit, eò, quòd versatilibus molis, frumento frangendo, materia papiracea contundendo, ferrugineis operareis, Coreaceis, ac pannorum tinctoribus, maximo compendio, inseruiat. Eius enim generis opifices, tam in ipso oppido, quàm vicino in agro, fabriles, mechanicasq; officinas, frequenti numero habent. Abundat insuper hic riuulus, delicatissimorũ piscium copia, truttarum præsertim, cancrorum, fundulorum, aliorumq; eiusdem generis. Miram hoc oppidum antiquitatem redolet, magnificis ciuium ædibus, decenter ornatum, ac monumentis, vetustatem testantibus, clarum. Floruit olim, ac latius pomeria extendit sua, veruntamẽ, quoniam, vti hominibus, ita & vrbibus sua sunt peculiaria fata, & nihil mortalium in cœtu perpetuum sit, rerumq; vicissitudine, velut æstuario quodamfluxu & refluxu ferantur omnia, vix dici potest, quantis bellorum, aliarumque calamitatum ærumnis, atq; periculis sit labefactatum, adeo quidem, vt nunc quasi collapsum, & pristinâ dignitate ac gloriâ, omnino destitutum videretur, nisi, diuina fauente gratia, moderatores Huensibus prudentissimi concessi fuissent, generis, virtutum, ac morum nobilitate clarissimi viri, D. Ioannes Hustinus ab Outremont. D. à Laminia, & potentissimus ille Otho Briemont, D. de Frature, strenuus atque æquissimus Huensium prætor, & Condrusorum Satrapes, multis ab hinc annis consulari dignitate illustres, qui immortali, & familię & nominis gloria superioribus annis, quibus vniuersa Gallia Belgica funestissimis concutiebatur armis, cum maximo vrbium aliquot, ad Mosæ ripam detrimento ac damno, a dulterinæ religionis propugnatoribus, inuictos Athlantes, atq; Achilles sese opposuerũt. Quibus nõ huius modò oppidi, sed totius Condrusij incolæ, tanquã ancoris sacris vsi non passi sunt amabilẽ Catholicæ fidei vnitatẽ, dissectis, peregrinarũ religionũ sectis, turpiter secari. Adeo quidem, vti non minus præstantissimis his viris, quàm Fabricijs olim Romani, Scipionibus, Lentulis & Fabijs, optimo iure ciues & accolæ debeant. Hi etenim, non sine laudum elogijs cõmemorandi viri, ea prudentia, curâ & diligentiâ, politiam Huensium hactenus, quemadmodum & hoc tempore, administrant, vt calamitatum bellicarum omnia oblita, nunc tandem respirare videatur. Multi in hoc oppido natalium, & maiorũ gloria clari ac nobiles viri, ædes, pro dignitate & stemmatum decore, amplissimas incolunt, qui in Condruso, agroq; vicino instructissimas domos, villas suburbanas, pomarijs, vinarijs, aruis, apricis, locis, nobiles, & ad voluptatem spectantiũ ornatissimas, habent. Quarum aliquẽ nõ tam ædium, recreationis gratia, constructarum, quàm castelli, pinnis, turriculisq; conspicui, formam atq; effigiem præbent. Huc æstate, animi recreandi, corporis exercendi, valetudinis conseruandæ, & nauseæ tædium excutiendi gratia, concedunt, circa brumam, ad sua, quæ in vrbe tecta habent, redeuntes. Multa & varia artiũ illiberalium genera, hoc loci inueniuntur. Inter ea autem, pannorum textores, & qui ferrũ ex terræ visceribus eruunt, principem locũ obtinent. Natura siquidem Huensibus benigna, blando eos aspiciẽs vultu, nõ modò multas ferri fodinas, ex quibus plurimũ ad eos lucri, annuatim redit, sed & laxissima latifundia, larga manu, ipsis concessit, quę vberrimas ex se fruges, & generosa vina, pro anni lociq; cõstitutione, annuo fœnore producũt. Hinc vulgus, ex vitiũ cultura, sibi suisq;, vt plurimũ, victũ quæritat: Ingens siquidẽ hic copia vini producitur, eaq; præstantiâ nobile, vt œnopolæ hoc vini genus, pro vino Gallico partim hospitibus propinent, partim ad alias longinquas regiones, sicuti & Leodiẽse, nauigio, per Mosæ flumẽ & carris euehant. Quod si quempiã loca aprica, prata, aut pascua delectent, planitiẽ amplissimã, quæ hęc omnia abundè suppeditât, habes, in quibus oculorũ delectatione, odoriferas herbas, flores, gratũ odorẽ spirantes, & loca pabulosa, viridi vndiq; gramine vestita, conspicias. Si iucundâ te venatione, vel aucupio, reficere iuuat, syluosi sunt montes, colles, conualles, arboreta, feris, auibusq; scatentia. Si piscari lubet Hauelainge Amnis, nauicularum patiens, præsto est, piscosa subest Mosa, quæ cymbis, ludibundos vectores ferens, piscantium votis respondebit. Si deniq; Christiana religio tibi cordi est, si Deum, pijs orationũ hostijs, placare desideras, Basilicam habes magnificam B. Mariæ virginis, Saluatoris Iesu matri dicatam, amplissimo Canonicorum collegio illustrem, in qua aliquot Leodiensis Ecclesiæ Antistites, fundatores, honorificè sunt sepulti. Præclara hæc Canonicorum societas, multis summis, atq; magnificis est exornata viris, inter quos, summum dignitatis locum meritò obtinent, R. Dominus Decanus Seeff, & D. Gerardus Frepontinus, viri morũ probitate, & eruditione conspicui, antiquitatum amantes, & studiosi. Sunt & præter alias parecias, in hac vrbe non paucas, egregia virorum, ac virginum cœnobia. Ac primũm quidem, religiosa Cruciferorum societas, meridiem versus, circa vrbis mœnia, Cœnobium habet in monte, situ peroportuno, & opere clarum. Mons clarus, siue æreus, non sine ratione, dictus, tum, quia clarissimi ordinis, primam sustineat domum atque fundationem, tum etiam, quia, mira aëris clementiâ ac salubritate gaudeat. Is autẽ locus, varijs temporũ iniurijs, & belli calamitatibus, plurimis annis affectus, ac habitatoribus vacuus, desolatusq;, tandem Anno salutis M.CC.XXXIII. sub Eppano XXXVII. Leodiensium Antistite, pristino nitori restitutus, nouis & magnificis ædificijs restauratus, auctus, & exornatus cõspicitur, cui, post sanctæ memoriæ pijssimi, ac religiosi patris Theodorici Vbachij obitum, hoc anno M.D.LXXIII. summa cum laude nunc præsit, R. D. Antonius Frisennius, generalis totius ordinis præses, hactenus cœnobij Hornensis Hollandiæ oppidi Prior, qui ad œconomiam conuentus reuocatus, paucis post diebus, vnanimi, totius ordinis, consensu atq; applausu, Generalis Cruciferorum Societatis Præpositus designatus, & electus est, Anno salutis M.D.LXI. profecto SS. Petri & Pauli, vir vitæ sanctimonia & pietate clarus, vigilantissimus dominici gregis sibi cõmissi, Pastor, ædificiorũ, ruinam minitantiũ, & collapsorũ, prouidus renouator, adeo, vt secundus cœnobij fundator, iure, & haberi, & dici mereatur. Reliqua oppidi Huensis cœnobia sunt, fratrum Minorum, & consecratarũ Deo virginum monialium S. Aldegundis. Albarum virginum. S. Quirini, & S. Victoris, extra muros, à Nortgero XVI. Leodiensium Præsule, erectum, qui multorum sacrorũ locorum, pijssimus illustrator, extitit. Cui hoc tempore præest, sub visitatione R. Domini Vessemij Benedictini S. Iacobi Leodiensis, Prioris Bertricensis, viri vitæ integritate, ac rerũ gerendarũ dexteritate, experientiaq; præstantissimi, nobilis Galla, vitæ probitate, & industria, omnibus cõmendata, Iacquelina à Vuarigni. Sunt quoq; in vicino vrbi agro, plurimæ monasteriorum fundationes, benè dotatæ, vna noui templi, quam Canonici ordinis S. Augustini incolunt (quos Regulares vocant) fundata ab Oberto, quondã XXVII. Leodiensi Episcopo, Dominici sepulchri titulo, sub Alexandro XXIX Leodiensi Antistite, à Mellifluo D. Bernardo Clarevallensi Abbate, qui ibidem, eo tempore, Leodio rediens, hospitio honorificè exceptus, ob elegantiam recentis ædificij. Nouum monasteriũ, in hodiernum vsq; diem, est cognominatum. Cui nunc præest singulari naturæ bonitate, & vitæ probitate. R. D. Iodocus Dorio Abbas dignissimus. Est & aliud eiusdem ordinis, monasterium, cui Flonen nomen, ad Mosæ ripam, & admõtium Hasbaniæ fauces, amœnissimo loco, sed angustiore exstructum: Cui nunc præest vir, morũ integritate & humanitate clarus, R. D. Abbas Balduinus à Busco. Sunt insuper tria alia Monialium ordinis Cistertiensiũ. Alterum vallis dominarum, opulentissimum. Alterum, quod pax Dei nomen habet: Tertiũ verò, Solis, cuius ordinis, nemoribus vndiq; cinctũ. Porrò, in monte præcelso, ciuitati incumbente, sita est arx Regalis, vbi Leodiensium princeps curiam aulicam aliquando habet, quam potentissimus ille Erardus de Marca, Cardinalis, & Episcopus Leodiensis, nimia vetustate nutantem, à fundamentis restaurauit, turribus & propugnaculis valde munita, præcipua inter eius opera, quæ multa & magnifica reliquit, adnumeratur. Hanc Benefactã appellitãt. Est in ea incredibilis altitudinis, & profunditatis puteus, & Spheristerium, in quo nobiles & alij Aulici, pila ludẽtes, animi relaxandi gratia, & exercitio, calorem natiuum excitante, sese recreant, sibi ipsis appetitum languidum concitantes. Sunt & alia, in Arce loca, aspectu iucundissima, elegantissimaq;, ab Illustrissimo, & immortali memoria dignissimo, Principe à Groesbeck, aucta & renouata. Est deniq; aliud in oppido opus magnificũ, atq; pulcherrimũ. Pons, ex lapide viuo, quadrato, & secto, multorũ arcuũ, & fortibus nitens pilis, qui vtramq; Mosæ ripã, & partem oppidi minoris, quæ trans flumen est, maiori ciuitati, coniungit. In hoc ponte aëris est mira salubritas, ac in plurima oppidi vicinaq; elegãtissima loca, vndequaquam aspectus panditur. Adeo, vt qui Huium exteri, tam ex Gallia, quã Belgio, & alijs regionibus veniunt, tria spectatu dignissima videre cupiant. Ecclesiam Maiorem, officijs diuinis mirificè decoratam; Castrum, amœnissimo loco situm: Et rari operis pontem, vt in Prouerbium abierit gallicum. Nostre Dame, le pons & lé Chateau, Sent a Huy troys beau ioueau. Ita & Argentorati, quædam ternario numero, singulari celebritate cõmemorantur. Altissima iuxta templi turris: Armamentarium vrbis, & inusitatæ magnitudinis Monocerotis cornu: Ita, & apud Venetos tria quædam, præ multis alijs magnificis rebus, commendantur, Campanaria D. Marci turris, Armamentarium, Arsenal vulgò, & incomparabilis, Reipub. thesaurus.

1. Arx Regalis.
2. Summa B. Virginis, et collegiata Ecclesia.
3. Cruciferorũ domus prima, et generalis totius Ordinis
4. Horologium.
5. Minoritæ.
6. S. Severinus
7. Albæ Moniales.
8. S. Petrus
9. Coenobium S. Quirini.
10. Monasterium novæ templi.
FLV.
HVVM OPP. CONDRVSORVM CAPVT
Cuius graphicam et genuinam picturam, accuratissimè delineatam, ad topographicum hoc opus exornandum, nobis communicauit Eruditissimus vir, D. Remaclus Limburgus, Medica professione Clarissimus, Et D. Pauli apud Leodienses Canonicus, Insignis Studiosorum Mecoenas & fautor. Anno partæ salutis. CIↃ. Ↄ. LXXIII.

NAMVRCVM.

NAMVRCENSIS Comitatus Brabantiæ, Hannoniæ, Leodiensisq; prouinciæ limitibus concluditur, angustis finibus coarctatus. Prouincia est valdè montosa, sed vtilis ac pulchra. Ferri nempè probi fodinis scatet, & cauis, subterraneisq; locis, è quibus nigrum ac rubrum, mixtumq; marmor eruitur: & alius, ad exscindēdum eximius lapis, effodi solet. Magnam quoq; salis nitri vim atq; copiam præstat. Porrò, recens in ea lapidis genus est inuentum, qui subnigrum carbonem vnctuosum, alendis & concipiendis ignibus, quale in Eburonibus cernitur, vulgus Hoillam appellat, exhibet. Nobiliorem eam, celebrioremq; reddunt Mosa, & Sambra limpidissima, fluuij, qui eam intersecant, ac lambunt, magnisq; cōmodis afficiunt. Densis syluis vestitur, quæ proceras, elegantes, & vtiles arbores gignunt. Oppida quatuor muris cincta, numerat: Namurcum videlicet, Bouinam, Carlimontem, & Vallicuriam: pagos verò centū octuaginta, & aliquot opulentas Abbatias. Est autem Namurcum, vrbs totius prouinciæ præcipua. Quam ob causam, nouus Episcopatus, ei est impositus. Originē nominis habet satis obscuram. Auctores enim quidam graues scribunt, à se, an ex alijs, haud scio, ab Naino, Gentilium Deo, appellatum, cū in mōtis vertice, ad cuius radices sita sit, habitasse, & cultum fuisse, omnibus ad eum opis consilijúe gratia ventitantibus, responsa dare consuêsse, post verò Christi aduentum (Materno prima fidei Christianæ fundamenta collocante, qui totum Eburonum agrum, ad suaue Christi iugum inuitauit) prorsus obmutuisse, inde Namurcum vocitatā. Alij hanc vrbem à Romanis, tanquā inexpugnabilem rupem, exstructam esse, referunt. Ipsos Nouū murum nominasse, vnde postea Namurci, siue vt alij perhibent, Namurræ, appellatio, corrupta, sensim voce, facta sit. Sita est inter duos montes, ad læuam, Mosæ ripam. Ad occidētem, Sambra Namurcense oppidum alluens, id duas in partes intersecat. Mosa pertransit, exituq; dein suo, in eam sese regurgitat. Abest Louanio, octo Belgicis milliaribus, decē Leodio, vndecim Bruxella. Pulchra est & amœna, arceq;, loco edito, conspicua, longius se videndam præbet. Ea in arce præclarum est Canonicorum Collegium, fundatione ac sumptibus Comitis olim institutum. Sunt & aliæ duæ, in ciuitate ipsa, Canonicorū collegiatæ Societates. Altera, in Ecclesia, D. Albano sacra, quæ Pauli quarti pontificis maximi auctoritate, Hispaniarum rege Catholico petente, in Cathedralem est euecta, cuius primus omnium Antistes designatus confirmatusque est, Reuerendissimus D. Anthonius Hauetius, insigni doctrinâ, & verbi diuini administratione clarissimus, multis annis, in aula Bruxellensi, Ecclesiastis munere, summa laudis celebritate perfunctus, omniumq; proinde iudicio, dignus & idoneus iudicatus, qui ad Episcopatus honorem eueheretur. Altera Canonicorum Ecclesia est, B. Mariæ virgini nuncupata, idq;, vt annales perhibent D. Materni, primi Tungrorum Apostoli, auspicijs. Monasteria etiam hic aliqua sunt, vtriusq; sexus, inter quæ, principem ferè locum obtinet, fratrū, instituti D. Francisci, cœnobium, non modò sumptuosa, & celebri splendoris structurâ, sed fratribus, doctrinæ, pietatisq; ornamentis illustribus, & optimis verbi diuini præconibus, celeberrimum. Multa sunt insuper in ipso comitatu cœnobia splendida, Namurcensium comitum olim pietate, constructa, & opimis honorata redditibus. Inter quæ, maximam dignitatis laudem meretur, siue ædificiorū nitorem & elegantiam, siue religiosorum fratrum, pietati candidatorum frequentiā probitatemq;, siue Cœnobiarchæ pietatem, prudētiam, eruditionemq; consideres, quod apud Floreffiam, Præmonstratensium familia incolit. Cuius prima iacta sunt fundamenta, eodem ferè tempore, quo circa annum Christi M. C. XX. D. Merberto autore, Præmonstratensium ordo, initium cœpit. Huic autem cœnobio, multis abhinc annis, optimè præfuit, R. D. Guilielmus Doupeus, Abbas, singulari dignitate pollens, in quo nec pietatem, nec eruditionem, nec in rerum administratione prudentiā, desideres, studiosorū, & doctorum hominū Mecœnas, & promotor præcipuus, qui in hoc ferè totus incumbit, vt primùm domi suæ; tum apud alios etiam, quorū ipsi cura est cōmissa, monasticam disciplinā, sartam, tectamq; conseruet. Et sicubi fortè, aut temporū iniuriâ, aut hominū negligētiâ, collabi cœpit, pristino eam nitori restituat. Eius Reuerenda dignitas, tanquā gratissimus patriæ, ciuis, Namurcensis prouinciæ conditionē, subiecto elegiaco carmine, doctissimè descripsit. Ornatur insuper hæc ciuitas, multo abhinc tempore, illustri Comitis titulo, annuoq;, nec exiguo prouētu, quondā marchionatus dignitate, cōmendata. Sed in ea sedes perpetuas fixit, totius huius Comitatus consiliū, quod appellant delectorū litibus iudicādis virorū, à quo tamē ad Mechlinienſem principis Senatū, prouocatur. Habebat quidem Bruxella Ecclesiasticā curiā, in qua controuersiæ oēs, eius Brabantię partis, discutiebātur, quæ Diœcesi Cameracēsi parebat. Nā tota Brabantia, hic nō cōparebat, sed eius pars, quæ Leodiēsem agnoscebat Episcopū, Louanij, corā tribunali istic ei cōstituto, litigabat. Nūc singulæ diœceses, nouis, paucis abhinc annis, episcopis creatis, adscriptæ, singulis episcopis parēt, vt Machlinia cum suo territorio, Archiepiscopo Mechlinienſi, Antuerpia, Buscoducū, Namurcū, Antuerpiensi, Buscoducēsi & Namurcēsi episcopis, &c. Gens armis dedita, Principiq; suo deuotissima: Gallicā, at degenerē linguā, vsurpat. Videtur nihilominus, ciuilioris vitæ studiosa, & ad nonnullas artes ingeniosa. Mercatores paucos habet, & artifices. Nobilitate verò, ita pollet, vt æquè diuersas familias ostētet, quæ generis sunt auiti, splēdorē, ad illustrissimi sanguinis principes, & auctores haud incerto referāt.

Quisquis naturam cupis huius noscere terræ,
Hanc tibi perpaucis versibus, expediam.
Vnica, ni fallor, tota est prouincia rupes,
Exilis gleba, tecta superficiem.
Rennuit hinc validum, præduros agellus aratrum,
Insidias quod ei, saxa dolosa parent.
Aresci tellus, nimium si deficit imber,
Saxaque nimbosis, ben, retegunt aquis.
Hinc à quingentis memoratur plus minus annis,
Hæc regio fermè, tota fuisse nemus.
Auguribus sunt hic aptissima telqua peritis,
Aspera dumosis, non adeunda iugis.

Terra ferax ferri est, sed penè siliginis expers,
Triticeo farri, nec benè conuenit.
Zea petrie gaudens, his pastim crescit in aruis,
Quæ farri nescit, cedere triticeo.
Salibus & lucis magna pro parte repletur,
Nec non vitiferi, collis abundat ager,
Manantes riui, vitreis de fontibus orti,
Per valles crepitans, saxaque murmur agunt.
Hu genitos amnes, vmbracula frondis opacant,
Non posset Musis, aptior esse locus.
Hic dominatus habet, fluuios Sambramque, Mosamque,
Nauigeros, tamen est, quàm Mosa, Sambra minor.

Sit licet ipse minor, multo est piscosior illo,
Et maiore beat fertilitate solum.
Metropolitanam, qui postquam perluit vrbem,
Protinus in Moleas, exoneratur aquas.
Nostraque sylua feras, dum pascit aprica fugaces,
Horrida fetigeris, tota nigrescit apris.
Præ reliquis regio est, algenti marmore diues,
Quo surgit docta, sæpè toreuma manu.
Quædam saxa rubent, niueis interlita punctis.
Porphyrius pastim creditur esse lapis.
Nauigio celeri, varium per clima feruntur,
Poscere quisque potest, vsibus apta suis.

NAMVRCVM

NAMVRCVM, preclara ad Mosæ flumen ciuitas, ad viuum expressa, D. operi nostro Geographico exornando, adiecta, cuius picturam perbenignè nobis communicauit, Reuerendus ac eruditissimus vir, D. Arnoldus Masius Eximius S. Theologiæ Professor, et Canonicus Namurcensis dignissimus, de re literaria bene meritus. Anno à C. nato, CIↃ. IↃ. LXXV.

TRAIECTVM AD MOSAM.

TRAIECTVM, vrbs in finibus Eburonum amplissima, ad vtramq; fluminis Mosæ ripam sita, & lapideo ponte iuncta, fornicibus decem, accuratissimâ structurâ confecto, à traijciendo flumine, nomen habere, constanti historicorum sententia perhibetur. Eius incolas Bethasios, Tacito dictos, Marlianus existimat, qui Cæsaris commentaria, indice copioso illustrauit. Quanquã nescio, vnde Ammianus Marcellinus acceperit, Obtrinsence Mosæ oppidũ, quo Traiectum super Mosa situm, intelligere videtur, nisi fortè id à Tungris sit mutuatus, qui Traiectum, in **Tricht**, mutârant. Et, quia Traiecti nomine duo oppida vocabãtur, alterum inferius apud Batauos, alterum superius in Thungris, hoc, **Oppertricht**, id est, superius Traiectum, & Sincoptos, **Optricht**/vocârũt: è quo Obtrincense oppidum, Marcellinus fecit: Illud **Viters Tricht**/id est, Exterius Traiectum, & concisè, **Vttricht**/nominârũt. Quæ verò pars Traiecti ad Mosam, Orientali littori adiacet, **Wick**/vulgari idiomate dicitur. De vtriusq; origine, antiquitate, nomine, ac tutelari diuo, hûc in modũ Matthias Herbinus, Scholæ Traiectensis Rector, à Ioanne Trittemio, Abbate Spanheimensi cõmendatus, libello de Traiecto instaurato, scribit. **Wickh**, ex vico, Latino nomine tractum, & vsurpatum esse videtur. Hanc aũt interpretationẽ inde coniectura colligo quòd ille locus, antequam ciuitas, ad tantam amplitudinẽ, in qua nunc est, veniret, fortè vicus paganus erat, constat enim ex antiquis historijs, ciuitatẽ hanc post aduentum B. Seruatij maximè auctã, & ampliatã hominibus, muris, & ædificijs. Ita, quæ tunc vicus paganus erat, nũc est referta viris vrbanis, & tamẽ antiquũ nomẽ retinet, quod ex appellatiuo, lõgo vsu, proprium factum est; quod fæpè apud priscos accidisse cõperimus. Nam & tota ciuitas nostra apud illos, Via Regia appellabatur, qua per eam Romani Reges, qui ijdẽ Imperatores, vel eorũ legati, Tungrim, nobilissimã tunc Galliarũ Metropolim, iter facientes, transibãt, cumq; ad Mosam peruenissent, qui ponte carebat, traiectione opus erat. à traijciendo ergo flumine Mosæ, Traiectum est nuncupatũ, quo vocabulo Iulius Cæsar, tam eloquẽs, quàm bellicosus, in Cõmentarijs suis vtitur sæpè. Et, quoniã Cæsaris mentio facta est, libet hîc de Cæsare aliquid interponere, quod ad rem nostrã attinet. Quoniam ex claris fundatoribus vrbes nõnihil gloriæ sibi solent vẽdicare, vt Cõstantinopolis à Constantino, à Romulo Roma. Primordiũ itaq; ciuitatis nostræ cõdendæ, Iulius Cæsar fuit, qui cùm multis ac magnis prælijs Galliã, Germaniamq; oppressisset, Traiectũ, conuenientissimũ locũ hybernandi copijs suis, delegit. Conspexerat enim prudentissimus Imperator, quòd is locus, seipsum facile muniebat, & nihilominus alimẽta viuẽtibus abundè suppeditabat. Habet enim ad Austrum saltus apricos amœnissimos, pabulationibus iumentorũ aptissimos. Ad occidentẽ & septentrionẽ, patentes cãpos, satorum fertilissimos. Nam ad orientẽ Mosa est, infinitis vsibus accommodus. Cui in modũ semicirculi adiunctum vallũ, omni a castra girãdo tuebatur, super cuius aggeribus positi sunt postea muri antiqui ciuitatis, qui vsq; in hodiernũ diem apparẽt, & nonnihil fortitudinis afferũt. Hæc hactenus deducta eò spectãt, vt si nobis gloriandũ sit de antiquitate, antequã saluator noster humanã carnẽ assumeret, anno circiter octauo & septuagesimo, initiati sumus: si de fundatore, à Iulio Cæsare originem traximus; si de nomine, à traijciendo flumine Mosæ dictũ est Traiectum, quum aliquando Via Regia, appellaretur. Si de præsidente Patrono, atq; ampliatore, B. Seruatio plurimũ obligati sumus, qui pontificalẽ sedem primus huic vrbi intulit, in qua viginti Episcopi resederunt. Paucæ igitur ciuitates in procinctu nostro sunt, quæ de his æquè possint gloriari. Nam aut nõ tam antiquæ, aut à minus nobili conditore fundatæ, aut non tam digno præsidente atq; ampliatore memorabiles. Cùm Cæsar oppidum constructum aggeribus, impleuit Romanis, nam lingua Latina vsi sunt per multa tempora, vt ex certissimis inditijs adhuc apparet. Et præcipuè omnia coram Scabinis & Cõsulibus negotia Latinè acta sunt, vt constat ex diuersis adhuc actis, ac literis hæreditatũ transactionum infra 200. adhuc annos Latinè scriptis. Hucusq; Herbinus. Ciuium pars Episcopo Leodiensi pars Duci Brabantiæ (qui nunc est Inuictiss. Philippus Hispaniarum Rex Catholicus &c.) paret. Qui vtriq; suos ibi habent Præfectos, ædilesq;. Senatus, Romanorum more, quotannis nouus creari solebat. Bini videlicet Coss. cum XII. Procoss. ac Quæstore ex vtriusq; Principis plebe, sed propter turbas, quæ non solũ huius oppidi Remp: sed totius Belgij statum paucos ante annos susq; deq; miserrimè agitarũt, is Senatus constituẽdi mos interruptus est: Senatu iam per Principũ deputatos ordinato, vsq; ad eorundẽ reuocationem perdurante. Primaria Traiecti Ecclesia, supra cripta exigua, in qua S. Seruatij corpus, miraculis clarũ, sepultũ erat, opere, reliquijs sacris, Canonicorum societate, & amplissimis redditibus nobile, S. Seruatio nuncupata est, religione ac pietate ciuiũ (vt Vsuardus Martyrologio suo, iussu Caroli Magni conscripto) vel à Monulpho Tungrensi Episcopo, vt Bedae testatur. In qua etiamnum eius ossa, quemadmodum & sex ex ordine successorum, cum multis alijs præstantissimis reliquijs, religiosè asseruantur, quæ ex Octauiensi Galliæ vrbe, S. Seruatius, Hunnorum deuitans tyrannidem, huc transtulit, quarum gratia ex remotissimis orbis partibus, vtpote ex Styria, Croatia, Sclauonia, Hungaria, Bohemia, Elsatia, totaq; Francia, alijsq; innumeris regionibus, & maximè singulis septennijs, dum sacræ reliquiæ potissimũ ostẽduntur, turmatim homines aduolare consueuerũt. Fuit aũt S. Seruatius eximiæ sanctitatis Tungrorũ Episcopus, qui, (vt Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Francorum cap. 5. & lib. de gloria Confessorũ, cap. 12. Libro item de Miraculis, scribit) vigilijs, & orationibus vacans, crebro lachrymarum imbre perfusus, misericordiã Domini precabatur, ne vnquã Hunnorũ gentem incredulam, in Gallias venire permitteret. Sed sentiens per spiritũ, propter delicta populi, hoc sibi non fuisse concessum, Romam ad B. Petri tumulum se contulit, vt adiunctis sibi Apostolicæ virtutis patrocinijs, quæ flagitabat, mereretur facilius obtinere. Ibi verò multis diebus sese oratione & inedia affligens, responsum accepit: Deliberatione domini sancitum esse, Hunnos Galliam depopulari debere, ipsius autẽ oculos, ea mala non visuros. Contra Euphratẽ Pseudo Episcopum sentẽtiam suam protulit in concilio Aggripino. Multum autem inter Galliæ Episcopos cõmendatur à Sulpitio Seuero, Traiectensium Seruatius, aut Seruatio, vt ipse loquitur, Tungrorum Episcopus, qui Arimini minis & terriculis Arrianorũ non cessit, sed contra eos fidei professionẽ edidit. Sed & Athanasius, magnus ille fidei propugnator, præclarè eius meminit. Magnentius Legatus mittebatur à Constantio ad Constantẽ fratrem. Is tyrannus Constantẽ occidit, & occidentis Imperiũ anno trecẽtesimo, quinquagesimo, Augustoduni occupauit. Accusatus est statim Athanasius, quòd cũ Magnentio egerit de interficiendo Constãte, vnde ad Constantinũ Apologiã scripsit, in qua inter testes innocentiæ suæ, primum nominat Seruatium Episcopũ, qui ad Constantẽ aliquando à Mexentio, pro legato missus fuerat. Petrus de Natalibus Episcopus Aquilinus, qui S. Seruatij vitã accuratè conscripsit, vltra trecentos ipsum annos vixisse, tradit. Leodiensis Hagiologium, S. Seruatius inquit, natus anno salutis XXX. Anno Tiberij Cæsaris XVI. Assumptus in Episcopũ Tungrẽsem, Anno ætatis suæ CCLXXXVII. Syluestri pontificis Anno XIII. Anno Constãtini Magni XVIIII. sedit in Episcopatu annis LXXVI. Obijt anno ætatis suæ CCCLXXIII. Hic sedem Episcopalẽ Tungrensem Traiectum transtulit, cui ibidẽ XX. successerunt. Penultimus aũt successorum fuit gloriosus & inclytus Martyr, Lambertus, qui Leodij, pro Christi nomine, sanguinẽ suum profudit, cuius discipulus atq; successor, Hupertus, loci sanguine Magistri, ac prædecessoris sui consecrati affectu tactus, Episcopalem eò sedẽ transtulit, cui hoc tẽpore, Reuerendissimus, Illustrissimusq; Princeps ac D. Dominus Gerardus à Groesbeck, cum magna Reipub. Christianæ incolumitate, emolumento ac gaudio, præest. Præbet Traiecto plurimũ vtilitatis Iecora, fluuius exiguus quidem, sed subinde niuibus resolutis, aut immodicis imbribus ita exundans, vt pagis, ædibusq; vicinis, non parum detrimenti inferat. Profilit non procul à Centronibus, Tungrosq; alluens, Traiectũ, sinuosus se confert, in cuius suburbio in duos diuisus alueos, totidem etiam locis oppidum intrat, ibiq; rursum altero alueo in plures se pandente, maximã molitoribus, fullonibus, tinctoribus, coriarijs, alijsq; opificibus, ciuiumq; domibus, commoditatem adfert. Demum Franciscanos præterluens, omnes suos alueos in vnum cogit, sicq; oppidum effluens, in Mosam se exonerat. Quin & illud memorabile, quod passim in vicinis Traiecto locis, potissimum verò in Gronsfeldt, fabulosi è terræ visceribus eruantur lapides, præstantissimi autem in pago Zichen, vtputa duriores, ac diuturniores. At deterrimi in Hunnorum monte, in quibus præter conchiliorum species, in lapidem induratas, animalium quoq; ossa reperiũtur, vnde conijcere quis possit, eos montes ex diluuij æstibus, aggregatos. Deniq;, quia tantæ vrbis magnificentia breuiori cõmentario explicari non potest, auidum lectorẽ ad accuratissimam Guicciardini Belgiam remitto, qui interiora Traiecti ornamenta diligẽter perscrutatus est. De eius item ponte, nomine, & primo fundatore, quædam etiam Hubertus Leodius, commentario de Tungris & Eburonibus. Et Io. Beccanus Medica professione clarus, in suis Beccselanis, in hac vrbe Traiectensi vita functus & terræ commissus.

TRAIECTVM ad Mosam, vrbs, et natura loci, munitionibusq́, et populi freq̃uẽtia, et edificijs, et Ampliss: Canonicor. Collegio nobilis, Speciem prębet vrbiũ duar., coniũ gente eas ponte longiusculo. Cuius iconem, ad Topographicum hoc opus exornandum, Venerandus Et Egregius vir D. Simon à Bello Monte Ecclesiæ S. Seruatij Traiecten: Sacellanus, sua industria et penicillo ad viuum accuratissimè expressam, contulit.

1 S. Seruatij Canonicor. Collegiũ
2 S. Mariæ Colle: Cano:
3 S. Iohan: Bapt: Ecclĩa Parrochia:
4 Parochia S. Nicolai
5 Parrochia S. Matt: in foro lignor.
6 Parrochia S. Mart: in opp: Wick
7 Augustinenses.
8 Dominicani
9 Franciscani
10 Cruciferi
11 Bogardi.
12 Antonitæ [Teutonicor.
13 Ecclesia Et Domus D.D.
14 Lollardi
15 Albæ virgines.
16 Cœnobiũ virg: vulgo: Den Beyart
17 S. Andreas, Dict: Der magden dries
18 Den Neuwen hoff.
19 S. Hilarij
20 S. Vincentij
21 S. Euergisli
22 S. Georgij
23 S. Mariæ Ad littus
24 S. Catharinæ. [fornicibus
25 Pons Mosę lapideus decem cõstans
26 Coll: et domus Societat: Iesu.
27 Prætorium [Wick
28 Dom. Prepositi Mersens in
29 Infirmarium publicum
30 Porta S. Petri.
31 Port: Tũngrensis, Louã: et Bruxellensis.
32 Port: Diestẽsis Et Anuerpiensis. 33 Port: Hochtana Siue Rurem:
34 Port. S. Mart: in Wick
35 Port. Aquẽsis, Dicta, Hoochbrug: poort in Wick
36 Port. cum foro Piscar:
37 Port. carbon: superior
38 Port: carbon: inferior
39 Porũ cum turri horolo:
40 Port captiuor. in eodẽ foro. 41 Pars extrema opp: quam ciuitatem nouã siue adauctã nuncupant, qua secora ãtiũ in Mosã influ.

HYPRA.

CIVITAS HYPRANA, in occiduo Flandriarum tractu constituta: à Septentrione 160. circiter stadijs distantem habet Occanum Germanicum. A meridie verò stadijs 48. flumen Lisam: quorum vsu & oportuna cõmoditate variæ à concurrentibus mercatoribus exercentur nundinationes, omnibusque ad communem victum commodis & necessarijs abunde suppeditata fruitur. Ob gentis autem Flandricæ prioribus sæculis, aut ruditatem, aut scriptorum penuriam, tum quòd hæc loca præsertim maritima, olim inculta fuisse credantur, partim quòd antea, quàm Flandri miranda industria cum mari pugnates obices, clausträque seu cataractas Oceano obiecerunt, legemque ipsi imponentes, suis littoribus concluserunt, omnia latè æstu marino, certis horis profundebantur. Partim quod olim diuersorum examina populorum, vt puta Hunnorum, VVandalorum, Gothorum, Nordmannorum, Danorum, Cymborum, Saxonum, Alanorum, aliorum ex alta Septentrione alijs, alijsque temporibus subinde erumpentia, hæc, aliaque Flandriarum loca, primò impetui & excursui obnoxia, barbarica quadam crudelitate in solitudinem redegerunt. Atque hinc factum est, vt de huius tam insignis & præclaræ ciuitatis antiquitate, aut ipsius conditore, omnia obscuriora sint dificilioraque, quàm vt certi aliquid in medium afferri possit. Hoc pro comperto habemus circa annum 1100. cœnobium Canonicorum Regularium D. Augustini ordinis, hoc in loco fuisse institutũ: Atque quam modo vocamus Hypram, olim Hypretum nominatum. Cuius rei fidem facit quædam Decretalis Gregorij Papæ, non. tit. De alienatione Iudicij, c. ex parte. Deinde hoc certo constat Ferrandum Flandrorum Comitem Francorum armis Duaco & insulis, alijsque vrbibus profligatum, & ad interiora Flandriæ compulsum, Hypram, velut commodam belli sedem, sibi delegisse, eamque amplissimis fossis, firmissimisque propugnaculis, ad Gallorum impetum, hoc loco frangendum, sistendumque muniuisse, qua seruata Flandriam sibi seruatam persuadebat. Eius enim latè patent limites, ac Iurisdictio. Multis autem etiam si vltra 90. stadia circulum non extenderis, innumerabilibus pagis, vicisque, circumspecta concluditur in quibus tanta populorum, feruet vis ac copia, vt ab eo, qui non viderit res, credi non possit. Multi enim & varij in his pagi sunt, qui 2000. 3000. & 4000. & plura hominum quos vocamus Comitantes continent, tantaq; plebis multitudine, splendore, numeroq; ædificiorum, veram vrbis faciem habeant, vt his ornamentis, multas muro vallatas vrbeis, easque alioqui famatas longè superent. Qui ferè omnes lanificio, aut agriculturæ diligentem impendunt curam & operam. tantæque adeò sunt diligentiæ, vt ab ijs eatur in terræ viscera, quibusque suos stercorent, innouent, & emendent campos, magno sudore cretaceam quandam effodiunt terram, quam Plinius in naturalis Historiæ libro Margam suo tempore, ab indigenis vocitatam, (quod nomen etiam hodiè retinuit, atque in Belgis 27. Margarum genera, quibus coloni suos pastinabant feraciores que cogebant esse agros) libro 17. cap. 8. latissimè describit. Quare omnis comprimis ager optimi ferax est tritici, hordei, præterea auenæ, fabæ, pisi, viciæ, lini, lupuli, rapi, brassicarum à M. Varrone tantopere laudatarum, aliarumque frugum, bonam coloni faciunt sementem, ex lini rapique semine copiosum exprimunt oleum, pullis gallinaceis, caponibusque, qui alijs nationibus sua magnitudine admirationi sunt, equis robore, & animo præstantibus, belloque grauis armaturæ equitibus vtilissimis, inuictissimisque, equabus verò labori fortiter ferendo aptissimis, gregibusque magnarum ouium fœtura multiplici, Regia fœcundissima, Boum, vaccarumque nutrix optima: præsti casei, niuei lactis, pinguisque butyri abundantissima, vsque adeò, vt hebdomatim diebus ferè Sabbathi magno numero, confluxuque hominum Atrebates, Arteisij, Hannonij, Cameracenates hinc sua esculenta comparent. Denique vt finem his faciam, ager est to rrentibus & riuulis lætus, innumeris diues & amœnus pasceuis, nemoribusque, cæduis, arbustis dumisque suauissimis, altis arboribus, varijsque pomorum generibus, magna cura & opere consitus. Vina verò tum Francia, tum Germania, tum Hispanica, nouo denique orbe nata, fluuiorum rex magnusque pater abundè subministrat Oceanus, vt hac in regione, nihil eorum desiderare possis, quibus tantopere & meritò laudat, & in cælum vsque extollit suam Vergilius Italiam, vt non iniuria Maroni occinere possimus: Laudibus Italiæ iam certet Flandria dives. Quo pacto autem nauigio huc omnia commodè afferantur, restat vt dicamus. Torrens quidam Hypra nomine, qui loco nomen dedisse putatur, panno tingendo admodum vtilis, mediam præterlabitur vrbem, is cum sit exiguus, mira tamen industria cataractis varijs interiectis, factus est magno labore, sumptuque, nauigabilis, nec hæ cataractæ, aliarum more nauibus tranſitum patefacturæ aperiuntur, sed clausæ manent perpetuo atque decliuo in longum deducto, qua aquæ decurrunt tergo, ergatis, cochleis, orbibus, machinisque tractorijs totæ naues mercibus oneratæ, exiguo minus quam ceatum, halecum cupas, seu vasa continentes, magna vi, in superiorem attrahuntur alueum, aut in inferiorem præcipites aguntur, nauigijs nihil inde incommodi patientibus. Flandrica ingenia hac in re mirentur & stupeant meritò, cum Vegetio Euclides & Archimedes. Quod si sicca incidens æstas nauigationem destituat, plena luna magni maris aperiuntur cataractæ, æstusque marinus breui spacio totum per 90. aut 100. stadia alueum fossilem complet, clausträque æquoreis concluſis interceptus & Hyprenſibus seruire iussus Oceanus torrentem denuo nauigabilem efficit, quid non vbi intenderit humana potest industria? quid non mortalia pectora cogit, auari mercatoris auri sacra fames? Hypra itaque tertium Flandriæ membrum solo fœlix & fœcunda mercimonijs diues, opere & natura loci, ciuiumque virtute ciuitas est munitissima, quod hinc liquet, quod anno 1383. Anglis vrbem continua trium ferè mensium obsidione prementibus, & varijs insultibus fortiter vrgentibus, re infecta inglorij tandem discesserint. Ciuibus propria sua suburbia, quæ erant amplissima, incendio consumentibus, ne hosti auxilio & solatio essent, suamque Hypram, strenuè fortissimeque defendentibus à Ioanne Oultre, bellico equestris ordinis viro, tunc temporis Burgrauio seu Castellano, populique capitaneo, ad benè fortiterque pro focis & aris pugnandum, animatis. Administratur autem Hyprensium Res. more aliorum oppidorum Flandriæ, per priuilegia, vsusque & consuetudines. Magistratus habet trinos, Prætorem summum, ac Prætorem portanum, & Scultetum à Burggrauio constitutum. Constat & horum Senatus ex Aduocato & Scabinis (quos vocant) tredecim, ijsq; ad morem aliarum ciuitatum creantur annui. Item Burggrauium, seu Castellanũ habet & Municipalem domum quam Castellaniam nominant, quæ prima est septem aliarum Flandriæ occiduæ. Huius iurisdictio latè patet, domum habet egregiam amplissimamque, foro coniunctam, in qua causæ forenses, iudiciaque popularium Castellaniæ subiectorum tractantur decidunturque. Ciuitas verò Domum habet ciuicam foro expositam structura & admirabili longitudine, amplitudineque & turri quadra altissima insignem, quam indigenæ Hallas vocant, in qua (dictu incredibile) nullæ aranearum telæ pensiles, ne araneus quidem vllus sit visus vnquam. Quidam natiuæ trabium proprietati id tribuunt, qui autem rem Physicè magis penitiusque rimantur, totam hanc lignorum trabiumque molem ex Dania Nordvvegiaque mari iniectam, falsoque innantem Oceano Hypras pertractam, marinaque salsugine maceratam, corruptioni putredinique factam esse nullo modo obnoxiam disputant. In hac eadem bis per annum celebres & magnæ fiunt nundinationes, præsertim in lanificio, cuius vt cæteri omnes penè Flandri semper fuit studiosissima, quæ non modo domestica, verum etiam ab Hispanis, Anglis, & Scotis, Oceano mari aduecta vtitur lana, quam in varios pannos conflatam, & miro artificio alijs atque alijs, qui desiderari possint, coloribus infectam, tinctamque in omnes orbis prouincias peregrini efferunt & distrahunt mercatores. Populi autem religiosa pietas ex ædium sacrarum splendore & magnificentia, magnarum turrium mole ornatarum, ac procul conspicuarum, colligi potest. Sex habet parœcias, multa hominum frequentia celebres. Item quatuor monasteria, quatuor mendicantium ordinibus consecrata, præter alia multa tum virorum, tum virginum, tum pauperum cœnobia, & xenodochia. Inter quæ omnia facile longoque interuallo primas tenet templum monasteriumque. D. Martino, Augustinoque sacrum. Namq; vt hic & huius domus diuitias, templique magnitudinem opere lapideo, testudineque concamerata pulchritudinem taceamus, hoc habet peculiare, quod sede Episcopali ex Morinorum ruina huc deducta, ad inuictissimi Regis Hispaniarum, Flandriarumq; Comitis Philippi secundi preces, per summum Pontificem Pium quartum, Anno 1562. fuerit decorata. Primus ex commendatione Regia Martinus Rythouius, ob suam per vtramque Germaniam prædicatam longè lateque piam eruditionem, eruditamque pietatem, Episcopus institutus est, qui ardenti desiderio, indefessoque labore, vt bonum episcopum atque pastorem decet, magna cum suorum gratia, beneuolentia & pace, deuia reducere, collapsa erigere, luxata consolidare, pinguia custodire, stantia confirmare benè & fœliciter incœpit, indies fœliciter pergat, & in ædificatio-
nem suorum, & laudem Dei, cui omnis honor & gloria, optimè fœlicissimeque perficiat.

HYPRA FLANDRIARVM
CIVITAS MVNITISSIMA.
Die Buetersstrate
Die Groote Mardt
Stathuys
Dom kercke
Den weeh naer Belle

HYPRA FLANDRIARVM
CIVITAS MVNITISSIMA.

DVINKERCKA.

DVINKERCKA, Maritimum Flandriæ oppidum, à Balduino Comite circa annum Christi XM. LXVI. prima fundatione excitatum, tribus milliaribus Grauelinga, & quinq;, Nieporto distans. Paucis ab hinc annis incolarũ diligentia, ciuitatis benè ornatæ laudem est consequuta. Nam decenti murorum ambitu ad securitatem ciuium cinctum, etiam sumptuosis priuatarum ædium est exornatum structuris. Præstitit hoc ipsi, portus, multarum nauium capacis, opportuna cõmoditas, incolarum frequentia, & negotiationis mediocris tractatio. Verum Galli, subita & fraudulenta expugnatione hoc oppidum deformarunt, eo bello, quo Anno salutis M. D. LVIII. Calesium, & vicina aliquot oppida Anglis eripuerunt. Quæ res, vt eam paulò altius repetam, sic habet. Calesium, quod & Caletum à nonnullis adpellatur, Odoardo, Anglorum Rege, captum ab Anglis fame fuit vndecimo mense, post horribilem illam, contra Philippum Sextum Regem Galliæ commissam, ad Crecium pugnam, Anno Christi M. CCCXLVI. quantum quidam referunt. Quam pugnam, Paulus Aemilius, libro ix. diffusè narrat. Hoc oppidum igitur, Angli posederunt, CCXI. annis, magnaque diligentia, & impensa, id præsidio semper firmarunt. Tantique referre putarunt, Angliæ Reges, eo potiri: vt, hoc Saluo, se Galliæ claues in loculis habere, dicerent. Nec hoc quidem falsò. Quoniam; ex hoc, in continentem, pro animi sententia, milites suos exponebant. atq; hinc, maximos in Gallia progressus, perpetuò fecêre. Sed tandem, à Gallis oppugnatum, expugnatumque fuit. Anno M. D. LVIII. mense Februario. Quæ res: sic habet. Galli: Calendis huius mensis, magno silentio exercitum ad Neonambrigæ pontem, Arcem munitissimam, Guisio duce, quàm celerrimè perduxerunt, nullaq; omninò interiecta mora, ipsam, & Ratisbonam Arcem alteram, vno eodemq; tempore, simul obsidere, tormentisque concutere, cœperunt. Cum igitur Angli se vndique cinctos ab hoste viderent: & ei naues subsidio, ex Normania, Bononiaque, in dies aduentare: de sua salute desperantes, quod hæc sanè ex insperato contingerent: & imparatis; animos proiecerunt. Quo adcedebat, quod qui Neambrigo ponti, præsidio collocati fuerant: tantum à tormentorum fragore metum conceperant, vt relicta turpiter Arce, sese Calesium recepissent. Risbanæ verò Arcis miles: intra horam, vix obsessus, vltrò se, in liberam hostis potestatem, tradiderat. Quam ob rem; Galli, claues illas Calesij, vnà cum perquam multis bellicis tormentis, atque eorum, & annonæ, adparatu haud exiguo, repererunt. Hanc enim victoriam prosequẽtes, subitò, Calesium adpulêre. Cui oppido, tum præfectus erat Milordus Ventfurtius, vir imbecillis animi, minimaq; rerũ experientia præditus. Oppido inerat, vetus sexcentorum militum præsidium. qui ibi perpetuo stipendio addicti; nullis domesticis, externisq; bellis, exercitati, non magnum vsum habebant rei militaris. Itaque Galli hoc oppidum, varijs locis principio, tormentis tentarunt. Euestigio demũ, Arcem, qua mare spectat, triginta tribus maioribus tormentis, adorti sunt. Cui, cum muri partem decussissent, eò sub horam noctis tertiam, trium Regum die, impetum fecêre. Tunc enim maris æstus retrocesserat: & Mars Gallo fauens, noctem, nitissima illic Luna in clarissimum propè diem, conuerterat, Angli paulum resistere, mox timore circumfusi, hac relicta Arce, Caletum sese proripuerunt. Ex quo oppido, ipsi duobus leuibus adsultibus in Gallos, qui in Castris auroram expectabant, in oppidum penetraturi, impressionem mouêre. Sed adcepto damno, regressi sunt, ac pulsi. Quare certis conditionibus, sese, postridie dediderunt. Nunc verò hoc oppidum, quemadmodum & Grauelinga atq; Burburgum Hispaniarum Regem, vti supremum feudatarium agnoscunt Dominum.

GRAVELINGA.

FLANDRIAE, qua mare respicit, oppidum, ad fluuium Aa, medium quasi occupat, inter Calesium, & Duinkerckam, præcipua eius tractus, oppida, nam ab vtroque tribus tantum equè milliaribus, distat, olim celeberrimi nominis, & famæ non contemnendæ, fuit, portum habuit amplum, stationi multarum nauium, & negotiationi idoneum. Sed pristini splendoris, Nordmannorum tyrannide, tum Gallorum incursionibus plurimum amisit: Nunc verò, incolæ forti prudentiq; consilio, & pecuniam, contemnente animo, fossa lata, ac profunda, propugnaculis, & muro scitè affabreq; ædificato, oppidum suum, ab hostili incursione tutum effecerunt. Iuxta hoc oppidum, ad Cataractam Caletensem, Gallorum & Burgundiorum acies de summa rerum, magna virtute, dimicarunt, Et Egmondano Comite, Regis Philippi fortissimo duce, humiliata est Gallorum arrogantia.

BVRBVRGVM.

BVRBVRGVM, etsi exiguum & pauper, vti Meierus scribit, Flandriæ oppidum, non nisi fossa, & muro terreo, ligneoque palis compacto munitum, diu tamen multumq; Gallos exercuit, Anglis, qui id eo tempore tenebant, acriter resistentibus, vnico milliari à Grauelinga ad Colme fluuium, à Duinkercka, & Berga, tribus, & dimidiato, distat.

DVYNKERCKE.
GREVELINGE.
BORB ORCH.

DORDRACVM.

EST oppidum in Batauis peruetuſtum,in Merua fluuio ſitum,ſed quia is fluuius ex Rheno, Moſa,& Linga fluminibus,qui eò decurrunt, oritur, quidam ad quatuor fluuios ſitum ſcribunt,ſic enim effigiem oppidi ac ſitum, cum Philippus Hiſpaniarum Rex, Anno Chriſti M. D. XLIX. in id primum ingrederetur,poſſeſsionem capturus, exprimi iuſsit, & imagini hoc diſtichon inſcribi.

ME MOSA ET VVALIS, CVM LINGA, MERVAQVE CINGVNT,
AETERNAM BATAVAE VIRGINIS ECCE FIDEM.

His igitur fluuijs in inſulam redigitur. Nam anno Chriſti M. CCCC. XXI. contigit, vt VValis ac Moſa fluuij, vnà cum mari continentem,in qua hoc oppidum iacet,atq; Brabantiæ iungebatur, inundarët, quam verò latè,crudeliterq;,ſatis inde liquet,quòd vicos, ſiue pagos ſeptuaginta totos ſubmerſerint,abſorpſerintque. Numerus eorum, qui in ijs ſimul cum bonis omnibus perierint, æſtimatur vltra centum hominum millia. Paulatim tamen huius abſorptæ terræ quædam particulæ, ſolitis artibus eius prouinciæ, recuperantur. Piſces varij generis, Merua ijs locis,habet,Strutionibus & Sulmonibus, veluti circum Campenam Zuiderzea, quæ dicitur, planè ſcatet. Itaque Dordracum quinque milliaribus Gouda,ſeptem Vltraiecto,diſtat. Amplum eſt,pulchrum, ac potens, & elegantioribus ædificijs inſigne. Summum templum, quod Mariæ virgini eſt ſacrum,oculos mira pulchritudine paſcit. Quicquid vini Rhenani in Belgium adſportatur è Germania,quicquid frumenti ex Gelris, Cliuis, & Iuliacenſibus, & aliunde mediterraneis è locis, id omne in hoc oppidum, tanquam emporium, tranſuehitur. Quo nomine,tum alias ob cauſas, id creuit, & hominum multitudine perquam eſt frequens. Pugnaces etiam homines,bellicoſos,ac fortes,cùm res poſtulat, non hoc modò oppidum, ſed & vniuerſa Batauia,quouis tempore edidit. Adeò quidem,vt Iulius Cæſar Legionem Batauicam, corporis ſui cuſtodiæ præfecerit,eique primum ac præcipuum exercitus ſui ſignum commiſerit: cuius etiam ope & auxilio fretus,Britannia potitus eſt,& ciuili ſæuiente bello,feroci eorundem armatus potentia, profligarit Pompeum. Cuius deinde omnes ſucceſſores Auguſti, Batauorum fortitudine & fide commoti eos tutelæ ac defenſioni corporis, & primas in acies cooptarunt, vſque ad Vitellij Auguſti tempora, qui maximorum beneficiorum,quæ à Batauica gente perceperat, immemor, eam Roma, totaque Italia pepulit,quæ cum Rheni flumen deſcenderet,Bonnæ (oppidum eſt inter Confluentes & Vbiorum Coloniam)in Romanorum legionem,cui Flaccus Ordeouius præerat,incidit,à qua graue perpeſſa damnum,viribus tandem ac armis ſibi viam parans, Batauiam, natiuum ſolum tenuit, tandemque à Veſpaſiano,ciuſque filio Tito,in Italiam reuocata, ad priſtinum dignitatis graduum reſtituitur, multisq; augetur honoribus,& priuilegijs ob res præclaras,contra Britannos, Romanorum nomine, geſtas,eâque animorum fortitudine,rebusq; magnificè actis,conſequuta eſt laudem,vt Tacitus Batauarum magnanimitatem,præ cæteris Germaniæ populis,vehementer commendet. A qua quidem eos,qui Dordracum incolunt,nunquam defeciſſe conſtat. Graui ſiquidem,& diururno ſæuiente bello inter Flandros,Gallos,Zelandos,& Batauos,Meridionalem Batauiam Ioannes Brabantiæ Dux inuadit, omniũque oppidorum adeptus deditionem,præter Dordraci,eam ciuitatem decem dies obſidet, maioremq; eius partem,per ignita miſsilia incendit. Tandẽ Dordracenſes,duce Nicolao à Puteo,forti ac nobili viro,magnis viribus erumpunt,ac retro cedere ſingulari virtute,Brabantos cogunt,totaq; Zuuthollandia expellunt. Nec his contenti, vſq; ad Buſcumducis inſectantur, ferro,incendioq; omnia deformantes, adeò,vt Buſco etiam Ducis, firmo oppido,ignem inijcerent per inflammatas ſagittas: reuerſi dehinc cum diuite præda per Fanum Gertrudis, vnde & Brabantos eiecerunt. Poſt hæc Nicolaus ille Puteanus,Dordracenſium fortitudine,rebusque ſecundis elatus,maximos Hollandis ſuis fecit animos, moueńsque cum illis Heiſelmundam, cum Flandris quoque feliciter dimicauit, qui,ſi verus eſt numerator Ioannes Beka,cecidit hîc duo Flamingorum millia. Refert etiam Engerranus,Anno ſalutis M. CCCC. LVII. ſub exitum menſis Iulij,Dordracum incendio fortuito deflagrâſſe,duoque millia domorum,& multos in ea clade mortales,perijſſe.

DORDRACVM vulgo Dortt.
Me Mosa, & Walis, cum Linga, Meruaque cingunt,
Æternam Batauę virginis, ecce, fidem.
MERVE FLV
1 Grau monicken closter
2 S. Iacobs Gasthuÿs
3 Engelburch
4 Brandenburch
5 Gerrit euerts Thooren
6 Nieu bolwerck aen der helling
7 Het wijncopers Capel
8 Sacraments Gasthuÿs
9 Craen rodermont
10 Den Thooren van doude staketten
11 Die nieuwe haue
12 Het bolwerck op de nieuhauē
13 Het groote hooft
14 Die vuÿlpoort
15 Die herbergen buÿten de Vuÿl: poort
16 Die Poort van t'groē bolwerck
17 Thooft oft veer in Swÿnd
18 Het Stathuÿs
19 Het huÿs te merwe

LEIDA.

NOMINIS huius vrbis originem, quidam ab Romanis vſque repetunt. Cum enim Prætor Romanus, prouinciam adminiſtrans, in ea ſedes figeret, eiq́ue Legio attributa eſſet: ab Legione, Leidam, corruptè dici, ſuſpicantur. Legiam enim etiamnum Latinè, ab incolis adpellari. Alij à Ptolemæo Lugdunum Batauorum, ab Antonino Imperatore in itinerario, caput Batauorum vocitatam, ſcribunt. Qua ex re adparet, eam fuiſſe præcipuam. Hodie quoq; laneis texendis pannis, clara, priſcum tuetur decus. Pellibus item ad veſtes concinnandis, atque membranis, nomen quæſijt. Delphis abeſt tribus tantum milliaribus. Nec procul diſtat ab arce Britannorum, cuius reliquias: maris, à quo abſumpta eſt, receſſus, aliquando detegit. Anno nimirum. M. D. XX. Item, M. D. LII. & M. D. LXII. Ibidemq́ue variæ deſcriptiones marmoreæ, rudera, fragmenta, & multa numiſmata, reperta ſunt, atque in Hagam Comitis, vbi Hollandorum curia eſt, tranſlata, quæ præcellẽs, huius temporis, Coſmographus, Abrahamus Ortelius Anuerpianus, ſummus, venerandæ antiquitatis cultor, peculiari typo delineata, exhibuit. Eam autem arcem adparet à Claudio Cæſare (cui etiam Hollandiæ annales eam tribuunt,) exſtructam, in ſua expeditione Britannica, cuius Suetonius, & Dion meminerunt, ſiue in commodiorem legionum, cohortiumq́ue tranſuectionem, ſiue, quo milites hybernarẽt, eo loci forſan, vbi C. Cæſar, antea in monumentum debellati Oceani, vt Suetonius auctor eſt, Phanum erexerat, ac poſtea à Seuero reſtitutum: conſecratumq́; à M. Aurelio Antonino. Quemadmodum ex aræ inſcriptione, in ruderibus eiuſdem arcis inuentæ, conſtat.

IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS.
BRITANNIC. GERMANIC. PIVS FELIX AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. IIII. P. P. IMP. III.
ARAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA.
A. DIVO. SEVERO. PATRE. SVO. RESTITVTAM.

Quod verò Romani ex huius continentis parte, in Britanniam traiecerint, ex eo fit veriſimile, quod aduerſa huic pars inſulæ, locis antiquis, colonijsq́; maximè abundet, maximeq́; à Romanis culta fuiſſe videtur. Hactenus, de Arce Britannica. Cattorum, qui eo ex Germania migrauêre, vico, ad oram maritimam ſito, vicina etiam eſt Leida. Præ cæteris vrbibus vna mundiciei ſtudet. Mulieres in ea candore & forma nitent, quo nomine ſibi placent. Deniq; præſtat hæc vrbs ædificiorum & vrbicarum viarum elegantia. Et arcem quidem habet fructuoſis arboribus peramœnam, ſed quę cubiculis ad habitandum caret. Eſt verò in ea arce puteus longe profundiſsimus, & antiquiſsimus. A Romanis effoſſum aiunt. A quo Vaſſenarij veteris familiæ nomen ſuæ, & inſignia deducunt. Quam ob rem eum puteũ illi, cum opus eſt, omni curant reficiundũ diligẽtia. Nulla iam verò ex ijs maſcula ſtirps ſupereſt. Communi aũt, quod ad familias attinet in Batauis elogio, quaſi prouerbio dici ſolet, Vaſſenariam cæteris antiquiorem, Brederodiam nobiliorem, Egmondanam opulentiorem exiſtere. Porrò, pagus ab hac vrbe milliari, Vaſſenarum adpellatus, conſpicitur. Sed eum, deficientibus Vaſſenariæ gentis maſculis, modo Comes Lignenſis obtinet. Peſtiferum ſartorem illum, Ioannem Leidenſem, hæc vrbs tulit, qui ſe inexpiabili ſcelere Regem Anabapiſtarũ Monaſterij VVeſtphaliæ vrbe, Anno Chriſti M. D. XXXIV. creauit. De cuius inſtituto, geſtis, moribus, vita, exitio, & ſupplicio, plena eſt omnis memoriæ noſtræ hiſtoria. Sed hæc quoque fuit eruditorum ſui temporis quorundam patria. Veluti Petri Blommeuennæ Theologi, Ioannis Gerbrandi Hiſtoriographi, Engelberti Poëtæ, & Nicolai Leontij Rhetoris. Anno M. D. LXXIV. ciuilibus Auriaci Principis, à religione bellis, inclaruit. Ab Hiſpanis enim ad aliquot menſes obſeſſa, & ad deditionem ab graui oppugnatione, & longa fame cogenda, tantos ſibi in ſummo periculo, ſpiritus ſumpſit, vt extrema quæque potius pateretur. Octobris demum die tertia, hoſtibus panico pauore, ob inopinatum Auriacæ claſsis adpulſum, perculſis, atq; tandem fugientibus, præter ſpem, liberatur.


Leÿda, Batauorum Lugdunum, vulgo Leÿden, concinna ędificiorum et incolarum frequẽtia pulcherrimum nitidißimumq; opp. ab Hiſpanis obſidione cinctum, ab Auriacis autem cõmeatus inuectione liberatum Anno partę ſalutis CIↃ IↃ LXXIIII.
DIE ZEE
Arx Brittanica
Noortwyck op Zee
Noortwyck
Leewenhorſt
Voorhout
SEPTENTRIO
Sassenem
Schans
Cage
Die Keuer
Die Brasem Meer
Die drecht
Roelevaerts veen
Catwyck op Zee
Catwyck op den Rÿn
Rÿnsburch
Oostgeest
Voscuÿl
Valckenborg
Endegeest
Poel
Schans
Alckemade
Quickel
Die Spriet
Zeÿlant
Butterhuys
Schans op die dwors waling
Die rÿp wateringe
LEYDEN.
Stenevelt
Zÿlhof
Schans
Rÿnsburger poort
Zeÿlpoort
Den Ouden Rÿn
Reguliers
Waddingsvliet
Minnebroers
Den niewen Rÿn
Leÿderdorp
Die witte poort
Boshuÿsen
Hoochoort poort
Die hoge zÿde
Roomburch
OCCIDENS
ORIENS.
Die ſingel
Koepoort
Oudevliet
Die Roomburger wateringe
Zuyck
Die Vliet
Croonsteÿn
Lãmen
Die Meerburger Wateringe
Die Vliett
Die Soeterwouſche vaert
Lips
Voorſchoten
Soeterwoude
MERIDIES.

HARLEMVM.

LEMVM, natione Germanum, vt arbitror virum, & manu promptum, & illustri genere clarum, huius vrbis conditorem ferunt, & ab eius nomine Herlemum, quasi herum, hoc est, Dominum Lemum appellatã, abest Amsterodamo tribus milliaribus, ædificiorum tam domi, quàm foris elegantiâ præstat. Ei adiacent virentia prata, tum sylua peramœna. Qua mobrem præter iucundissimum in vicinos egregios pagos, munitiones & arces prospectum, eam aer ambit saluber. Hęc est omnium in Batauis vrbium maxima, & dignitate sanè secunda, Typographicam artem, in ea, à quodam fuisse primùm excogitatam, constans ea vrbe, totaque prouincia Batauorum fama est. Quam opinionem scriptores nonnulli confirmant, & quidam priuatarum eius loci rerum commentarij. Verumtamen antequam artem perficeret, & eam ipse in lucem proderet, è viuis excessisse, eius famulũ ob id Moguntiam concessisse, in qua vrbe artẽ euulgaret, & eam ob causam acceptus perbenignè fuerit. Ex Meiero, & annalibus Hollandiæ, tum etiam cõmuni omniũ, certaq; voce liquet, fœminã quandã, in quodã Hollandiæ lacu, quę vi tempestatis maris eò eiecta fuisset, Anno Christi M.CCCC. III. captam marinam, eam quidem ac nudam & mutam, in hanc vrbem ductam fuisse, patrona vestibus eam statim induit, & ad panis, lactis, & cæterorum ciborum esum, assuefecit, sila eam ex colo deducere docuit, reliqua denique mulieris officia solita præstari, Christo crucifixo honorem exhibebat, genuaq; flectebat, omnesq; quas patrona cæremonias, peragebat. Multos annos ea vixit, semper attamẽ muta. Quod ne falsum quis putet, pro certo etiã memoratur virum marinum, Anno Christi, M.D.XXVI. captum in Phrysio mari, hominibus nostris planè fuisse similem, barbatũ, capillatumq;, reliquos itẽ pilos habuisse nostris nulla re dissimiles, at valde setosos, & rudes. Edoctum & vesci panè, & cæteris cibis cottidianis. Sub initium agrestrem admodum fuisse, tandem cicuratum, non tamen ex integro, nec vnquam locutus est. Vbi non paucos annos vixisset, peste correptum, à qua semel fuerat liberatus, interijsse. Porrò, vti narrant annales Hollandiæ, & Romam tum scripsit Gilberto Horstio Clarissimo Medico, Cornelius Amsterodamus, Anno M.D.XXXI. in Balthico mari propè Elepochum Norուegiæ oppidum, alter marinus vir captus fuit. Hic Episcopum insulis ornatum, corporis habitu penitùs exprimebat. Eius imago per hominum manus volitauit. Dono datus Sigismundo Poloniæ Regi, scribitur, solumq; triduum, quod cibum capere noluerit, superfuisse, nullam vocem præter maximã quædam suspiria prorsus edidisse. Hæc minus noua videbuntur, si quis quæ Plinius, ac cæteri de huiusmodi marinis hominibus, & quæ de Tritonibus & alijs marinis monstris, tum, quæ de terrestribus veluti Satyris, quos Hieronymus agnouit, & Faunis perscripsêre, leget. Quia verò de Tritonibus, nũc incidit sermo, placet & ea, quæ Damianus Goes in Olisponis enarratione, non iniucunda, lectu, de ijsdem conscripsit, subiungere. Ad latus, inquit, montis, quod ab oceano patet, iuxta oppidum in Lusitania Sintram, sub rupe procumbente in pelagus, antrum est, quod accedente alluitur oceano, fluctusq; introrsus reprocantes, salo Spuma permisto, recipit in sese, in quo Tritonem concha canere olim visum, nostrum vulgus existimat. Quod ad locum quidem attinet, constanter quicquam affirmare non audeam, propterea, quòd ab omnibus id littus propius legentibus, cerni facilè, ac conspici possit. Tritonem verò Tiberij Cæsaris temporibus visum in Lusitania, auditumq; fuisse, ita scribit Plinius. Tiberio, inquit, Principi nunciauit Olisponensium legatio, ob id missa, visum, auditumq; in quodam specu concha canentem Tritonem, qua noscitur forma. Nec verò illud silentio prætereundum esse duximus, nostro hoc tempore plerisq; in locis, huic littori vicinis, quoddam hominum genus reperiri, qui & natura, & nomine Marini ab indigenis vocari cœperunt, ob eam præsertim causam, quòd hispidum quid in cutis superficie gerentes, notas quasdam squammarum, ac tanquam reliquias antiqui generis, per totum fermè corpus sparsas, præ se ferre, atq; retinere videantur. Eos enim ab hominibus marinis, vel Tritonibus originem, genusq; traxisse, pro certo semper habitum est, eiusq; rei initium inde profluxisse, à maioribus accepimus, Tritones videlicet ad littus prosilere interdum, atque colludere paulatim assueuisse, eosq; fructuum dulcedine delinitos, quorum in ijs locis maxima est copia, eodem reuersos sæpius, in fabali quadam incolarum æstu, eorũ aliquot interceptos, ac postea blanditijs ad excultum mansuetumq; genus vitæ traductos esse. Et quidem si fabulosum videbitur, domestica familiaritate, vocales reddi Tritones potuisse, insuperq; cum Lusitanis consuetudinem vt haberent, effecisse, fabulosius sanè mihi erit, barbarum incultumq; Tritonem, in Africa, in palude Tritonide, prosiluisse, ac cum Græcis garrientem, ab Iasone tripodem, quam Delphos asportabat, vti syrtium periculis, suo ductu euaderet, sibi dari poposcisse. Nostris verò temporibus, vt efficacius testimonium in medium afferam, piscator quidam, dum inter scopulos Barbarij promontorij, filo, hamoq;, iuxta diuæ Virginis sacellum, pisces capere contendisset, derepente ex vndis in scopulum, mas Triton exiliuit, barba prolixa, crinibus oblongis, pectore hispido, facie non admodum deformi, absolutaq; hominis forma. Qui cum paululum apricatus esset, & hominem à tergo, ipsius formam contemplantem, inspexisset, voce non humanæ dissimili prolata, territus, confestim in salum se submersit. Hæc piscator de Tritone, siue homine marino cupidis audiendi, compto ordine, ac sermone, hodierna die enarrat. Deinde paucis ab hic annis, haud procul à lunæ promontorio, vt nobis retulit Ferdinandus Aluarus, domus Indicæ scriba, vir integræ fidei, qui iuxta illud littus ruſculum habebat, cuiq; vicinus erat vir probus, minimeq; fallax. is enim vicinus persæpè piscandi gratia, se in quosdam littoris scopulos conferebat. Ibi cum negotium die quadam fœliciter succederet, (vt Ferdinandus ab eo oretenus accepit) pisces, quos hamo capiebat, à tergo sui, in aridum scopuli anfractum, quo tutius asseruarentur, proijciebat. Quod quidem persæpè inculcans, interdum nudum adolescentem imberbemq; per anfractum conspiciebat. Attamen cum in illo loco, circum vicini incolæ frequenter nare consueuissent, credebat ex ijs aliquem fortè esse. Cui, cum intentus piscationi esset, nihil verbi faciebat. Tandem intentius animaduertẽs, adolescentem pisces manu capere, & ad os deductos edere inspicit. Qua re commotus occurrit, hominem petiturus. Qui violento cursu, cachinans, ridensq;, in fugam se proripuit, pelagoq; vrinans sese submersit. Eodem ferme tempore, è regione vrbis, pelago interiecto, non procul ab oppido, quod Barrerium nostri nominant, iuxta Alfonsi Alboquerci viri patricij villam, similis formæ hominem marinum exanimem æstus maris in litus eiecit. Præterea in antiquis regni archiuis, quibus ego ipse præsum, extat adhuc compositionis chirographum vetustissimum, inter regem Alfonsum tertium, & Pelagium Petreium, equestris ordinis. D. Iacobi magistrum, transactæ, qua decretum fuit, non magistro ordinis, sed regibus deberi vectigal syrenum, aliarumq; belluarum, in ipsius ordinis littoribus captarum. Vnde facile colligitur syrenes, cum de eisdem lex lata fuerit, frequentes olim in nostris æquoribus fuisse. Sed hæc hactenus de Tritonibus, Nereidibus, syrenibusq; dicta sufficiant. Cæterum vt ad institutum, oppidumq; Harlemicum reuertamur. Cum iam postremo Harlemum sese Auriaci Principis partibus dedidisset, ab Albano Duce menses septem obsessa, ad eã annonæ inopiam redacta fuit, vt post feles, mures, canes, & cætera ad cibũ rapta animalia, solis corijs in hoc maceratis, quod mirum est, se strenue perpetuo defendens, vesceretur, vbi omnes fame tandem enecti, viribus defecissent. Anno salutis M. D. LXXIII. Mensis Iulij, die XIII. necessario pacti sunt deditionẽ ciues, militibus omnibus ab Albano cæsis. Vt is igitur obsidionem tamdiu protrahit, & vrbe potitus, eius miles seditionem mouet: Auriacus occasionem & tempus sese colligendi nactus, ita reliquas omnes vrbes in sua fide confirmat, & ad ferendum hostis impetum munit, vt animis erectæ, & Harlemensium fortitudine concitatæ, & maritima classe robustissima, instructæ, Hispanos nihili fecerint, cœperintque, mutata belli fortuna, inclinare res Albani, & victorijs maritimis Auriaci cedere veteranus.

T'MEER
MERIDIES
ORIENS
OCCIDENS
SEPTENTRIO
Die Ton
Thuys te Heemste
Barnarditen
Weylanden
Het hout
Die Baene
Die Grote
Tsparen
Tsparen flu
S. Margrieten
Die Marck
S. Ians poort
Cruys poor
HARLEMVM, Siue vt Ha: Barlan Her:
lemum, Vrbs Hollandiæ famosa, condita à quodã il:
lustri viro, cui nomen inditum fuerit, Lem, Germani:
ca lingua, vrbs hinc dici coepta Herlemis Stat, Ger:
manice Nos eadẽ ratione, Herlemũ dicim⁹ latinè. For. hic
maximũ, pulchrę dom⁹, templũ egregiũ, vrbs sita est loco per:
amoeno. Statĩ egress⁹ moenia, occurrit nem⁹ in quo varias
auiũ linguas audire licet, in quo timidi damæ, ceruiq; fuga:
ces, lepores, cuniculi, denique ferarum omne genus.

BRIELIVM.

HOLLANDIAE oppidum, rebus omnibus ad commoditatem, & vsum vitæ necessarijs, cumulatè abundans, negotiationibus admodum celebre, ac commeantium vltro citroque multitudine frequentatum, vicinorum etiam hominum concursu, nundinatione, atque mercatu, famosum. Insula, quam solum hoc oppidum, situ percommodo, occupat, **Oost vorn**, vulgari Batauorum idiomate, dicta, tam pinguibus ac glutinosis glebis, frumenti feracissimis, fœcundissimisque agris, quàm vberrimis, saginando pecori pascuis, præstat, in quibus, maximo oppidanorum emolumento ac quæstu, soli, graminumque virentium beneficio, pecora incustodito pastu vagantur. Quibus quidem dotibus, hic ager, ita excellit, vt non modò id oppidum, sed & hisce vicina limitibus reliqua ingens, ex copioso frumenti prouentu commodum, percipiant, quibus annonam, sua copia, faciliorem, & laxiorem reddit. Nam hebdomadatim Brielium nundinis frequentatur, ab adiacentium oppidorum incolis, puta Delfijs, Roterodamis, Schiddamis, Dordracensibus, Goudanis, & cæteris, quò rem frumentariam heic sibi, suisque comparent. Itaque istius oræ horreum esse Brielium, non sine ratione, dixeris. Confert ad hoc etiam adiumenti non parum, percommoda loci, situsque ratio, nam nauibus huc vndequaque commodissimum in portum, deuenitur, qui lætam, & securam nauibus stationem, præbet, in quo piscatoriæ busæ, ad halecum capturã, de qua in indice dicturi sumus, instructę, in anchoris quiescentes, accedente maris æstu, optatam opperiũtur auram, qua liberum nauigationis & piscationis cursum, in Oceano instituant. Itaque numerosa hic ciuium multitudo, piscatu se alit, à tenera siquidem ætate, in piscario tyrocinio versantur, & in remoti, altique Oceani recessibus, qui omnes ipsis exploratissimi sunt, victum quæritant, retibusq; ex mari subducunt Passeras, siue platessas, quos alij, ab instrumentorum similitudine, quibus explicantur capilli, pectines, nuncupant: planos, latosque rumbos: Asellos, vulgò **Cabbelliaw**, cute molli, nec squamosa, cineritij coloris, instar asininæ pellis, vnde & nomen habent, hos, eiusdemque generis alios recentes, Brielij, vicinoque in tractu diuenduntac distrahunt; Alios, in Brabantiam passim, Dordracum, Neomagum, Cliuorum etiam ad vrbes, salitos exportant. Naturalis verò duorum oppidorum situs conditio, Brielij, & ex opposito, Grauesandij, structura eleganti adiuta, hunc potissimum locum, piscariæ societati, & negotiationi, quæ nauibus exercetur, destinasse, consecrasseque videtur. Binæ etenim in ipsis turres, altitudine conspicuæ, tanquam Phari, saluti nauigantium excitata, videntur. Altera Brielij, præcelsa & quadrata, viuo & saxo sine cuspide: altera Graueſandij, tecto altitudinis immensæ, vestita. Eas, quia remotissimè ex mari conspiciantur, viri nautici piscatores, atque pilotæ, siue naucleri, consectantur, ne vadis inhæreant, ac sisti contingat, sed læti ad portum perueniant. Tam accurata autem, exactaque harum turrium obseruatione, Mosæ ostium, ac Brielij portum, piscatores subeunt, vt ne intempesta quidem nocte ab eo deflectant, aut in diuersum rapiantur. Cuius quidem obseruationis imperiti, insigni mercium atque vectorum damno, frequenter aberrant. Huius porrò oppidi foueæ, aqua marina, & proinde salsa affectione imbuta, repletæ, stupendum quoddam, & abditum naturæ secretum, ostentant. Nam, cum neque in oppido ipso, neque in vniuersa hac insula Oostvorniana, fons inueniatur, aut puteus, dulcem subministrans aquam, neque etiam ratio excogitari quæpiam possit, vllo in loco alium, arte; aut humana industria ex terræ visceribus eruendi, tamen in solis Brielij foueis, puteis, aqua salsa, omni ex parte circumfusus conspicitur, ad quem ponticulo aditus patet, ex quo aquam omnem ad huius vitæ vsuram necessariam, incolæ hauriunt. Is, vulgariter Batauis, **Piermanßwelle**, dicitur. Ex his itaque constat, & soli bonitate, & situs, locique præstantia, & negotiationis vsu, plurima, naturæ auctorem, huic oppido, & singularia concessisse dona, quæ idipsum præ multis alijs, magnitudine magis conspicuis vrbibus, commendabile reddant. Cæterum, quemadmodum Hadrianus Barlandus, in compendiosa Hollandiæ descriptione, vnicè dolet, hanc tam nobilem, tamque florentem prouinciam, Lutheranæ factioni, nimis fauere, ita nunc, iustiore de causa, deplorandum, eam, funestissimis Geusiorum seditionibus deformatam, quibus plurimarum Rerumpub. optimè constitutarum, politias euertunt. Accidit enim superiore anno M. D. LXXII. Calendis Aprilis, vt Lummeus Comes, gregarijs aliquot stipatus militibus, in oppidum Hollandiæ, Enckhusen, cursum suum dirigeret, sed ob auram reflatam, ipsius impediti conatus, in Mosæ ostium reijceretur. Itaque sumpto ex loco consilio, militem in continentem expositum, sub oppidi mœnia, magna acceleratione, subducit, & patefactis incendio portis, vnius etiam patriæ proditoris Robool, Delfo oriundi, opera vsus (de quo paulò pòst Vltraiecti, in arce pacis, siue Freeburgiana, est sumptum supplicium) Brielium, facili negotio inuadit, ac tenet, absentibus superioribus, quos negotiatio, in alto exercebat oceano, & incondita multitudine repugnare non ausa, quæ graui, ob inopinatam & subitam hostium irruptionem, consternata mœrore, Geusiorum se potestati tradebat. Hæc prima intestini Batauici belli fuerunt initia, quæ, quia nimis sunt leuia ab ijs iudicata, atque contempta, qui initijs & debebant, & facile potuissent obstare, id nunc eas vires, & incrementa sumpsisse videmus, vt amissis non paucis oppidis, municipijs, & pagis, politici status perturbationem, magnamque caritatem annonæ vicinis regionibus, & superiori Germaniæ intulisse videamus.

MERIDIES.

FLACKEE

OCCIDENS.

ORIENS.

MAESE FLV.

SEPTENTRIO.

1 Maerlantsche kerck
2 Groote kerck
3 De marckt
4 t'Raethuys
5 t'Gasthuys
6 Oos Voorn
7 Recainge
8 Helwoeten
9 Nieuwen hoorn
10 Ouden hoorn
11 Nieulant
12 Swartewael
13 Heevliet
14 Alben brouck
15 Bolwerck
16 Blyinck vliet

BRILIVM, HOLANDIÆ OPP. OB INTESTINVM BATAVICVM BEL' LVM, QVOD ANNO PARTÆ SALVTIS, M. D. LXXII. CA' LEND APRLIS, HÎC INITIVM SVMPSIT, FAMOSVM

MIDDELBVRGVM.

VRBS est,non insulæ Zelandiæ tantùm,verùm etiam totius prouinciæ siue comitatus, quem appellant,Metropolis,Middelburgũ verò dictam,quidam putant,quasi,in insulę medio situm Burgum.Eruditiores tamẽ,etsi re longè petita, credunt à Mattiacis nomẽ adcepisse.Nonnulli,à Metello,& eam ob causam,Metelli Burgum,appellant.Astrologi,poli longitudinem gradibus XVII. minutisq; XXVI. latitudinem autem gradibus LI. minutis, XLVIII. metiuntur. Loco sita est optimo. Ad orientem solem, Ermuda portu,passibus CCCXXXIII.abest; Excluſa V. milliaribus,Dordraco,Hollandiæ oppido XVII.Duobus ab hac vrbe canalibus Ermudam vsque nauigatur.Eorum vnus est perantiquus, sed ita sinuosus ac strictus,vt sit perquam incommodus.Alter recentis operis,rectus est, adeoq; largus ac profundus,vt naues ducentis nauticis dolijs: Dolium autem sex amas, vt vulgus appellat, hoc est,vini plaustrum,capit, onustas ferat. Peramœnam esse aiunt,etsi aërem parum salubrem habet. Vndique cincta est valido muro,quem ambiunt largæ,profundæq; fossæ, exteriori muro firmatæ. Quamobrem munita est. Eius vici perpulchri,domus elegantes,Monasteria porrò splendida.Illud virorũ maximè, quod ordini Præmonstratensi subijcitur, & Abbatiæ nomine insignitum, D. Nicolao est sacrũ,A Godebaldo XXIV. Vltraiectensi Episcopo,institutum scribitur. Id demum ex integro propè,Guilielmus Romanorum Rex,Hollandiæ,Zelandiæq; Comes,faciundũ ampliandumq; curauit. In quo & ipse, & Regina Elizabetha,duobus sepulchris,egregiè structis,conduntur. Duabus rebus est nobile, amplis videlicet redditibus annuis,& bibliotheca,quæ librorum habet copiam.Huius Monasterij Abbas, tantam auctoritatem obtinet, vt solus omnium Zelandiæ Ecclesiasticorum nomine, publicis, in omnibus, prouinciæ conuentibus,atq; negotijs,consensum præbeat.Emporium est hæc vrbs omnium vinorum, quæ mari ex Gallia,Hispania,Lusitania,aliundeq;, in Belgium aduehuntur. Alterius quoque generis commercijs,quàm maritimæ, qua claret, negotiationis lucro est mercatoribus haud equidem paucis. Ita diuitijs potens,vt proximis superioribus annis, ipsa sibi ab eius domino Ermudam oppidum,in quo naues portum capiant,coëmerit.Paullum genuit cognomento Middelburgensem, qui propter summam in Mathematicis disciplinis eruditionem,egregiamq; virtutem, corrigendo & restituendo vero calculo diei,quo sanctum Pascha celebrari oporteat, Romam adscitus fuit,& creatus Episcopus. Id,quod eius opus,inscriptum de Paschate, testatur. Edidit etiam vrbis vicinia Nicolaum Euerardum Middelburgensis cognomento notum, Iuris ciuilis Pontificijq; doctrina, cumprimis excelluit. Cuius rei fidem is liber facit,quem de Iuris locis conscripsit.Peritia quoq; valuit Reipub.gerendæ,ad quam velut per gradus ascendit. Nam Præses primùm fuit Hollandici Regij senatus, ac demum Mechlinienſis omnium supremi,quem Magistratum administrans,Anno M. D. XXXII. in fata concesit. Natis ex se filijs felix,omnes enim ingenio singulari præditi, præter Iuris ciuilis scientiam, quam erant amplexi, natura,in claros Poëtas euasêre. Quinque autem fuerunt. Petrus, Præmonstratensis ordinis prælatus, qui suprema Theologiæ ac Iuris ciuilis insignia,propter doctrinam,est adeptus.Euerardus Nicolaus,Phrysij Regis senatus,ac dein supremi Mechlinienſis Præses. Nicolaus Grudius,Poëta & Iurisconsultus, & humaniorum omnium litterarum elegantia perpolitus,Regius Consiliarius,& Ordinis Equitum Aurei Velleris Secretarius.Hadrianus Marius,Magnus Gelriæ Cancellarius, & Ioannes Secundus,qui adolescens,carminis excellentiâ nobilis exstitit. Petri quoque Ximenij hæc vrbs est patria, in qua, vtroque parente,natus est Hispano,vir,non solum eximia virtute,probitateq; pręstans,sed etiam exacta Latinæ,Græcæ,& Hebraicæ linguæ cognitione præcellens.Philosophiam omnem adprimè callet,atque Theologiam,quibus prędidijs instructus,eruditissimum,& necessarium opus,quo nostræ religionis veritatem demonstrationibus ostendit,ab hinc circiter decennium scribere adgressus, magna ex parte iam confecit. Hanc vrbem anno proximo superiore M. D. LXXIV. Auriacus Princeps, obsesis annum propè,omnibus maris itineribus,quibus in eam ab Hispanis annona inuehi posset,fame tum capta Ramechena arce,potentiq; hostis classe non semel fusa,ipse in suam potestatem deditione, redegit.

Die Vlissinge poort
Die Marckt
Stats huys
Die Noort poort
Minne bruders
Den dam.
Die Suyt dam poort.
Den Niewen dijck
MIDDELBVR:
GVM, SELAN:
DIAE OPP: SI:
TV, OPERE, ET
MERCIMONIIS,
FLORENTISS:

NOVIOMAGVS.

NOVIOMAGVM, vrbem ſuam indigenæ, nunc Regnum, nunc baſim Imperij appellant, quòd vna ſit trium earum, quas Carolus Magnus quondam ſibi ſedes delegerat. Primam aiunt Aquiſgranum fuiſſe, ſecundam Nouiomagum, tertiam Theonis Villam. De origine eius, Gelden aurius ciuis, in hiſtoria ſua Batauica, à Mago potentiſsimo Gallorum Rege, Ditis filio conditam, & de eius nomine Magam appellatam fuiſſe tradit. Pòſt temporis progreſſu, à Batone Cattorum Regulo, iſtuc tranſmittente, loci amœnitate capto, tum etiam antiquæ nobilitati iſtic gratificaturo, inſtauratam atque auctam, triplici mœniorum ambitu cinxiſſe, ac inde Nouiomagum vocaſſe. Addit idem, Batonis filium Heſsium patriam ſuam ſummopere ornaſſe, vnde procliuior eius pars etiamnum, ab eo, mons Heſsij dicatur. Poſtremo adiungit, omnium ordinum conſenſione, à Batauis regiam ac prouinciæ caput conſtitutam eſſe. Vtcunq; eſt, liquet, perantiquam eſſe vrbem ad eam Rheni partem collocatam, quæ Vahalis vulgò vocatur, flumen inibi & latiſsimum, & altiſsimum, duobus milliaribus ab arce Rauenſtenia diſtat. Aedificiorum ſtructura nobilis profectò eſt & firma, populoſa & diues. Nam poſtquam nouiſsimè ad Auſtriacam domum redijt, ciues cùm mercaturis faciendis, tum literis operam dederunt, antea ferè nulli rei intenti nec aſſueti, quàm bello & armis. Habuit tamen olim diuerſos viros litterarum doctrina illuſtros, qui varia opera & ſe, & Repub. digna, ediderunt, vt Theodoricum Borguium, Ioannem Henricum, Henricum Bronchorſtium. Hoc verò tempore habet D. Franciſcum Craneueldium, Melchlinienſis Regij concilij Senatorem, virum vti doctum, ita ſingularem virtutis & ſtudiorum patronum. Gerardo quoque Falckopyrgico patria eſt, iuueni, ſingularis eruditionis, & magnæ expectationis. Sunt etiam iſtic innnmeri alij bonis litteris dediti. Inter alia quoque gymnaſium erectum, in quo à ſeptem magiſtris vtraque lingua, Latina & Græca, ſingulari Reipub. vtilitate & laude docetur. Templorum, quæ ibi ornatiſsima certè ſunt, omnium excellentiſsima eſt baſilica D. Stephano dicata. Inter rerum porrò miracula perantiqua eſt arx illa, in colle ſita, vrbi imminens, quam à Iulio Cæſare ædificatam, aut ſaltem inſtauratam aiunt, quaſi dominatricem atq; exploratricẽ ſubiectę atq; circumiacentis viciniæ. Ambigi profectò poſſit, an vlla alia totius Belgicæ ſpecula, amœniorem regionum, fluuiorum, agrorum, terrarumq; proſpectum habeat. Hîc iuxta, atq; in vicinis municipijs repertæ aliquando priſcorum Romanorum reliquię, puta numiſmata, lapides, marmora, inſtructiſsimarum domorum parietinæ, ſepulcra, monumentaq; ſolerter perquirendi perſcrutandiq; terræ viſcera deſyderio ciues afficiunt. Cuius rei luculentiſsimus teſtis eſt, inſtar multorum, Ioannes Falcopyrgicus, ciuis Nouiomagenſis, homo virtutis & antiquitatis perſtudioſus, qui domi ſuæ tres, aut quatuor tabulas marmoreas oſtentat, vnà cum illuſtrium virorum elogijs, epitaphijs, atq; inſcriptionibus. Habet etiam Nouiomagum vicecomitatus titulum, eſtque vrbs & feudum Imperij. Monetæ cudẽdæ ius habet, vt & cæteræ Imperij vrbes liberæ. Prouocatur inde non ad Geldriæ Cancellariam: ſed recta ad Aquiſgranenſem curiam. Quotannis certum hominem Aquiſgranum mittit, qui defert eò cheirothecam piperis plenam, Imperialis feudi agnitionis ergò. Philippus tamen Rex Catholicus, vti Dux Geldriæ, iſtic, quemadmodum alibi, monetam percuti curat. Eccleſiaſticus ordo eius vrbis, paret Archiepiſcopo Colonienſi, niſi hæc nouorum epiſcoporum in hiſce regionibus inſtitutio, perturbarit. Hæc vrbs totius Ducatus, & ſingulatim primæ tetrarchiæ, Geldriæ, omnium ampliſsimæ caput eſt, cuius territorio comprehendũtur, Tiletum, & Bommela, ciuitates muris clauſæ, vel Gentum Gandauum, & Bommelerouerda, non quidem mœnijs cinctæ, at tamen priuilegijs & immunitatibus donatæ, item ſuperior atq; inferior Batauia, cum tota ea plaga, quæ Moſa & Vahali fluminib. includitur, adeò, vt generatim omnes hi municipes ſe Nouiomagi ſiſtere, iure cogantur. Acceſsit hæc ditio Geldriæ Ducatui, Anno M. CC. XLVIII. hac ratione. Otto II. Comes, Guilielmo Rom. Regi vnum & viginti millia argenti infecti pondo, mutuo dederat, ea lege & conditione, vt, niſi certa die commodatam pecuniæ ſummam perſolueret, Geldrienſis, in eam poſſeſsionem, vt ſuam ac propriam, veniret, quæ conuenta, pluribus etiam conditionibus additis, poſtea à Rodolpho, itidem Romanorum Rege, confirmata ſunt. Cum verò, ad conſtitutum tempus, ſiue propter ærarij tenuitatem, ſiue incuria quadam, pecunia illi reddita non eſſet, ex conuentu, certis tamen conditionibus, Nouiomagenſis ditio, Geldriæ Comiti ceſsit.

Hæc ex Guicciardino, ſunt deſumpta.

NOVIOMAGIVVM siue Nouiomagū
vulgo Nÿmmegen i inclita quondam Franco
rum Regia vrbs GGelriæ primaria
S. Steffens kerrich
S. Ian
Die schoel
Den Wallick hof
S. Thomus
Ten broeren
Den hessen berich
Die Apsterfanten
Die frateren
Die Craen poort
Die clein portzen
S. Iacob port
Die boddel poort
W A E L F L V.

VRBS CAMPENSIS.

LICET Transiſelanis annumeretur, ciuitas tamen eſt trans Iſelam ſita in ſiniſtra eius fluminis ripa, non procul ab ijſdem oſtijs condita, quatuor Dauentria milliaribus abeſt, honeſta alioqui, ampla, ac ædificiorum deſcriptione nobilis. Hinc Albertus Pighius Patricius, vir in omni ſcientia verſatus, oriundus fuit, qui ſui nominis celebritate, patriam quoque toto orbe celebriorem, atque illuſtriorem reddidit. Inſignis inprimis Theologus, multa contra Martinum Lutherum doctiſimè diſputauit ac ſcripſit. Coſmographiam quoque profitebatur, excellens inſtrumentorum mathematicorum fabricator, quamobrem Hadriano ſexto, Pontifici Max. charus, diu cum ipſo vixit. Hinc ex Belgio eum in Hiſpaniam, atque inde in Italiam comitatus. Eo verò Pontifice mortuo, nihilo ſecius Pighij virtutem atque eruditionem Romana curia admirata eſt, quinetiam Clemens VII. & Paulus III. Pontifices Max. quorum poſtremum itidem Mathematicen docuit, plurimi rarum hominem, tametſi peregrinum, fecere, adeò, vt honorum & opum plenus Albertus, tandem Roma in patriam reuerſus, cum inibi omnibus æquè gratus atque acceptus aliquandiu vixiſſet, in dulciſsimo literarum otio ad extremum, ſumma cum ſui nominis gloria, vita defunctus eſt. Cuius iam nepos, decus & honorem familiæ conſeruat Stephanus Pighius, virtutis ſtudioſus, & valdè litteratus, idemque inſignis antiquarius. Eſt etiam vrbs iſta Campenſis, in confœderatam Hanſeaticam ſocietatem recepta, quo nomine, non minimum eius felicitati adceſsiſſe vnuſquilibet facilè & libenter fatebitur, cui eius confœderationis inſtitutum, perſpectum & cognitum erit. Anza etenim, vltra omnem hominum memoriam, nihil aliud fuit, quàm honeſta communio, & fœderata ſocietas plurium ciuitatum, oppidorum, burgorum, villarum, pagorum, illisque adiacentium & ſubditorum territoriorum, olim cum propter multifaria accepta, relataque beneficia, tum, vt mutuus, & ſecurus terra, marique mercaturæ intercurſus conſtaret, non ſolùm à multis Angliæ Regibus, ſed & Galliæ, Daniæ, ac magnæ Moſcouiæ, nec non & Flandriæ, & Brabantiæ Ducibus, varijs & multis priuilegijs, libertatibus, immunitatibusque exornata, quæ quidem communio & ſocietas, lingua Teutonica, Anze vocatur. Hæc quatuor habet emporia, in quibus ſuos mercatus negotiatores habent. Vnum Brugis, quæ ciuitas eſt Flandriæ. Id nunc Anuerpiam translatum, ampliſsimam habet domum in noua, quam ciuitatem adauctam nuncupant, ſtructura ſplendida, ac ſumptuoſa, commodo etiam ſitu præſtantem. Nam canalibus vtrinque latiſsimis clauditur, quibus onerariæ naues, ex Oſtlandia, & remotiſsimis totius vniuerſi partibus, merces ſuas, ad iſtius domus limina deferunt. Alterum Lugduni in Anglia, ad Thameſis fluminis ripam ſiniſtram, quod vulgò Stiliard vocitatur, habens domum Gildehaldam Teutonicorum, nuncupatam. In qua certis quibuſdam œconomicis legibus, ad frugalitatem, & honeſtam morum ciuilitatem, à prudentibus viris excogitatis viuitur, præſidentibus Hanſeaticarum ciuitatum nomine Aldermanno, & ſecretario. Tertium in Nouguardia Ruſsiæ vrbe potentiſsima. Quartum Bergæ in Noruegia. Septuaginta duarum præſtantiſsimarum vrbium ſocietate, Hanſeaticum hoc fœdus continetur, quæ Lubecæ (vrbs eſt Oſtlandiæ ad Trauenam & Vaceniſſam flumina, ſita, eius fœderis caput) de publicis acturæ negotijs, vt plurimum conueniunt. Syndicum habent, qui communibus ſocietatis & mercatorum negotijs, præeſt. Id muneris nunc, maximo ciuitatum & emporiorum emolumento ac commodo, adminiſtrat Clariſsimus, & Eximius vir, D. Henricus Sudermannus I. V. Doctor, Patritius Agrippinenſis, vir æuo duratura memoria, dignus. Porrò Illuſtriſsimi quique Reges ac Principes, ac inter eos hi omnium maximè, Angliæ, Franciæ, Poloniæ, Daniæ, Moſcouiæ, Suetiæ, Flandriæ, Brabantiæ, omnes mercatores ac ſubditos ciuitatum Anzæ Teutonicæ, iam enumerata emporia frequentantes, varijs ac multis præſtantiſsimis priuilegijs, libertatibus, liberis conſuetudinibus, immunitatibusque exornant, quibus etiamnum fruuntur.

Icon ciuitat Campen-
sis, cuius situs, flum fluuium,
eleganti venuste, decorat

GRONINGA.

GRVNIVS Troianus huic Phryſiæ vrbi nomen dedit, quemadmodum quidam opinantur. Sed mihi ſuſpectæ ſunt pleręque populorum & vrbium origines, illæ præſertim, quæ deducuntur à Troianis. Munſterus Francum dicit, non Troianum. Sed & Troianus fuit, ſi Franci verè ſuum genus à Troianis repetunt. Poli huius vrbis longitudo, graduum nouem & viginti minutorum viginti quatuor deſcribitur. Latitudo verò quinquaginta trium graduum, & ſexdecim minutorum. Leuardia ſex milliaribus abeſt. Per hanc vrbem multæ, eo ingentibus canalibus, quorum maior pars artificioſè manuque facta eſt, ductis, aquæ defluunt. Vrbs eſt ampla, legibus propriis regitur: & ipſa iuris dictionem obtinet, multorum vndique vicinorum ſibi fœderatorum pagorum domina. Quod ad bonarum artium ſtudia pertinet, vnius inter eruditos ſummi viri Rodolphi Agricolæ, in qua is natus eſt, laude claret. Cui ſub annum M. CCCC. LXXXV. Heidelbergæ mortuo, Hermolaus Barbarus Venetus, doctorum ſui temporis hominum facilè princeps, hoc elegantiſsimum tetraſtichon poſuit.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Phryſij ſpemq; decusq; ſoli.
Scilicet: hoc uiuo meruit Germania laudis,
Quidquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Cum hæc vrbs verò clientelis potens ſit, ſeparatam prouinciam conſtituit, & ob id titulum à ſuo nomine Principi proprium adtribuens. Hanc vrbem & prouinciam Embde Comes Georgio Saxoniæ Duci, Caroli quinti Imperatoris clienti, ſiue, vt nunc recentiores Iuriſconſulti loquuntur, feudatario, eripuit. Sed, vbi eam tueri ſibi, retinereque non valeret: eam ille Carolo Gelriæ Duci, Anno circiter M. D. XIIII. tradidit. Quam rem Georgius indignè ferens, ita ab hac mutatione, & Phryſiæ motibus abhorrens, vt eam vrbem, & vniuerſam Phryſiæ Prouinciam Carolo quinto, tanquam ſupremo Domino, nimirum Imperatori, Anno M. D. XV. ceſſerit. Inde nata inter Burgundos & Gelros atrociſsima bella. Quæ demum, inito contractu, conſopita fuêre. Inter cætera conuentum, vt Dux Carolus, ea Prouincia, dum viueret, frueretur. Poſt eius obitum verò ad Carolum quintum tanquam Phryſiæ dominum, vel ad eius legitimos hæredes, rediret: ſed hac de re plura, in Phryſiæ chronico Batauorum Lugduni, ſiue Leidæ, Anno partæ ſalutis M. D. LIII. edito, inueniuntur. Poſterius ſuperioribus proximis his annis comes Ludouicus Naſſouius Albano Duci Belgij Præfecto bellum in hac Prouincia, Auriaci Principis, cuius Germanus erat frater, partes, contra Hiſpanos Albanumque ſecutus, mouit, & victoria, (Hiſpanis, qui veterani omnes erant, vna cum duce fortiſsimo, reique militaris peritiſsimo Arenbergico comite cæſis) eſt potitus. Vt Albanus deinde ipſe, ſumpto primum Bruxellæ de Egmondano Hornenſique Comite, quos Gandaui captiuos habebat, ſupplicio; collectis tandem maximis copijs, eo peruenerit, & Ludouici Comitis exercitum, quod is viribus, militum numero, cæteriſque rebus omnibus, longè impar eſſet, fuderit & diſsiparit, vrbemque obſidione liberarit.



GRONINGA, opulenta, populosa, et valide contra hostiles insultus munita Phrisię vrbs, Ptolemęo Phileum, constructa et denominata à Grunno Anthenoris Regis Francorum fratre, Anno ante incarnationem Christi, CCC LXXVII. vt Hunibaldus scribit.

EMBDENA.

EMBDENA, Frisiæ orientalis vrbs, Metropolitico honore conspicua, recẽti hominum memoria, ad summum vrbis quam optimè constitutæ, splendore m euecta, plurima, hominum admiratione ostentat, quorum vel singula saltem, benè formatam politiam conseruare, opumq; affluentia, beare queant. Mercatoribus habitatur ditissimis, ædibus & publicis, & priuatis superbissimè colitur. Portu amplissimo, plurimarum nauium capace, adeò se commendabilem reddit, vt non existimem in vniuersa Batauia, Frisia, aut Belgio demum reliquo, similem portus commoditatem inueniri, in quo ad vallum & mœnia vsque vrbis, tutissima nauibus statio, præbetur. Quo fit, vt Emporium nunc sit populosum, & amplissimos negotiatores ex remotissimis mundi partibus huc ad se prouocet, atq; alliciat. Hinc superioribus annis, dum Anglorum natio in Brabantia Anuerpiam deserit, Embdenam potissimum delegit, vt ibi pannorum & Britannicarum mercium, Stapulum, vulgò Staapell, constituerent, quo factum est, vt remotissimarum gentium negotiatores, qui eas sibi merces, non tam necessarias, quàm elatioribus & delicatulis gratas, compararent, magno frequentiq; numero Embdenam inuiserint, quas deinde ingenti pecunia, Francofurti ad Mœnum, in nundinis distrahunt. Nunc verò, etsi negotiatores Angli, quorum nonnulli grauioribus plerisq; viris, futiles, & leuiores esse homines, videntur, hanc quoq; vrbem, vti primum in Flandria Brugas, tum in Brabantia Anuerpiam, residentia deserentes, Hamburgum, nobile Saxoniæ oppidum, aquis, & varijs ad negotiationem commoditatibus præstans, concesserint, nihilo tamen secius, mirandum in modum Embdena mercimonijs floret, publicis priuatisq; ædificijs, tantis exornatur sumptibus, vt stuporem videntibus moueant. Maximè, si quis magnificam noui Prętorij structuram, eam quoq; ciuitatis partem aspiciat, quam adauctam nuncupant, in qua, præter elegantes ciuium ædes, Euripos & canales videre est plurimos, quibus multorum onerum naues, in ipsam vrbem admittunt. Frequentissimus siquidem hic, maximarum nauium quotidiè, ex remotis, totius vniuersi locis, ex Liuonia, & Noruegia, & reliquis septentrionalibus regionibus, ex Gallia item, Anglia, & Hispania appulsus: Adeò, vt Embdensi in portu, nullo non tempore, florentissima maximarum nauium classis, fida, tutaq; statione, vtatur. Ita, vt nunc celeberrimi emporij fama, exteris Embdena innotescat. Arcem etiam habet, quæ validis propugnaculis firma, & marinis circumfusa aquis, vrbem in tuto collocat, quam eius territorij Comes tenet. Is, Romano Imperio paret, neq; alium existimo portum marinum esse Imperio, tanta opportunitate, præstantiaq; florentem. Mira hîc omnium rerum, & exuberans copia videtur, non earum modò, quibus satis necessitati fieri, sed & quibus voluptatis studium concitari queat. Præstat hoc ciuibus, tam portus, & importationum commoditas, quàm natiua Frisiæ vbertas. Agrum siquidem planum, & pascuis fœcundum, naturæ beneficio obtinet, cuius quidem, quam glutinosæ, & pingues sint glebæ, quam feracia sint pascua, quam numerosi armentorum & pecudum greges, vix verbis explicari potest, Docet id exquisiti, delicatiq; saporis, butyri & casei, ad miraculum vsq; copia, quæ vberrimo Embdensium quæstu, & emolumento maximo, ad varias regiones, & per vniuersam Germaniam defertur. Quin etiam non obscurè hoc cõprobant, pingues, & supra vulgarem magnitudinem boues, quorum aliquot myriades in pascuis passim oberrare videntur, qui soli, graminumque beneficio, adeo impingue scunt, vt exteræ etiam nationes ijs potissimum delectentur. Ex candidissimo etiam sale, quod indigenarum industria conficitur, nomen Embdena meruit. Quod si incolarum conditionem quis scire desideret, eam Aeneas Syluius, diligens perlustrator Europæ, subiunget. Gens, inquit, Frisiorum ferox, & armis exercitata, robusti, & proceri corporis, securi atq; intrepidi animi, liberam se esse gloriatur, quamuis Philippus Burgundiæ Princeps, eius se terræ dominum vocet. Re vera, libera Phrisia est, suis vtẽs moribus, exteris nec parere sustinet, neq; dominari cupit: haud inuitus Phriso pro libertate mortem oppetit. Dignitas in hac gente militaris inuisa. Sublimem virum, qui se cæteris efferat, non ferunt. Magistratus annuos eligunt, qui Rempub. æquo iure disponant. Fœminarum impudicitiam sæuerius puniunt. Sacerdotes, ne aliena cubilia polluant, sine coniuge non facilè admittunt. Vix enim continere hominem posse, & supra naturam arbitrantur. In pecoribus omnis eorum substantia est, ager planus, ac palustris est, multò gramine fœcundus, ligno caret. Bituminoso cespite, & sicco stercore boum, ignes fouent, & cæt.

EMBDENA, Embden vrbs
Frisiæ orientalis primaria.
Die Nie poort
Die Bolten poort
Die Nie marckt
Grote Falleren
Dat nieu kerck hoff
Der nieu hauen
Lutke Falleren
Grothe strate
Borch strate
Rosen strate
Schot strate
Grote Kercke
Die Volder poort
Molen strate
DEN DOLLAERT

BONNA.

BONNA, celebre & antiquũ Germaniæ oppidũ, Ptolomæo lib. β. βόμμα, Damiano à Goe Lusitano, in Olisiponis descriptione, Bona: Itinerario Antonini, Bonna: Colonienſium & aliorum Chronicis, Verona: Nauclero, Voconia: (quanquam reperiantur nonnulli, qui Voconiam pro, Vetus bona, corruptè legi existiment, vt quemadmodum vnica in Italia Bononia, & vna in Africa, ob lætam rei frumentariæ atque annonæ copiam, est Bona: Ita & vnica eadem de causa sit in Germania, vetus Bona) Pontico Verunno, lib. 3. de rebus Britannicis, Briennona, dicitur. Quo etiam auctore. Brienno, qui redactis in seruitutem Gallis, Romanis atq; Germanis subactis, in Germania Briennonam de nomine suo condidit, quæ nunc corruptè Verona dicitur, vbi templo in foro diu cultus est. Hoc loci primæ legionis castra, Romani, Tacito asserẽte, habuerunt, quibus Batani (qui primæ cohortis, cui Aquila signum, Bandophori, & Augustorum defensores, ad tempora vsque Vitellij fuerunt, ab eo autem profligati ex Italia in Batauiam redeundo) iuxta Bonnense hoc oppidum, plurimum damni intulerunt; Flacco Ordeonnio Legionis præfecto. Sinistrum Rheni latus, inter Confluentes & Coloniã Agrippinam, situ plano ac peramœno illustrat, iucundissima agri vbertate gaudet, qui nõ modò omne frumenti genus, sed & optima vina maxima ex se vbertate fundit. Iuxta sunt colles præstantissimis fructibus, non tantũ ad necessitatẽ, sed & ad delitias peroportunis vndiq; conferti, qui & venatoribus optatos præbent recessus. Feracissimis etim excolitur hortis atq; pomarijs, qui dulcissima riuulorum ac fontium aqua, non sine grato murmure irrigantur. Tanta vicini agri amœnitas & elegantia cum olim, tum nostra quoq; ætate, permultos nobilitate præstantes viros, atq; adeo, Archi antistites Colonienses, credo, inuitauit, vt domesticam in eo figerent sedem. De qua quidem aeris, soliq; fœlicitate, huiusce modi in antiquo saxo carmen, inueni.

Bonna solum fœlix, celebris locus, inclyta tellus,
Florida martyrio, terra sacrata Deo.
Exulibus requies, asylum mite fusilli
Semper, externi te reperêre suam:

Ex Bonnensis vrbis opposito, Genosiam fuisse, auctor est Florus, ab eodem quoque memoriæ proditum est, à Druso, vtramque Rheni ripam, hic ponte coniunctam, sed iam neque Genosiæ, neque pontis aliquæ supersunt reliquiæ. Ad Rheni læuam ascendendo, oppidum Autonacum, siue Autoniacum, quod Ammianus, qui Iulij Cæsaris stipendia meruit, Antennacum nuncupat, venustè sese offert, vulgò Andernacum, siue Andernach: cuius planum, ad Rheni marginem situm, fertilissima montium iuga, theatri instar, cingunt; Telonio, & Valentiniani Imperatoris tumulo, celebre, vbi num etiam mitiora literarum studia florere incipiunt, primo eius scholæ Rectore Hieronymo Berchemio, Iurisconsultissimo, & omni scientiarum nitore apprimè ornato. Sed ad oppidũ Bonnenſe reuertimur: Quod opportuno, ad defensionem muro, & foueis, aqua probè instructis, à Cõrado, Archiantistite Colonienſi Anno Christi M. CC. XXXX. cinctum ædificijs commodis, & amplissimo Canonicorum Collegio, venerandisq; S. Martyrum, ex Thebeorum Legione, corporibus, decoratur. De quorum passione & exaltatione, hæc in Bonnensium Archiuis leguntur. Anno Dominicæ Incarnationis CC. XC. I. Sacra Theborum Legio, cui S. Mauritius Dux præfuit, de qua & Tirsus, Palmatius cum eorum socijs, in ipsa Treuerica vrbe: Pius, Cassius, Florentius, & Malusius, cum eorũ socijs, in Verona, quæ nunc Bonna dicitur, Gereon in Colonia, Victor in Xanctis, præfulgent, sacro martyrio coronati. Anno Domini CCC. XXXIII. S. Helena Regina, Bonnam veniens, sanctos Dei martyres Cassium, Florentium, Malusium, cum eorum socijs ex quisiuit, reperit, repertosq; exaltauit & transtulit. Sub eorum honore & nomine Collegiatam hanc Bonnenſem Ecclesiam constructit, munere & priuilegijs dotauit imperialibus. Ac huic quidem Collegiato Canonicorum sodalitio, plurimum splendoris ac lucis confert, eiusdem D. Præpositus, R. D. Gasparus, ex amplissima Gropperorum familia, Rotæ auditor, & nunc Apostolicus nuntius cũ potestate Legati de latere, ad multos Germaniæ Principes, VVestphaliæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montensiũ Prouincias, à S. D. N. Gregorio P. P. XIII. destinatus. Eidem Canonicorum Collegio hoc etiam tempore decori ornamentoque sunt, præstans & industrius vir, D. Gerhardus Alectorius, Scholastica dignitate clarus: Et R. D. Tilmanus Bredenbachius, Theologica professione eximius, multis editis libris, admodũ celebris. Quem Pius, eius nominis V. summus Ecclesiæ Pontifex, ob integritatem vitæ summam, doctrinamq; singularem, ad Canonicatum Anuerpiensem euexit. Forum satis amplum, pulchris ædificijs atq; tabernis clarum, fontem, admirabili aquarum copia scaturientem, per occultos terræ meatus deductum, ostentat. Præstantissima insuper Rei Christianæ pub. lumina, Bonna tulit. Ac primum quidem, reuerentiã virtuteq; clarissimum virum, D. Ioannem Kempis, Iuris V. Doctorem, quem spectata, varioq; virtutum nitore illustris probitas, ad Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienſis Canonicatum, atq; adeo, ad primarium D. Officialis, hoc est, summam R. Colonienſis Iudicis dignitatem, euexit. Cui quidem muneri, iam in vigesimum primum annum, maxima cum laude, tum æquitate præest. Eumq; Magistratum, primùm sub Illustr. Brauſvvicensium Duce R. D. Georgio, summæ Colonienſis Ecclesiæ Præposito. Tum R. Illust. Principe ac D. Domino Adolpho, & Antonio fratribus, ex perillustri Schavvenburgica familia: Ioanne Gebhardo Mansfeldio: Frederico de VVeda; & iam hoc tempore D. Salentino Isenburgico Colonienſis Ecclesiæ gubernacula fœliciter moderantibus, administrauit. Nunc etiam Rectoratus Magnificentiã, vti in omnibus Academijs, ita & in hac Colonienſi Vniuersitate summa dignitate præfulget. Alter, inter complures, quos nunc recensere loci angustia vetat, à Damiano Goe, Equite Lusitano, in enarratione Olisiponis commoratur, Henricus, qui eo bello, quo Olisipo, Anno salutis M. C. XXXXVII. ab Alfonso Rege obsidebatur, religionis causa, cum multis, ex varijs Europæ partibus interfuit, qui ex euidentissimis miraculorum argumentis, loco sanctorum habiti sunt. Inter quos quidam Henricus fuit, natione Germanus, Bonæ natus: Oppidum est ad ripam Rheni, non procul à Colonia Aggrippina constitutum, cuius Henrici meritis, Deus multa & præclara miracula, dignatus est facere, vt Hispaniæ testantur annales. Primum Religionis Christianæ catechistam, D. Maternum, S. Petri discipulum, Bonna agnouit. Is à Treuiris, ad Vbios descendens, aras, & phana Mercurij, qui hoc in tractu colebatur, doctrina sana euertit. Cuius præcipuum delubrum & Idolum, primo à Bonna lapide, meridiẽ versus, in Mercurij Burgo, hoc est, Godesburgk, magna veneratione habebatur. Nobis enim Germanis Mercurij dies, Godesdag, Et, Burgum, in locorum & vrbium appellationibus, Burg, sonat.

NOVESIVM.

NOVESIVM, alij Nouesum. Matlianus Nussiam, Ptolomeus Νεμάσιον appellitat, ciuitas est Vbiorum Rhenana, Ammiano Marcellino, Tacito, Antonino Pio alijsq; memorabilis, quatuor milliaribus ab Agrippinensi Colonia distans, quam Matlianus in Iuliacensi ducatu, Ptolomei verò enarrator Colonienſis diocœsis esse scribit. Tacitus Legionum Gentem, Vbijs proximam constituit, & in ea Nouesium: Eam tamen gentem, propter Menapiorum & Vbiorum potentiam, nihil propriæ ditionis habuisse, compertum est. Hæc vrbs à primordio secundis Rheni fluctibus irrigata, sinistrum situ latus illustrauit, donec fortuna minus propitia, alueum Rheni cursus immutans, nunc saltem deducta incolarum industria fossa, alluitur. Templum est hic Collegiatum Canonicorum, & Canonicarum virginum societate, S. Quirini corpore, & multorum peregrinorum frequentatione admodum memorabile. De cuius primis institutoribus, hæc in pergamenis literis sigillatis, veruſtate ferè exesis, inueni. Euerhardus Comes, & Berta eius vxor, nobilis matrona de stirpe Caroli Magni Regis, & Lutharius Comes, atque Berengarius Episcopus Tullenſis, eorum filij, constituerunt duas congregationes, vnam in VVesel Canonicorum, alteram in Nussia Canonicorum & Canonicarũ, tempore Ludouici Regis, qui fuit filius Ludouici Pij Regis Francorum, &c. Post Nouesium, occidentem versus quatuor à flumine milliaribus Italicis Gelduba fuit, insigni aliquando Romanorum clade famosa, auctore Corn. Tacito. Et nostro tempore villæ aliquot eo in loco sitæ sunt, haud procul ab arce Linnensi, quæ Archiepiscopo Colonienſi paret. Vocatur locus ille hodie Gelb. Nouesium porrò, vrbs est aquarum copia, propugnaculis, fossarum & murorum fructurâ tam probè munita, vt grauissimam Caroli Burgundiæ Ducis obsidionem, annum ferè integrum sustinere potuerit. Qui anno Christi M. CCCC. LXXIII. vniuersam Vbiorum ditionem, vel armis, vel infidijs sub iugum mittere nitebatur. Itaq; numerosa militum manu coacta, in Agrippinenſes sedes prætextu restituẽdi Archiepiscopum Ropertum à suis exactum, irrumpit, agros populatur, multas ad suas partes, ciuitates, sed fruſtra solicitat. Itaq; Nouesium decẽ, & tribus militum millibus, & ducentis exercitatissimis partim pedibus, partim equitibus, cingit, vt de gregarijs interim taceam, quos ad numerum duorum milliũ coegerat, ducentos insuper tormentorum tractandorum præfectos, fossores bis mille, homines deterioris sexus, mille quingentos. Duo item equitum millia ex vniuerso delegit exercitu, qui pabuli conquirendi gratia, in monasteria, vicos, oppidaq; vicina, non sine maximo incolarum detrimento emisit. Tantis suorum copijs incitatus, quas in dies ferè singulos plurium accessione muniuit, nocturno diurnoq; labore, ad subitam ciuitatis expugnationem anhelat: omnes aquarum riuos, qui prope ciuitatem sunt, claudere, ipsamque aquis nudare studet, molam machinatur versatilem, qua Erpam in Rhenum exhaurire studebat, sed voto, & opera sua fruſtratur. Nam Erpa & Rura priſtino cursui inseruerunt. Dehinc machinarum magistri, serpentina muraliaq; tormenta mœnibus obuertunt, & centenorum pondo glandes in vrbem ejciunt. Inferiorem & Rhenanam portam cum turri columbina bombardicis sphæris validissimè quatiunt, atq; euertunt, & ad oppugnationem demum exteruatim se accingunt. Nouesienses contra, tam graui obsidione vndique cincti, festinare, in armis esse, nihil intentatum relinquere, quò fidem suam Imperatoriæ Maiestati datã, Duci suo Hermanno Hassiæ Comiti, vrbis gubernatori & custodi, approbent. Itaq; in hostem se studiosius ardentiusq; instruunt, ad conflictum, pro conseruanda patria, sese vltro ingerunt, primaq; oppugnatione, quæ septem horarum fuit, ad Martis exercitia incitati, eruptionem ipsis D. Michaelis feri jsin hostes faciunt: sagittis, gladijs, glandibusq; bombardicis multos conficiunt, tentoria incendunt, opima asportant spolia. Circa D. Martini ferias cœptum est maxima nitrati puluetis laborari inopia, quod Amplissima Colonienſis Respu. intelligens, quingentos & quinquaginta milites Nouesienſibus subsidio mittit, singulisq; peditibus singulos sacculos denis talentis nitri plenis imponit. Qui ipso D. Elisabetæ die omnes in ciuitatem illæsi perueniunt. Auctaquoq; fuit oppidanorum in vrbe tuenda constantia, aliorum Colonienſium militum aduentu, qui è regione Nouesijad Rhenum, in territorio lapidoso, vt vocant, ad suppetias ciuitati ferendas consederunt, qui præter quàm graue hostibus negotium facesserent, litteras bombardicis sphæris inclusas, in ciuitatem detorquent, quibus in obsidionis solutionem ciues erigebantur: Oppidani contra, versus Colonienſium castra, sphæras plumbeas literas ferentes, tormentis ejciunt. Ad extremum, Inuictissimi Imperatoris Frederici cum maximis copijs accessu, pacificationis media ineuntur. Burgundicus Princeps, solutis castris, discedit. Imperator, ob res fortiter in obsidione gestas, ciuitatem prærogatiuis quibusdam & priuilegijs ditat. Nam immunitatem vectigalium, quæ telonarij Rhenani ex mercibus præternauigantium mercatorum exigunt, Nouesienſibus donauit. Libertatem etiam cudendæ pecuniæ, ciuibus elargitus est. Edixit insuper ciuibus, vt aureum aquilam, nigro clypeo inclusam, insignis militaribus veherent, & quaslibet magistratus literas, rubra cera obsignarent.

BRVLA.

BRVLA in Mediterraneis non ita procul à Colonia Agrippina Vbiorum Metropoli, & Bonnensi oppido, haud ignobilis vicus, vsq; ad annum Christi M. CC. XCVIII. nullius celebritatis fuit, donec Sigifridus ex bellicoso VVesterburgico stemmate natus, quinquagesimus tertius Colonienſium præsul, partim loci situsq; opportunitate adductus, partim temporis diuturnitate, in Colonienses acerbitate quadam concepta, arcem muris, aqua, pontibus, æterisq; implacabili Marti necessarijs adeo munitam hoc loci construxit, vt anno à C. N. M. CCC. XVIII. Colonienſium, Bohemiæ Regis, multorumq; Comitum in quartum mensem obsidionem sustinere potuerit. Ab eo tempore optata atq; perpetua inter Reuerendissimos Colonienſium Antistites, ipsamq; Agrippinensem Rempu. pace firmata, Archiepiscoporum sedes & aula vt plurimum Brulam commendauit. Cuius longe maximam amœnitatem multorum Principum & Episcoporum industria, horto nitidissimè culto, limpidissimis fontibus, & immensæ magnitudinis viuario adauxit. Anno partæ salutis M. CCCC. XCI. pacificus Colonienſium Archipræsul Hermannus Franciscanorum Collegium ac templum arci vicinum in Brulensi hoc oppido constituit, redditibusq; annuis dotauit.

SONTINA, VVLGO ZONS.

SONTINA, haud ignobile ad sinistrum Rheni latus oppidum ex præterlabente flumine, & publico telonio, plurimas commoditates percipit. Murum, & lateritias habet ædes, incolas agrorum cultura sustentat, nam solum est omnis frumenti fertax, quinetiam arce munitur, à Sigifrido Episcopo Colonienſi constructa. Quemadmodum ex antiqua, quæ in eodem castro, inscriptione videtur, intelligi potest.

NOVESIVM vulgo Neus Vrbs
vbiorum Rhenanna Dñi. M. D. L.
XXV add vnum delineata.
Rhenus flu.
VERONA, nunc Bonna, Communi
ter Bonn oppidum supra Coloniam Agrip
pinam ad Rheni fluctum illustre 1575.
RHENVS FLVVIVS.
BRVLA vulgari idioma:
te. Broell 1575.
Churfurstlicher
hoff von Colln.
Sontina, Zunss oppidum ad Rheni
ripas telonio famosum Anno 1575.
Daß schloß.
Rhenus fluvius.

CLIVIA OPP.

CLIVIA oppidum non infimam in Ducatu Cliuensi dignitatem obtinens, antiquitate, castro, ac Illustrissimi Iuliacensis, Montensis, & Cliuensis Ducis, &c. inclyta sede, Collegio Ecclesiastico, situ, & amabili incolarum humanitate, memorabile est. Nam, qui vetera ex Chronicorum monumentis eruunt, Cliuenses Grinnes Tacito dictos suspicantur. Quorum ex numero Raimundus Marlianus, historicus sui temporis nobilis, Appendice, qua Cæsaris commentaria doctissimâ enarratione illustrauit, Grinnes, inquit, inter Colonienſem, & Traiectenſem vrbes, locum vltra Noueſium oppidum, Rheno adiacentem memorat Tacitus, qui, vt coniectura assequi possumus, Cleuis est, vnde Cliuensis ducatus dicitur. Verum VVesalius in Germaniæ partitione, Grinibus, quorum patria hîc à Tacito circumscribitur, oppidula duo, & situ, & appellatione magis conuenire putat, nempe Grit, & Grithuisen. Quorum hoc tamen à Ioanne XXVIII. Comite Cliuensi exædificatum esse, Chronica Cliuensia tradunt. Oppidum autem hoc Cliuense Collegiata Canonicorum societas nobilitat, quæ prima fundatione, Anno salutis M. CCC. à Theodorico XXV. Cliuensi Comite in Monreberg instituta, Tum à Theodorico, eius appellationis decimo, & XXVII. Comite, Cliuiâ est translata, in qua hoc tempore D. Ioannes Peringius, Concionator facundus, & illustrissimo Principi Guilhelmo, ab eleemosynis, scholasticadigne inclarescit. Situ etiam peroportuno excellit, montis dorsum, arcem venusta structura claram, sustinet, ex qua non in ipsum modò oppidum, sed & vicina pabulosa in loca, librata planitie, læta, virentiq; gramine tecta, quàm longissimè patet prospectus. Potissimum verò è turri, altitudine conspicua, quæ à cygno, versatili ventorum indice, nomen habet. Ex qua Margareta Montensis, Adolphi comiti Cliuensi nupta, pertinacem filiorum suorum conflictum, Adolphi vltimi comitis, primique Cliuensium Ducis, & Theodorici de Marca comitis, cum Auunculo Guilhelmo Montensi Duce, fratre suo germano conspexit. (Orto dissidio, ob non solutam pensionẽ annuam ex teolonio apud Cæsaris Insulam) In quo quidem conflictu Cliuenses innumine, suæq; causæ integritate spem omnem ponentes, incredibili suorum ducum diligentia victores euadunt, magnas hostium copias repellunt, frangunt ac dissipant, quinque Montensium præfectos, bellicis artibus clarissimos viros capiunt, orbatis sessoribus equis vltra mille nongẽtis, militaribus etiam signis potiuntur, quæ in Collegiata huius oppidi Ecclesia, ad perpetuam tantæ victoriæ memoriam, velut in trophæum, conspicuo loco suspensa videntur.

DVISBVRGVM.

DVISBVRGVM siue Teutoburgum, veteris Germaniæ oppidum, ad ripam olim fluminis Rheni, inter Ruram & Angram amnes, in confinio Toringorũ & Saxonum inferiorum, nunc Cliuensium ac Montensium situm. Huic loco Tuiscones, siue Teutones, primi nomen dederunt, quorum præsidium, aduersus Romanos, qui in Gallia rerum potiebantur, fuisse videtur: vnde & vicino saltui, qui longè lateq; per Germaniam protenditur, appellatio mansit, in quo saltu legiones M. Quintilij Vari cæsas fuisse, Corn. Tacitus commemorat, lib. 1. Annalium. L. Florus lib. 4. In annalibus Francorum, etiam Duisparcum siue Duispargum, castellum Toringorum nominatur. Hunc locum primum in Sicambrorum finibus, tempore C. Iulij Cæsaris fuisse verisimile est. Nam proximi Vbijs fuisse videntur, quem locum inde Toringi, gens Sueuorum, occuparunt, posteaquam à Tiberio Cæsare tota gens Sicambrorum partim excisa, partim alio translata fuisset. Similiter Franci, gens Germana, in vacuis Bructerorum sedibus, vicinisq; locis paulatim coalescens, cum in eam multitudinem excreuissent, vt fines suos indies propagarẽt, tandem Duisparcum castrum Toringorum duce Clodione inuaserunt, Anno Christi 431. (is secundus à Faramundo eius gentis Crinitus appellatur) cumq; per decennium militem, vrbemq; confirmasset, missis inde exploratoribus in Gallias, cum vniuerso exercitu Rhenum traiecit, monumenta Romanorum passim obuia, & tunc, collabentibus vbique Romani Imperij viribus, præsidio Romanorum destituta, inuasit, per syluam Carbonariam iter faciens, Tornacum, & Cameracum vrbes tunc celebres expugnauit, inde sensim promouens ad flumen Summam siue Summonam, quod fines Ambianorum præterlabitur, imperium gnauiter produxit. Cuius posteri Meroneus, Childericus, & Clodoueus reges, dum maiora indies incrementa faciunt, tandem amplissimum illud ac florentissimum in Gallijs regnum, quod apud posteros à Francis denominatur, fundauerunt. Fuit itaq, ex eo tempore clarum ac celebre apud posteros Duisburgum. Hanc vrbem postea ob nundinas celebres negotiationesq; mercatoribus frequentatam fuisse indicant scriptores rerum Flandricarum, qui priuilegia quædam vendẽdi merces Duisburgi à Friderico, I. Imperatore, negotiatoribus Flandriæ per Philippum Alsatium comitem Flandriæ impetratas fuisse annotarũt, circa annum Domini 1173. Reges quoq; Francorum, ac illi, qui pòst Romano imperio in Germania potiti sunt, locum hunc amplum & florentem tunc, vt erat captus Germanorum, celebriorem, auctioremq; redddierunt, quod præter alia multa, etiam hodie testantur egregia illa cùm priuata, tum publica ædificia. Qui priuilegijs, iuribus, ac immunitatibus amplissimis, eandem ciuitatem quoq; dotârunt.

EMBRICA.

EMBRICA oppidum Ducatus Cliuensis, incolarum & ædium frequẽtia, Collegio Canonicorum, & schola, quam optimè instituta concinnum, prima olim fundatione, Asciburgum fuisse, Taciti scholiastę palam fecerunt. Id autem non vacare errore, Generosus & Illustr. Nevvenarius Comes, Metropolitanæ Colonienſis Ecclesiæ Præpositus, his verbis confirmat. Miror quosdam asseuerare Asciburgum esse Embricam, cum itinerariũ Theodosij à me in Spirensi bibliotheca perspectum, atq; aliud peruetustum, à Peutingero mihi exhibitum, constãtissimè Asciburgum inter Noueſium, & vetera constituant castra: quibus subscribẽs Tacitus, Asciburgum citerioris Germaniæ oppidum esse testatur. Est autem pagus quidam, in cuius agro varia adhuc vetustatis indicia reperiuntur (quem ego ex interitu Asciburgi natũ esse credo) hic ab indigenis Asburg, etiamnum appellatur, magno argumento veritatis, rustici agrum istum Burgensem vocant, eò, quòd fama semper fuerit, Burgum ibi fuisse, cuius rudera totus ille ager ostendit.

Canonicorum Collegio, à D. VVillibrordo quondam ædificato, Embrica claret, in quo hoc tempore Decanatus honore cæteris præfulget D. Hermannus Schilderus, vario scientiarum nitore cultus, concionator exercitatus atq; facundus. Idem Canonicorum sodalitium Vicarium quendam collegam magno fouet amore, D. Ioannem, organicorum instrumentorum peritia clarum, cantilenarum etiam suauitate commendabilem, qui concinnas plurimas cantiones composuit, tantoq; in pretio à Musicorum chorea habetur, vt à longissimè etiam dissitis, tanquam censor vocetur, & iudex, quoties instrumenta organica, maximis fabrefacta sumptibus, ab opificibus tanquam extrema manu perfecta sunt præsentanda. Quem si mobili digitorum flexura, incredibili etiam pedum velocitate, organa pulsare, modulandi insuper, cantusq; suauitate eadem opera, audientes delinire conspicias, hominẽ totum Ioue & Mnemosyne natum fatebere. Embricã quoq; Musæ inclytam sibi delegerunt sedem. Nam permulti ex ea, egregium litterariæ militiæ fructũ retulerũt. Id huicoppido præstitit, insignis Rectorum doctrina & diligentia. Ego cùm prima litterarũ fundamenta hęic ponerem, scholæ Moderator erat, præstitissimus ille Matthias Bredebachius Kerspensis, vir tanta pietate atq; doctrina, vt dubiũ sit, in vtro excelluerit. Id publica ipsius scripta manifestè declarant: nam Euangelium Matthei, & Psalmos 69. cõmentarijs illustrauit; de acerbissimis horum temporum dissidijs Hyperaspisten contra Henrici Pilei calumnias scripsit. Et iam olim in Lucium Fenestellam scholia edidit. In multorũ quoq; aliorum operum meditatione versabatur, sed morte præuentus, extremã ipsis manũ imponere non potuit. Huic deinde successit Henricus Vranius Ressensis, μεγάλόττος excellens. Hoc verò tẽpore eius Scholæ Rector est eruditissimus vir D. Henricus Censorius.

CLIVIAM, Ducatus Cliuensis elegans opp: Arx Illustriss. Ducis, Et collegiata, Canonicor, societas, famosum, et commendabile reddit.



DVISBVRGVM, OPPIDVM ANTIQVISSIMVM VETVS FRANCORV REGIA.

EMBRICA, Cliuensis ditionis oppidum Ecclesia collegiata, & ludo litterario percelebre &c.

GENNAPIVM, DVCATVS CLIVENSIS, OPP:

CALCARIA.

CALCARIA, oppidum in insula Rheni & Belgia Batauia, à comitibus Cliuensibus, primitùs exædificari cepta, vt præsidium esset, ac tutum refugium ab incursionibus diœcesanorum Colonienſium, ac Geldrienſium vicinorum, quibuscum ipsis frequētia bella gerebantur. Nomen verò accepit ab antiquissimo pago Calcar, à quo trans insulam hanc ad vlteriorem Rheni ripam erat traiectio. VVesalius tamen, in sua Germaniæ partitione (quæ ab alijs Illust. Morsensi comiti. Metropolitanæ Colonienſis Ecclesiæ D. Præpositō adscribitur) Calcariam à Calciatis, qui aliâs Galbiaci apud Tacitum vocantur, nomen & originem habere tradit. Lanificio autem & coctione cereuisiæ, quæ isthinc ad finitima loca transferebatur, potens, ac diues facta, haud mediocriter creuit. Nunc verò quasi penuarium est omnium ferè contiguorum locorum eò, quòd isthuc singulis septimanis frumenta sua coloni diuendenda frequentissimè conuehant. Vnde etiam horreum, siue granarium insigne amplissimumque isthic erexit quondā Adolphus primus dux, ex quo, necessitate postulante, Cliuiæ Duces, & Calcarienſis Respubl. caritatem annonæ subleuarent, & vicinis ciuitatibus ac populis, eam & prouisione, & copia sua, redderent laxiorem. Præstat hoc ipsis Calcarienſibus situs, & nauigabilis fluuij commoditas, qui dorso suo naues, re frumentaria onustas, subuehens, gratas incolis merces apportat. Ob celebritatem igitur nominis, & insignia priuilegia, vna ex præcipuis vrbibus Ducatus Cliuensis Calcaria constituta est, ad quam maximus numerus ciuitatum ac pagorū, Iustitiæ causa, appellare consueuit. Eadē de causa, Anno Domini, MCCCCXXXXV. cum Eugenius Pontifex Theodoricū Moersensem Archiepiscopū Colonien. episcopatus honore exuisset, Adolphumq;, filiū Adolphi I. Ducis in locū depositi, nominâsset (quam tamen dignitatē ille magnanimiter recusauit) permisit idem Pontifex Duci Adolpho, in suo Ducatu habere cathedram episcopalē, reseditq; Calcariæ ad tempus Episcopus, donec Theodoricus pontifici recōciliaretur. Fuit is Theodoricus à Moersa, Anno Salutis M. CCCC. XIIII. in Archiantistitē dissona electione creatus, & nō spirituali gladio, sed & ciuili varia sæpè fortuna, clarus, atq; Ecclesiæ Colonienſ. clauum annos XXXXVIII. magnificè tenuit.) Sunt haud obscuri nominis Geographi, qui è Cornelij Taciti libro primo obseruârunt, supra hanc ciuitatem, in loco, qui modò dicitur (**auff den Baern**) olim Germanicum Cæsarem, Rheno ponte iunxisse, cùm ille à veteribus castris (nunc Xancten) expeditionem in Marsos moueret, quos arbitrantur nunc Tventiæ incolas esse, apud quos etiamnum oppidulum Otmarsen antiquissimū gentis nomen referens, existit, vbi Tacitus, celeberrimum Tanphanæ Deæ delubrum à Romanis euersum, ac prophanatum, commemorat, quod opinio est, erectum fuisse, in eo ponte, qui nostro æuo Benthenerberg, vulgò cognominatur. Amplissima Deo dicata Ecclesia, & à tutelari numine S. Nicolao cognominata, venustissimè oppidū hoc Calcarienſe exornat, in qua maiorum Zelo ac pietate, quatuordecim viri rerum sacrarum administrationi, perpetua & benè dotata, licet frugali, fundatione præsunt. In quorum ordine, non infimū dignitatis gradum D. Matthias Holstegius obtinet, qui mirificè hoc tempore, patriam hanc suam, concionibus, sacris, & eloquentiæ gloria, illustrat. Cœnobia bina, consecratarū Deo Virginum, Calcaria habet. Et Dominicanorum institutū vnum præcellenti bibliotheca, omni librorū genere instructissima nobile. Xenodochiū etiam vnum, misericordiæ domum, non immeritò dixeris, in quo peregrinantiū & ægrotantiū votis, summa pietate respōdetur. Ciuica quoq; domus, elegāti structura, ac insulari situ, amplū huius oppidi forū, inclytum reddit. Quinetiā vel hoc solo nomine, Calcaria fœlix, atq; beata, quod prudētissimus, ei senatus, ab omni heresum labe alienus, & in eo, corruptissima, equissimaq; iustitię administratione spectatissimus Iudex à Deo Opt. Max. sit datus, Bernhardus Steull. Cui quidē nō minus, quàm Scipioni quondā Romani incolæ, meritò debent, eò, quod eorū conatibus, qui catholicā & amabilē religionis ac politiæ vnitatē, turbulentissimis dissidiorum furoribus, perturbare moliuntur, velut inuictum sese Athlantem, opposuerit. Præcipuū proinde Calcariæ ornamentum est, quòd vicinis passim locis ac oppidis, dogmatū varietate nutantibus, ac peregrina adulterinaq; schismatum doctrina labefactatis, ac dilaceratis, quæ seditionum ciuilium fomentum semper fuit: Hæc singulari quadam clemētia Dei, quæ sola politicas ac ciuiles societates tuetur, atq; defendit, in hunc vsq; diem, hęreticorum non sit contaminata erroribus, & in medio, ceu Babylonicę fornacis ab incēdio, & ab eorum doctrina, quæ ad audientium subuersionem, velut cancer, libera auitam atq; Catholicam fidem, quam à maioribus per Ecclesiasticam traditionem, & incorruptam atq; ordinariam successionem accepit, constantissimè retinet. Vnde etiam symbolū hoc sibi incolæ, ex cap. XXII. Prouerbiorum Salomonis statuūt, & monumentis inscribunt: NE TRANSGREDIARIS TERMINOS ANTIQVOS QVOS POSVERVNT PATRES TVI. Hoc verò tempore Illustrissimo, Optatissimoque Cliuensium Duci Guilielmo, hæreditario iure, Calcaria paret.

*serpit

CALCARIA, DV-
CATVS CLIVEN-
SIS, MVLTIS DO-
TIBVS, NOBILE OPP:

VVISSENBVRGVM.

COlligunt quidam ex Ammiano Marcellino, Sebusianos, qui supra Nemetes signatur, olim fuisse VVissenburgenses. Nam si tollas s. primũ, & mutes b. in v. facilè ex Sebusio fit Visum, atq; inde Viseburgum, quod Germani cum duplici proferunt v. Est autem insigne & clarum oppidum, ad Vogasi montis radices, situ amœnum, conditum, collibus vndique humilibus clausum, nemoribus & varijs arborum generibus ad occidentem fœlix, tellus cæli benignitate frugifera, oppidum ab omni parte naturâ, atq; humanâ firmatum industriâ. Lutra amnis, cuius fontes in ipsis montibus paulò altius septem millibus passuum ab oppido surgunt, penetratis iam montibus per medium interluitur: qui vbi sub oppidi mœnibus elabitur, stricto alueo duobus millibus passuum præcipiti cursu in Rhenum vno ostio exoneratur. Loci tanta est vetustas, vt etiam apud nullos rerum scriptores eius origo reperiatur. Sed dum Anno Christi 664. Dagobertus Gallorum rex, postquam ob patratam in sancta loca tyrannidem, ad diuinum raptus tribunal (sic habent literæ fundationis) à diuis pro commisso scelere accusatus, flagellisque cæsus, & ad Diui Dionysij preces restitutus esset, in eo loco, quem diu antea VVissenburgium appellatum, suis literis declarat, insigne ac regale monasterium infinitis extruxit sumptibus, monachis diuti Benedicti professentibus regulam tradidit. Addidit regalibus his ædificijs agrum copiosum atq; fertilem, oppidum ipsum, & circum loca, quæ Gallorum tunc parebant imperio, assignauit. Oppida præterea, villas, arces vectigalia, immunitates, & iura pleraque contulit: ab omni item regum principumq; iugo exemit. Tanta etiam postea huius cœnobij maiestas fuit, vt marchionem Badensem & ex Palatinatu plerosq; haberet feudales. Aliquanto post Dagobertum regem VVendelinus abbas, oppidum muro quadrato saxo cinxit, turribus, propugnaculis, aggere, vallo, fossis & pomerijs munijuit, ita paucis temporibus oppidum, naturâ alioqui munitum, humana industria auxit. Cæterum prudens senatus VVissenburgensis per me sollicitatus, scripsit in hunc modum. Inuenimus in literis antiquis, ciuitatem nostram VVissenburgensem longè præcessisse constructionem monasterij, regesq; Francorum aduocatum habuisse in ea, à cuius tamen imperio Abbas, post extructum monasterium, semper exemptus fuit, sicut & hodie Rom. Imp. aduocatum habet in ea, qui in criminibus capitalibus nomine imperij ius dicit. Est enim nostro æuo ciuitas Imp. habetq; agrum vino ferendo aptissimum, vnde & ciuium vnicum & præcipuum studium est colere vites, sicut & circum 12centium vicorum. Nec vulgare ibi crescit vinum, quippe quod defertur in Sueuiam, Bauariam, VVestricham, Lutzelburgum, Brabantiam, & ad alias inferioris Germaniæ terras. Est etiam limes quidam per circuitum huius ciuitatis factus, alicubi ad vnum milliare, alibi verò ad duo milliaria extensus, intra quem multi sunt vici, frumento & vino diuites, qui in fundatione Dagoberti Munusdatum, ob cõcessam emunitatem, & alia priuilegia vocatur, lapidibus altis & erectis signatus, intra quam septuram omnibus liberum est piscari in Lutra, & alijs amnibus, venari, aucupari in communibus syluis ligna fecare, & pecora abigere ad communia loca. Qui verò extra hunc circum habitant, non possunt hæc agere impunes, quum præpositus, & cõsul ciuitatis hic iudices sint designati, possintq; animaduertere in huiusmodi præuaricatores. Siquidem olim Abbas, hodie verò præpositus (nam anno Christi 1523. abbatia mutata est in præposituram sacerdotum) vna cum consule & senatu VVissenburgensi habèt summum imperium super syluas, amnes, & pascua in dicto Muneredato, possuntq; omnia agere, vt videbitur subiectis commodum, citra cuiusque contradictionem. Abundant VVissenburgenses castaneis, illisq; optimis, vnde non parum habent lucri. Nam deuehuntur post vindemiam vsq; ad Thuringos, & Saxones. Quin & naues illis oneratæ transmittuntur in partes inferiores, & perueniunt vsq; ad Angliam.

RVBEAQVVM.

RVBEAQVVM vulgò Rufach, antiquissimum Alsatiæ oppidum, vetustissimam Franciæ regibus residentiam præbens, conditũ est à Romanis, anno secundo olympiadis 235. ab vrbe condita 914. Iunio Rustico & Aquilino consulibus, M. Antonio & L. Vero eius fratre, apud Romanos regnantibus, Anno à natiuitate Christi 164. Nomen ciuitati impositum ferunt, à fluuiolo, qui in valle D. Georgij, non procul à pago Sultzmat oritur, ac rubeo alueo per agros ac vineas fluens, ob multas commoditates ab vrbe excipitur. Incolæ eum hodie Ombach vocant, qui tamen ab aqua, quæ ex aluei splendore rubea esse videbatur, Rotbach (vt ex antiquissimis annalibus apparet) olim dictus, vrbi quoq; eandem appellationem dedit, quæ etiamnum Latino nomine satis commodè exprimitur. Rubeaquum enim, quasi rubeæ aquæ oppidum dicimus. Hoc oppidum magnificis primum ædificijs ac duplici suburbio extructum, Romanæ nobilitatis diu fuit hospitium, quæ ob terræ fertilitatem, omnisque rerum, quæ ad vsum hominum sunt necessaria, abundantiam ad annos ferè 500. hoc inhabitauit. Ad eius Reipub. conseruationem considerunt leges optimas, in primis autem contra fures grauissimam instituerunt actionem, camq; tam seueram, vt inde ad nostram vsque tempestatem per Germaniam totam factum sit prouerbium: Der alt galgen zu Rufach, hat gut Eichen holtz. Portò cum Austrasij regni tempore Franci profligatis Romanis, Alsatiam finitimaq; occupassent, Dagobertus I. X. Francorum rex potentissimus, Rubeaquum tenens, in ipsa vrbe versus occidentem, loco naturâ munitissimo, Anno à redemptione humani generis 623. arcem ædificauit, quam vel à magna lapidum mole, turissimoque contra hostes præsidio, Isenburg, hoc est, Ferriburgum, vel vt alij volunt, ab Iside, frugum inuentrice, (quam ob glebæ fertilitatem in eo colle antiquitus cultam arbitrantur) Isisburg nominare voluit. Dagobertus parata iam regia sibi sede, vt à gentilium superstitionibus, ad verum Dei cultum auocaret populum, amandum Vltraiectinæ ecclesiæ Episcopum, virum eo tempore doctrinâ, & pietate conspicuum, ad se vocat. Cui cum circa annum Christi 638. Sigisbertum filium, quem ex Mechtilde Saxonum ducissa natum habebat, vera in Christum fide eruliendum dedisset, voluit vt etiam post fidei confessionem, in arce Isenburg, multorũ in conspectu, ab eodem Episcopo in nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis baptizaretur. Quo facto, Amandus ad Euangelij propagationem primus Argentinensium episcopus, ac ouium Christi per Alsatiam vigilantissimus pastor factus, populũ ab errore ad Dei cultũ pertraxit. Cumq; Sigisbertus generosus adolescens postea, nempe circa annum Christi 646 prope Ebersheimunster venatione feras insectaretur, equo feroci deiectus, & ab apro spumante læsus, semianimis à suis est inuentus. Mittunturigitur à Dagoberto nuncij ad Arbogastum Aquitanum, quem post Amandum ad episcopatum Argentinensem promouerat, vt ad Sigisbertum animam exhalantem properaret. Venit illico Episcopus, & dum preces pro Sigisberto ad Deum fundit, adolescens integræ sanitati restituitur. Pro quo pietatis officio Dagobertus rex, ecclesiæ Argentinensi Rubeacum oppidum, totamque eam ditionem dono dedit, quam adhuc hodiè Munusdatum, incolæ autem corruptè Mundot appellant. Longè post oppidum Rubeaquense cœpit exteris innotescere, & magni nominis fieri à peregrinatione, quæ ex diuersis regionibus ad D. Valentinum facta est. Valentinus enim cum anno à Christo nato 260. Romæ sub Claudio Imperatore, vna cum multis alijs ob fidei confessionem, martyrio coronatus esset, reliquiæ eius apud Sanctam Potentianam ad annos 741. seruatæ, & deinceps sub Syluestro secundo Romano pontifice Rubeacum, aliqua ex parte translatæ, eius peregrinationis, quæ ad S. Valentinum, tam crebro facta est, occasionem dederunt, quæ incœpit paruis initijs. Anno Domini millesimo primo. Cum aũt in rebus mortalium nihil sit perpetuum, ac vicissitudine rerum veluti æstuario quodã fluxu, refluxuq; ferantur omnia, vix dici potest, quantis hæc ciuitas post tam fœlicitatem, in qua plus, quàm annos mille constituta fuit, ærumnis ac periculis postea expósita fuerit. Quæ si auidus lector, & historiarum amans scire desiderat, Munsteri Cosmographiam consulat.

COLMARIA.

COLMARIA, imperialis est & elegans ciuitas, excitata olim, vt putant, post excidium Argentuariæ (quæ hodie comitatus est Horburgensis) optimo loco sita, quæ multis retroactis temporibus, iniquis fortunæ casibus aliquandiu afflicta fuit. Nam priusquam Rudolphus Habspurgensis, Romani regni coronam adipisceretur, erant factiones in ciuitate, quidam enim adhærebant episcopo Argentinensi, amorusq; fuit propterea ab officio Scultetus Rosselman. Qui id ægrè ferens adiunxit se memorato comiti Rudolpho, captoq; consilio, fecit se in vase vinario inferri in ciuitatem ad propinquos, & amicos suos, quibuscum tantum egit, vt noctu porta vna aperiretur, atque comes Rudolphus intromitteretur cum exercitu suo, quem ciues nollent, vellent, coacti fuerunt susipere dominum. Postea anno 1262. tentabat episcopus Argentinensis cum auxilio nobilium, qui per circuitum ciuitatis habitabant, ciuitatem rursum occupare. Vnde noctu, appropinquantes, auxilio quorundam ciuium intromissi, magnam intra mœnia excitarunt tragœdiam, excitataq; pugna interfecerunt Scultetum. At ciues tam viriliter resistebant hosti, vt multis occisis reliquos pellerent vrbe. Cumq; in subsequentibus annis Rudolphus eligeretur in Romanorum regem, & Colmarienses nollent eum agnoscere regem, mouit expeditionem contra eos, obsidioneq; cingens, mulctauit eos pro quatuor millibus marcarum argenti. Deinde anno Christi 1292. obsedit hanc ciuitatem sibi rebellem, Adolphus Comes de Nassou rex Romanorum, cepitq; Anshelmum dominum à Rapolstein & Scultetum, seu præfectum ciuitatis, secumq; abduxit, id quod supra quoq; commemorauimus. Collegium Canonicorum diui Martini illic, Prioratus fuit quondã Benedictinorũ, ad monasterium vallis diui Gregorij pertinens, vt alter ibidem, qui diui Petri dicitur, ad Paternicum. Institutricem cõmemorant Bertham reginam, ad cuius iurisdictionem nõnulla ex parte spectauit olim Colmaria. Vnde etiam magni illinc Cõstantiensis præposituræ prouentus, quos ei ecclesiæ hæc nobilissima donauit matrona. Cinxit muro hanc ciuitatem VVolphelmus Cæsareus apud Hagenoiam præfectus, imperante Friderico II. Iacet in fertili planicie, à montibus itinere vnius horæ semota, habens circum circa copiam vini, & frumenti, ex terra redundantem, maximè autem præstat terra illa frumento, cepis, alijsq; hortalicijs. Tenet ista ciuitas medium Alsatiæ, distans vno milliario à Keysersperg, Ammerspveyler, Reichenvveyer & Rapoltzvveyer, quibus in locis optimum crescit vinum, & excellentius quod in Alsatia inuenitur. Alluitur ciuitas ipsa multis accurrentibus riuulis amnium, præsertim his, Louch, Dur, Fœcht, Ill. & quibusdam alijs minus celebribus, quorum quidam per prædia Colmariensium fluunt, fœcundioremq; reddunt terræ fundum. Quando iacta fuerint prima huius loci fundamenta, incolæ planè ignorant: non tamen apud me dubium est, quin vna sit ex vetustioribus ciuitatibus, quæ in tractu Rheni à parte Galliarum inueniuntur, mutato pristino nomine in nouum, quod hodie habet. Indicant tot monasteria virorũ & mulierum, quæ habet ciuitas ista, quam potens & opulenta fuerit iam à multis annis. Berthrada regina, mater Caroli magni, largita est Constantiesi sedi prædia sua, & vectigal, quod in vico Colmariensi dotis nomine possidebat. Vnde Historia Guelforum habet, quod diuus Conradus episcopus Constantiensis hoc oppidum commutatum pro alijs locis acceperit à fratre suo Rudolpho.

BADENIA.

COgnitus fuit & inhabitatus locus iste, tempore Cornelij Taciti, atq; ante eius ævum, quum ille mentionem de eo faciat, in hæc verba: Est locus amœnus, habentque aquas salubres, & arcem munitissimam iuxta præterfluentem amnem, qui hodie vulgo Limmat vocatur. Iacet autem hoc oppidum in Ergoia, & quàm primum fluuium transieceris, ingrederis Thurgoiam. Oppidum est satis elegans & opulentum, in medio ferè Confœderatorum situm, quare & Heluetij omnia sua ibi celebrant comitia. Imminent oppido ab vna parte montes, ab alia vero alluitur magno flumine, nauigabili, & qui rapidissimi est cursus, per quod à Tyguro in Rhenum venitur. Non longè infra oppidum, ad iactum scilicet validæ bombardæ, est viculus quidam super flumen pulcherrimus, in vsum balneorum fabricatus. Area perampla est media parte vici, & circum hospitia magnifica, multarum receptacula gentium. Singulæ domus sua habent balnea interius, in quibus abluuntur, hi soli, qui ad eas diuerterunt. Balnea enim publica, tum priuata numerantur triginta, præter ea, quæ vltra flumen scaturiunt, vbi & quædam domus constructæ habentur, in quibus rustici plerunque thermis fruuntur. Sicque citra & vltra flumen, imò & in ipso flumine ebullitæ aquæ calidæ. Calor est tantus in sua origine, vt aqua è terra emanet, vt eum nudo corpore ferre nequeas Publica balnea duo tantum existunt, lauacra plebis & ignobilis vulgi, ad quæ omnium affluentium fex descendit. At balnea, quæ in domibus sunt priuatorum, perpolita sunt, & ipsis viris, fœminisq; communia: tabulata quædam eos secernunt, & in his fenestrellæ perplures demissæ, quibus & vna potare, simul colloqui, & vtrique ridere & attrectare queant. Nec desuper cingunt deambulatoria, in quibus conspiciendi, confabulandiq; causa, homines consistunt. In ipsis aquis sæpè de symbolis edunt, composita mensa desuper aquam natante. Thermæ, quæ citra fluuium à parte oppidi existunt, maiores, & quæ vltra sunt, minores vocantur. Confluit illuc, etiam à remotis partibus, innumerabilis multitudo, nobilium pariter & ignobilium, non tam valetudinis, quàm voluptatis causa.

WISSENBVRGVM.
Weissenbürg.
Mundat Stein
S. Peter
Aug.
Das Bruch
Rathus
Barfusser
Banacker

RVBEACVM, Vulgo Ruffach.
Isenburgum arx.
Nova Porta

COLMARIA, Vulgo
Kolmar.
Dominicani
S. Augustin

BADENSE
OPPIDVM
Vulgo
Ober Badenn.
Limmiat flu.
Obernat
minores

HALA SVEVIAE.

HALA Sueuiæ,in valle ad Cocharum flumen,illuſtre & imperiale opp.validum quondam propugnaculum, aduerſus Francorum incurſiones fuit, centrum quaſi eſt territorij mille paſſuum, foueis & ſepimentis clauſi,quod multis Imperatorum ac Regum immunitatibus & priuilegijs,ampliſsimè dotatum eſt. Fuit autem is locus ante oppidi ædificationē vaſtus, horridus, atq; ſyluoſus, arcibus quadraginta munitus, quarum noſtro etiam tempore quædam ſuperſunt,quædam inclytis & patritijs, fato deletis,familijs, interierunt, quarundam adhuc rudera, miram vetuſtatē atteſtantia,conſpiciuntur.Ijs verò concidentibus,Hala oppidum,fatali numine potius,quàm humana induſtria adſpirante,initium ſumpſit.Idq́ue hac ratione.Eo in loco,vbi hoc tempore fontes, ſalis fœcunditate præſtantes,videntur,lacus fuit herbidus,ſalſam,mirâ perennitate, ſuppeditans aquā, in quo feræ ſyluеſtres, nullo non tempore conſpiciebantur,eam potiſsimū aquam lambere, & productis ibidem herbis,magis,quàm ijſdem etiam alibi copioſè natis,oblectari(locus etenim hic,opacis paſſim ſyluis naturâ conſitus,feris abundat,adeò quidem, vt etiam monocerotis, iuſtæ magnitudinis cornua,non ſemel ibidem inuenta fuerint.)Itaq; venatorum induſtria, cùm feris indagandis occuparentur,aqua in eo lacu ſalſa,& proinde ſali coquendo idonea,cōperta eſt. Quamobrem Illuſtres viri VVeſtenij Comites,quorum eo tempore in VVeſten (vbi nunc Parochialis Eccleſia conſpicitur, & Murrenſis Abbas domū,decimarum collectioni deſtinatam,habet) domiciliū fuit, caſas in horrido nemore,& tuguriola,leuiori materia excitârunt,in quibus ſalis conficiendi ratio & officinæ inſtituerentur. Atq; ita paulatim vicini,ſalis fœcunditate allecti,frequenti numero huc commigrantes,multa domicilia condere cœperunt,quo ad ita paulatim,temporis ſucceſſu,imperiale oppidum, eo caſu, naſceretur. Quiſnam aût primus oppidi condendi autor fuerit,& quónam pacto, quoúe etiam tempore,ad Imperij ordinem deuenit,certò ſciri non poteſt,eò potiſsimū, quòd cùm Anno Chriſti M. CCC. LXXVI. oppidū vniuerſum Vulcani furoribus conſumeretur,inſtrumenta ſcripta,& omnia vetuſtatis atq; originis monumenta,perierint.Denominationem verò hoc euentu,conſequutū putatur.Galli,dum loca Rheno vicina,occuparent,Halam ſalis coëmendi gratia, venientes (ſicuti etiamnum ingens hinc ſalis copia,ad Rheni flumen,defertur)& fontis nuper inuenti aquam deguſtantes,quò ſuis,eam acidi eſſe ſaporis ſignificarent,hac dictione,Salſum,vſi fuiſſe dicuntur.Eius verbuli nouitate in ſalinarijs officinis coctores cōmoti,mercatoribus ſuis, quibus cum ipſis perpetua negotiatio erat, gratificaturi,imperitia ſermonis,ſeparatis vocabuli ſyllabis,primam loco,Sal in Hal, alteram verò fonti attribuentes, Sum,in Suln cōmutârunt.Quæ quidem & fontis,& oppidi appellatio,in hodiernum vſq; diem perdurat. Alij verò hinc Halæ denominationem deducunt. Septem quondam caſtra, quorū & iam ſeparatim in oppido conſpiciuntur reliquiæ, hoc loci fuêre, vnde primitus is Septiburgium nuncupatus fuit, quorum cæteris magnificentiâ præſtans,Hall,appellatum,eandem,oppido deinde condito, nuncupationē reliquit.Munſterus verò,in ſua Coſmographia:Germania, inquit, plurimum ſcatet aquis ſalſis,quarū aliquot fontes,nobilibus oppidis decoros,ob id,Halas,vocabulo à Græcis deducto,noſtri denominant,vt eſt Hala Sueuiæ.Et hæc quidem de nominis deductione ſufficiant.Oppidum porrò ipſum,tres primarias in partes diuiditur.In qua Salinaria exercetur,vetus obtinet nomē, fontem,& parochialem D.Michaëli nuncupatam Eccleſiam:Alia verò citra Cocharum flumen oppidi regio,ex priore originem trahens,Inſtituti S.Ioannis cōmendariam(in qua quondā Hoſpitale,quod Anno Chriſti M.CCCC.IIII. in ipſum oppidum tranſlatum eſt) vnà cum Eccleſia D. Ioanni ſacra, multis Imperatorum priuilegijs dotata, & S. Catharinæ parochiam, continet, quæ ante iſtius ſuburbij ædificationem à Comitiſſa de Gerſtetten,Cœnobium virginum conſtituta erat.Tertia demum regio,vulgò Gelvvinger gaſs,nuncupata,pecudum & equinum forum habet.Ob hanc tripartitam autem oppidi diuiſionē, qui eius gubernacula tenet Conſul,vt in Germania paſsim à ciuiū præfectura, Burgimagiſter. Ita hoc loci oppidorū magiſter nominatur. Cocharum flumen Halam interſecans, plurimas ei commoditates adfert, præſertim vectura lignorum, quibus in ſalis coctione vtuntur,vnde non huius modò oppidi incolæ,ſed & vicini quæſtum,& fructus ingentes percipiunt.Nam in ſalinarijs caſis,tam nocturno,quàm diurno tēpore,continuo occupantur labore, qui decem & quinq; vrnis, aquam ex fonte Sul,hauriunt, & per canales ſubtili ratione compoſitos,ad ſartagines plumbeas,quarum CXI.ſunt, deducunt. Deſignatum fuit olim hoc oppidū pro iudicio eorū,qui diſsidio aliquo & ſimultate laborabant, cupiebantq; monomachia,& certamine publico,& victoria ipſa tueri,& probare integritatē ſuam. Nam qui athleta euaſit,ille iudicio hominū,inſons declarabatur.Permittebatur aût huiuſmodi conflictus & duellum nobilibus,& his, qui equeſtri erant prædiți dignitate, ſi quando notam infamiæ iuſtam diluere cuperent, id fieret manifeſto victoriæ iudicio,& ad huiuſmodi rei executionē,ſenatus Halenſis,ſuas olim ab Imperatoribus,& Regibus, leges & priuilegia accepit. Si quis autem eiuſcemodi Monomachiæ planiorem deſcriptionem,& proceſſum deſideret, is Sebaſtiani Munſteri Coſmographiam conſulat.

HALA, ad Co-
charum flumen in Suęuia op-
salis foecunditate, nobile.
Elders Hofen
Der glaenberg
S. Michel kirckg
Langenfelt
Neudor
Under berg
Forstat
Nicolaus
KOCHER
KOC
HER FLV:
Vorstat Genhalb crohes
1 Das Rath hauß
2 Das zeug hauß
3 Das Parfusser Clost:
4 Das Sulffer thor
5 Die zoll huten
6 Das vnter werd bad
7 Das Hall vnd pron
8 Das wasser der Kocher
9 Der schentler hoff
10 Die Henckers brucken
11 Die schultacher Kirch
12 Das stetthor
13 Das eych thor
14 Das riedamer thor.
15 S. Catharinen Pfarrkirch:
16 S. Iohanner hoff
17 Das weiller thor
18 Der feul thurn
19 Das Spittall
20 Das Gelbinger thor
21 Das siech Haus
22 S. Ioß. der Gotzacker

CAMPIDONIA, VVLGO KEMPTEN.

CAMPIDONIA, peruetuſtum Germanię oppidum, quod ante Chriſtũ natum, appellatum fuit, vt aliqui ſcribunt, Vermeta, deinde Trettica, tertiò Vertica, & vltimò Campidonia. Habuit etiam vetuſtum caſtrum montanum, Hyllamont appellatum, quod olim inhabitârunt quidam duces Sueuiæ, præſertim Eſnerius, qui ad fidem Chriſti fuit conuerſus. Deinde poſt eũ, atq; ex ſemine eius nati ſunt, dux Gotfridus, dux Hebingus, Nebus, Imanus, Hildprandus, qui potens factus eſt in Sueuia & Ylergoia. Suſtulit ille ex Regarde vxore ſua, natione Bauara, in monte Andex, filium, Vlrichum nomine, qui poſtea factus fuit epiſcopus Lauſanẽſis; & filiam, nomine Hyldegardim, quæ nupſit Carolo Magno, genuitq́ue ei quatuor filios, Carolum, Pipinum, Lotharium, Ludouicum, & quatuor filias, Gertrudim, Gyſelã, Bertham, & Hildegardim. Habitauit dictus Hildprandus, aliquando in Ardex, aliquando iuxta Rauenſpurgum, in monte ſancti Viti; aliquando in Hyllamont, prope Capidonam, & filia eius Hildegardis, conſentiente marito, Carolo Magno, fundauit monaſterium Capiduenſe, contulitq́ue eidem comitatum Hyllamont, cum multis priuilegijs. Cæterùm arx Hyllamont, noſtro tempore eſt diruta, vocaturq́ue Burghalden, & eſt præruptus collis, mœnijs ciuitatis incluſus, cuius ſummitas magnã habet planiciem, quæ aliquot fortalicijs eſt munita, patetq́ue indè liber proſpectus in omnem regionem. Ylerus quoque piſcoſus fluuius, alluit radicem huius collis, atque mœnia ciuitatis. Eſt proinde in memorato monaſterio Campidonenſi ſepulta dicta imperatrix Hildegardis, Anno Chriſti 783. Et primus huius monaſterij abbas fuit appellatus Amelgarius, aut potius Andegarius, vt habet fundatio. Poſtea aſſecuti ſunt abbates titulum principum, atque inter quatuor abbates imperij, numerati. Oppidũ verò Campidonenſe, longè poſtea imperio eſt ſubditum. Eſt aũt ſatis benè munitum, habẽs populum bellicoſum, paranturq́; ibi cultri optimi, multę teleę, albi & cęrulei coloris. Sciendũ quoq;, Hildegardi fuiſſe ſororem, nomine Adelindim, quam duxit vxorẽ, Otto comes de Keſſelberg, cuius habitatio fuit in Blanckenthal, prope Biberach, quæ Adelindis, poſt ſui mariti mortem, fundauit monaſterium Buchavv, quod ſitũ eſt iuxta Buchamenſem latum, non procul à Biberaco, in quod recipiuntur tantùm puellæ comitiſſę & liberæ, poſſuntq́; pro voluntate egredi & nubere maritis. Quomodo aũt Hildegardis, fauore & conſenſu Caroli Magni mariti ſui, fundauerit monaſteriũ Campidonenſe, atq; dotauerit comitatu Hyllamont, oſtendunt literæ fundationis eiuſdem monaſterij, quæ adhuc in ſuo originali extãt, mihiq́; legendę exhibitę ſunt, ab illuſtriſsimo D. VVolfgango à Greimenſtein, eiuſdem monaſterij abbate. Certè, vt verum fatear, vetuſtiores literas ego in vita mea non vidi. Sonat aũt fundatio in hunc modum. In nomine ſanctę & indiuiduæ Trinitatis, Carolus diuina fauente clemẽtia, Imperator Auguſtus. Si ſanctam Dei eccleſiam digno magnitudinis noſtræ munere ſublimare, augmentare, atq; ſubueñire, ad ęternam noſtram remunerationem, & regni noſtri ſtabilitatẽ prodeſſe confidimus, ideoq́; nouerit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, noſtrorumq́; præſentium, ſcilicet, & futurorũ ſolers induſtria, qualiter nos ob interuentum ſanctiſs. patris noſtri Adriani papę, ac ſupplicem rogatum dilectæ coniugis noſtræ Hildegardis, nec non propter nobilem ac fidelem famulatũ Ioannis Augienſis, & S. Galli, reuerendi abbatis, eiuſdemq́; epiſcopi Conſtantienſis precem, ob meritum Rudãgi Metenſis epiſcopi, & Sturmi VVvldenſis abbatis, ſeu cæterorum principum innumerabilium, nobis aſſiſtentium, Andegarium quendam nobilem, magnę religionis virum, & primum Campidonenſis cœnobij, ad regularem diſciplinam inſtructorem, aſſumpſimus, & in eodem loco Campidonẽſi, qui ab eodem in honorẽ ſanctę Dei genetricis Marię, conſtitutus eſt, in pago Ylergevv, abbatẽ eum confirmauimus, & à Papa Adriano in ſancto die paſchę conſecratum, precioſiſsimis ſanctorum martyrũ, Gordiani, & Epimachi, corporibus donatum, in ſuam abbatiam honeſtè tranſmiſimus. Sed quoniã prędicta coniunx noſtra, in eodem cœnobio, locum ſepulturæ ſe habituram ordinauit, diuerſis muneribus ditando, quicquid in pago Ylergavve, & Auguſgavve, & Albgavve, materna hæreditate legitimè obtinuit, cum noſtra poteſtatiua manu, & imperiali largitione illuc tradidit, & in propriũ ius eiuſdẽ monaſterij transfudit, & perpetualiter poſsidendũ, ſicut in alio breui continetur, donauit. Nos igitur eundẽ locum, vtpotè de noſtro, & in noſtro fundatũ, ac fundatũ, in noſtro noſtrorumq́; ſucceſſorũ mundiburdio, ſiue defenſione fore conſtituẽtes per noſtrę autoritatis munitionẽ cõfirmamus, & ſcipimus, vt nullus publicus iudex, neq; dux, neq; comes, aut quiſlibet ex iudiciaria poteſtate, villas, curias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſsiões, memorato monaſterio, præſenti tẽpore ſubiacentes, &c. & in fine ſic concluditur. Quod vt verius credatur, & omni tẽpore incorruptum habeatur, manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſsione iuſsimus inſigniri. Hæc & alia plura in ſua coſmographia Munſterus.

Rottenberg
Der Grundt
Armandt
CAMPIDONIA vulgo Kemptten, peruetus Sacri Romani Imperij Oppid
1 Stainriner thor
2 Brugkher thor
3 Spittal
4 Brüñergaß thor
5 Burghald
6 Newestatt thor
7 S. Anna Klost.
8 Visther thor
9 Riegger thurn
10 Kloster thor
11 Maltzmill thurn
12 Haÿdenthurn
13 Pfeiler thireln
14 Schießgrab
15 Bappirmilj
16 Stattmili
17 Zim̃erhut
18 Die Metzg
19 S. Mangẽ kirch
20 Wagstadl
21 Rathauß
22 Saltzstadel
23 Die Walckh
24 Siether thor
25 S. Steffan.
* S. hilgar: tẽ kl:
26 S. Lorent: zẽ kirch.
27 Im Weid:

FRIBERGVM MISENAE.

OPp. nobile, ac opibus,ob fodinarum metallicarum præstantiam, affluens, in Suditorũ montium pede,qua parte ad Misenam spectant,situm. Boemia enim ipsa,vndiq; montibus syluestribus septa & vallata est,quorum altiores, qui partim eam circundant, partim longè in eius interiora pertingunt,ac regionem ipsam ferè intersecant, partim extra eam etiam meridiem versus,sed longius occidentem excurrunt,Suditos appellari,scribunt.Prima fundatione constructum est ab Ottone Marggrauio,Conradi Marggrauij filio,Friderici Oenebarbi, Augusti temporibus,ante annos CCC. LXXXIII. Imperij sui anno XIX. Duo hoc loci pagi erant, sub dominio cœnobij veteris Cellæ:Alter Losnitz,ab influente riuulo:alter Christiani pagus,cognominatus,pro quo deinde Rupsense opp.cœnobium recepit. Venæ,auro grauidæ & eæ quidem,non hominum industria & arte,sed fortunato & mirabili casu inuẽtæ,augustissimũ Friburgensi oppido dedêre initium.Quemadmodũ enim equus, calce ferrea,reconditã nigri plumbi venam,in monte Goselario integumentis nudauit,ita vehiculi rota,iuxta hoc oppidũ, fortuitò,venas aperuit.Quod Georgius Agricola, lib.1.de veteribus, & nouis metallis his verbis describit. Ad Salam,flumen,Straboni nõ ignotum est Hala,quæ quondã pagus fuit,hoc tẽpore vrbs est ampla: locus certè iam inde à Romanorum temporibus illustris,& clarus, salis fontibus, de quibus Hermõduri, cum Chattis certarunt.Hinc igitur,cum quidam quadrigæ, vt etiam nunc fit, salem recta per Misenam vehunt in Boiemiam,eis condimenti,vel hodie non minus,ac olim inopem,in orbita vident galenam, torrentibus detectam,quam,quia similis esset Gossellarianæ, in currum coniectam,apportant Gosselariam, nam ijdem vectores,solebant ex eadem vrbe,plumbum nigrum euehere,ex qua galena,cum multo plus argenti, quàm ex Gossellariana,conficeretur, aliquot metallici contulerunt se ad illum locũ Misenæ, in quo nunc Fribergum oppidum.Non multo pòst tempore,hi,qui Cellerfeldi fodiebant argenti metalla,& eorum Magister,qui certis de causis,Principi vici Brunonis,grauis & acer inimicus erat, machinis ac scaliscõcissis,ac relicta Saxonia, cum illis coniũcti,& consociati sunt.Ex quibns Fribergi pars,quam nostris etiam temporibus fossores incolunt Saxoxnum oppidum,est nominatum,sicuti vetustatis monumenta,apertè loquuntur. Ob insignem aũt venarum Fribergensium fœcũditatem,inter Albertum,& Diethmarũ Marchiones fratres,Ottonis Marggrauii filios,grauissima est orta contentio.Itaq; Henricus Sextus,Adolphus,& Albertus A. A. A.bellicis tumultibus plurimum detrimenti ac damni,huic oppido intulerunt: inprimis verò Adolphus;quare nunc paulo copiosius de eo,verba facturi sumus.Edouardus primus,eius nominis Angliæ Rex, peringẽtem pecuniæ vim,ad Adolphũ Imperatorem transmisit,vt militem suo nomine in Germania conscriberet,verũ is fidem regi soluens,vniuersam eam pecuniam, in Misenæ regionis emptionem conuertit, ab Alberto Thuringæ Landgrauio,& Misenæ Marggrauio,magna & ignominia,& pernicie emptoris.Duo etenim Lãdgrauij filij,Fridericus atq; Diethmarus,dum aduersus summã Imperatoris potentiã,summa iniuria cõditã,& contra iniquos Parentis conatus,iuris administratione,nihil quicquã obtinere possent, tandem ad arma cogitationes suas dirigunt. Cæterum,Imperatoris vincuntur potentia,qui plurimas Misenæ vrbes inuadens,tandem,cum vniuersa totius Imperij manu & phalange Germanica,montes,oppido vicinos occupans,in ijs tentoria locat, atq; Fribergum graui obsidione premit,muralibusq́ue machinis mœnia sine intermissione verberat. Ea obsidione,collapsis aliquot fodinarũ cuniculis,multi Cæsariani milites,montiũ ruinis oppressi dicuntur.Quod hoc loci,nec nouũ,nec admiratione dignũ,cum obliquis,rectis,ac dilatatis,transuersisq; venis,cuniculi hîc omnibus ferèin locis sint acti.Et nostro etiam tẽpore,fodinarũ putei,vel ob vetustatẽ,vel obtigna per interualla collocata debilia,vel deniq; ob fibras,aquis peruias,cõcidant. Imperator aũt,cum annũ integrũ,& menses quatuor,Martem obsessis,quàm castrẽsib.magis esse propitiũ,videret(tanto enim animo ac robore oppidani repugnabãt in hostẽ,vt graue ipsi negotiũ facesserent)& armorũ strepitu,oppidi consequẽdi spem oẽm præscinderẽt.Itaq; Imperator,vt erat ingenio vafro atq; versatili,magno astu,fugitiui cuiusdã opera vtitur:qui maximorũ prẽmiorũ promissione illectus,ad Donatiam portã,per riuulũ Monetariũ,vulgò,**Die Münzbach**/ clam hostẽ introducit. Et ita tandẽ vnius patriæ proditoris auxilio,oppido Imperator potitur:Arcem Freudẽsteinianã,vt Cuspianus, actis per terram cuniculis,vi expugnat,alij,per deditionẽ occupatã,affirmãt.In ea sexaginta viri,nobilitate illustres,cõtra fidẽ ac equitatẽ germanã,barbarica immanitate,trucidati.Reliquos aũt milites,quorũ bellica virtus, in hoste impigrè infestãdo,præ cæteris enituerat,FridericusMarggrauius,triũ oppidorũ permutatione,**Leising/ Rochlitz**/&Grimme,redemit,& corporis tãtũ incolumitate parta,reb.omnib.amissis,Misenã regionẽ deseruit.

Quoniam verò,nonnunquã virtus,grauia sentire incommoda, at verò nunquam supprimi queat, permulti fuerunt, qui commiseratione animi ducti,profligatum hunc principem non esse deserendum putarunt:Maximè quidem, quia intolerabilem & insolentẽ Cæsareanorum tyrannidem considerantes,non existimârunt,eorum dominium,in quod fœuitia introducti fuerãt,fore perpetuum.Itaq; Thuringiæ nobilitas,& Ostromarini,auxiliaribus Misenorum collectis copijs,Saxoniæ confirmati,& stipati equitibus,quos Albertus Parthenopolitanus Dux,ipsis subsidio miserat,consertissima acie Fridericus Marggrauius,tanto ardore Cæsareanos iuxta Lucam inuadit,fundit,fugat,dissipat,& talem cædem ac stragem facit, vt tritum hinc vsu sit natum prouerbium, Lucanam cladem deuita. Hoc successu Fridericus,Marggrauius animatus,ipsum Friburgense oppidum (quod Cæsareani miserè vexabant)impauidus aggreditur,facili negotio expugnat,& præsidiarijs cæsis,veterem magistratum pristinæ dignitati restituit,atq; ciuibus Cæsaris partes fouentibus,post biduum oppido interdicit.Et talis quidem,iniquæ huius oppidi venditionis, exitus fuit.

FRIBERGVM MISINÆ
A Der Ringk
B S Peters Kirch
C Peters gaße
D Peters thor
E Fischergaß
F Kornhauß
G Erbisch thor
H Muntze
I Rhathauß
K Weingaß
L S Nikaus kirch
M Badstuben
N Kuttelhoff
O Mule
P S Donats thor
S Meißnisch thor
T Meißnisch gaß
V Alter Ringk
1 Das Schloß
2 Silberbruhauß
3 Oberclöster
4 Heylig Creutz thor
5 Nonnengaß
6 Burgkgaß
7 Fleischbanck
8 Des Rhats Marschstal
9 Kauff hauß.
Vor der Statt
10 Mule
11 Siechhauß
12 Dorrenschonberg
13 Elßberg
14 Kippersberg
15 Der alte Gotsacker
16 Vnder eiffte maß nach dem Trom-hoff.
17 Vnder sechßte maß nach dem Trom-hoff.
18 Vnder zehnde maß nach dem Trombeff, mit einem gepel.
19 Schwartzfarbe
20 Neuw Gottsacker
21 Die Rinne
22 Buchsengießhauß.
23 Lißkirchners garten.
24 Funf teich nach einander
25 Schießplan
26 Leiptzigisch straße
Pulffer Mule.

BASILEA.

BASILEA, RAVRICORVM vrbs celeberrima, vtramque Rheni ripam ponte cõiungens, Maiore in Gallico, ciuitate autem minore, in Germanico littore sita, ex sententia B. Rhenani: non ἀπὸ τῆς βασιλείως, quòd à rege Henrico cõdita sit, sed à traiectu, quẽ lingua Romanensis, hoc est, Gallica, passum vocat. Vnde etiã Bassella Mosellanica, quã vulgò Passel appellamus, sibi nomen vẽdicauit, vt sit dicta Basilea, quasi Passilea. Traiectũ enim hoc loco fuisse verisimile est, etiamdũ stante Augusta, quòd hic propter vallem, per quã torrens è Birsa ductus fluit, ripa sit humilior, & ob multas causas ad transitũ aptissima, apud Augustam aũt prorsus abrupta. Proinde consentaneum est hic transmittere solitos, quibus cum Rauricis res esset, vt Germanorum, Tacito teste, & dubio procul postea Alemannorum, in ripa tantum commercium. Huc facit, quod in Olinone perpetuũ præsidium habebat Dux Sequanici tractus, non tam ob defensionem prouinciæ, quàm ad tuendum istum præcipuè traiectum, ad quem locus ille rectà respondet, Antiquam villam exiguum viculum attingens, & nunc prorsus sylvescens retento tamen nomine. Et quia munimẽto opus habebat traiectus aduersum Germanos, & mox Alemannos, ideo duo propugnacula erexêre Romani, quorum fundamentis turres istas duas impositas credo, quas hodie videmus, alteram in capite pontis, alteram paulò inferius, à sale hodie nomen habentem, quod in ea asseruatur. Iam post triumphabundam illam Alemannorum in Galliam immigrationem, primùm domus vtrinq; ædificatæ sunt nauicullariorum & pandochiorum, initium futuræ duobus oppidis. Mox verò locus frequentior fieri cœpit, vt etiam mercatores illic habitarẽt. nam circa traiectus omnis generis hominum turba confluere solet. Nec alia res pluribus oppidis originem dedit, vt Schesshusiæ ad Rhenum à nautarum casis sic appellatæ, Vlmæ apud Danubium, Heidelbergæ apud Nicrum, Selestadio apud Ellum fluuium, & innumeris alijs. Quanto verò magis minui cœpit Augusta, tanto Basilea auctior indies facta est, noui populi, qui nuper ex Germaniæ finibus Rhenum transierat, noua ciuitas, quum illam omnes fugerent velut inauspicatam, & semirutam, hanc autem propter multas commoditates non solùm traiectus ipsius, sed & facilioris omniũ rerum importationis, & melioris agri viciniam, omnes adamarent. Si quid igitur post multa excidia miseræ Augustæ superfuit, hoc totum velut colonia quædã Basileam commigrauit. Porrò opinionis meæ argumentũ est, quod senes indigenæ narrare solent, ita à maioribus suis edocti, vbi hodie Basilea est, olim nihil fuisse nisi traiectũ Rheni, duabus istis turribus, quæ etiamnum visuntur, communitum. Et addunt, eam viam, quæ à Rheno ducit ad forum piscarium, ab institoribus, illic habitantibus, inuenisse nomen, adhuc antiquioribus notum, quæ vetus loci celebritas, confirmat eam vrbis partem cæteris antiquiorem. Proinde qui Basileam dictam putant, quòd regia ciuitas sit, me non habebunt ἀμόψηφον. Ostendimus enim modò, quænam fuerit illius origo. Ac indubium est, eo nomine vocatum locum, priusquam aliquid extructũ esset, quod regium dici mereretur. Nec mos erat Romanis Græcanica: oppidis siue munimentis à se conditis appellationes indere, multo minus Alemannis. Concordiam apud Tribones agnoscimus Romanorum opus, agnoscimus Tabernas, Vicum Iulium, Altam ripam, & quod ijs omnibus Basileæ vicinius est, Tyberij forum. Nisi cõcedere velimus eos, qui huic loco vocabulum primi imposuere, fuisse diuinos, vt qui præscierint exorituram ibi posteriorib, fæculis ciuitatem, quæ regia nomenclatura digna foret. Nam si quis hodie Basileam contempletur, an non regiam vocabit? quando ea est viarum mundicies, ac ædium in commune æqualis ordo, quarundam etiam magnificentia atque amœnitas, præsertim quibus à tergo viridarium est D. Petri, & Prædicatorũ cœnobium, amplas areas, & hortos elegantissimos habentibus, & quæ Rhenum aspectant, vt etiam ijs, qui Italiam viderunt, placere possit, nisi quòd hypocaustorum vsus multos offendit non assuetos, & pandochiorum sordes. id quod cum tota Germania commune habet. Cæli rara quædam ac grata temperies. Ciues, humani. Templorum satis magnus numerus. Episcopale reparatum olim fuit à D. Henrico Augusto, quum terræmotu concidisset, siue, vt quidam volunt, post Vngaricam vastationem, multisq; donarijs ab eodem condecoratum. adeò semper Basileæ benè voluerunt Henrici. Inter quæ eminet lamina illa aurea lingneæ tabulæ adhærens septem milibus florenorum, æstimata, qua ipse priuatim in lararío suo quũ viueret, vsus est. Vnde & tutelareis diuos refert, quos ille præcipuè coluit, nempe quatuor angelos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Vrielem, & Benedictum, ac in horum medio stantem Christum, cuius pedibus ipse cum vxore Cunigunde aduoluitur. Apud D. Petrum sacerdotum sodalitium est, quod collegium appellãt. Martini phanum parochiale est dũtaxat. Leonardi verò etiã Canonicos instituti D. Augustini habet, quos regulareis cognominant. Ij, Ezelinum Canonicũ episcopalis templi suũ iactant autorem. Ego per similem occasionem institutos puto, quemadmodũ eos, qui in monte Turegiensi degunt, à Türegiensibus canonicis, & eos, qui apud D. Arbogasti viuunt ab Argentoratensibus cœnobiticã vitam deferentibus natos prædicant. Parochia D. Vdalrici vicina est ædi episcopali, Albani verò & Ioannis suum quæq; suburbium claudit. Illic Benedictinorum, quos Hasenburgius Basiliensis episcopus acciuit, hic verò Ioannitarum domicilium. Prædicatores in suburbio D. Ioannis amplissimũ possident cœnobium, ædificijs multis ac spaciosissimis hortis, præsertim autem Græca Bibliotheca spectabile. Ea potiti sunt post mortem Ioannis prius Argensis Episcopi, deinde Cardinalis Ragusini, qui in synodo Basiliensi in obeundis negocijs non postremas tulit. Franciscani ad mœnia veteris vrbis habitant, insignes amplissimo templo, quem locum Ezelinus Præpositus illis dedit. Augustinianis post hos receptis locũ præbuit senatus Basiliensis. Cœnobia puellaria maius oppidum duo habet, & minus item duo præter monasteriũ Carthusiensium & Parrochiale D. Theodori templum ex aduerso situm. Vbi hodie Carthusia est, aiunt magnificam olim domum stetisse, quæ Episcopi fuerit Basiliensis, quum illi id oppidũ adhuc pareret, quod aliquando pignori datum Duci Austriæ propter stipendia non soluta, senatus Basiliẽsis redemit. Academia quo minus floreat, in causa est prouentuum tenuitas, & nimia gymnasiorum in Germania multitudo. Præstaret esse pauciora, & frequentia. Vrbs ipsa abhinc annos plus minus ducentos ampliata est, & suburbia nouo muro latissimè circundata. Huic magnũ decus nec minus cõmodi concilium attulit œcumenicum, hic propemodũ decem & octo annis celebratum. Illustrat etiam hodie Typographorum solertia ac diligentia, quorum facilè princeps Ioannes Frobenius. Quod si quis siue viridarium D. Petri contempletur tum amplum, tum ob arborum copiam elegantissimum, cuius pars olim humandis Iudæis seruijt, seu pontem duo oppida coniungentem, & ad prospectum in amnem conuenienter accommodatum, facile fatebitur etiam cum amœnissimis vrbibus certare posse Basileam. Si verò salubris cæli dotem expendat, procul dubio, palmam dabit. Igitur qui talem ciuitatem βασιλειαν, hoc est, reginam vel regiam domum Iudæ vocarit, non multum aberrabit. Absurdior est illorum opinio, qui à Basilisco hic reperto nomen traxisse volunt, propterea quòd vident nonnunquam appingi basiliscum qui insignia vrbis teneat. Nam non considerant hoc fuisse solenne plerisq; ciuitatibus, vt insignia affingerent ad suum quæq; nomen in propria lingua alludentes. Magis ferendi sunt, qui à Basilio quodam Romano duce conditam & appellatam commemorant. Nam in antiquis codicibus vbiq; per i scribitur Basilia, non per e, quemadmodum etiam indicat liber Prouinciarum & vrbium Graiarum, Pœninarum, ac Gallicarum, quem vel ob hoc liquet non esse vetusti autoris, quòd ciuitatem Basiliensium inter ciuitates Maximæ Sequanorum recenseat, cuius erat traiectus & pars. Basileæ primum episcopum præfecisse tradũt Pantulum eum, quem historia diuæ Vrsulæ narrat cum illa virginum sodalitate Romam profectum, & redeuntes Agrippinam vsq; fuisse prosecutum, ibiq; vnà cum illo puellarum examine ab inimicis Christianæ religionis trucidatum. Hæc B. Rhenanus. Rodolphus Comes Habspurgensis, Anno Christi M. CC. LXXIII. Basileam obsidebat, vt Stelliferorum factionem (qui à Pfittacis vrbe electi erant) reduceret. Eum Germani Principes, nihil minus cogitantem, Francofurti calend. Octobris, vnanimi consensu, propter insignem virtutem ac pietatem (vrgente id maximè Moguntino Episcopo, quem olim Romam proficiscentem in itinere comitatus, incolumem duxerat ac reduxerat) in Regem Romanorum elegerunt. Electionis litteras Basileenses, Moguntini Episcopi opera, adepti, Rodolpho offerunt. Is fœlicis nuncij ergò vrbem obsidione liberat. Eius rei fidem facit statua lapidea, quæ adhuc Basileæ extat, propè interiorem portam D. Ioannis in Bursa Leonina olim dicta Rodolphi chlamydati imago sedentis, sinistra sceptrum, dextra literas tenentis. Hæc ex lib. XIII. Theatri vitæ humanæ, titulo, de Beneficijs, pro felici nuncio, excerpsimus.

BASILEA.

RHENVS

FLVMEN

In maiori Ciuitate.

1 Summum templum
2 S. Leonh. paroch. eccl.
3 S. Pet. collegiata eccl.
4 Domus senatoria
5 S. Martinus.
6 Collegiũ, academ. loc.
7 Augustinenses.
8 Forum piscatorium
9 Francis. K. Hospitale
10 Domus Trutvnica
11 S. Albanus monaster.
12 Officinę bapyri
13 Monast. S. M. Magd.
14 S. Elisabeth
15 Horreum hospitalis
16 Clarissarũ cœnobium
17 Armamentarium
18 Planicies amœna
19 Prędicatores
20 S. Ioan. Y Leprof.
Minor Basilea.
21. S. Theodorus paroch eccl.
22 Carthusia
23 Clariss. aliud Monast.
24 S. Nicolaus
25 Klingenthal monaste-
rium monialium.
26 Molę serratorię
27 Officina fabrilis.

CONSTANTIA.

CONSTANTIA, **Costentz**/Sueuiæ vrbs, à Constantino Magni Constantini auo, dicta est, vt Leonhardo Aretino videtur, qui eam muro cinxit. Secus Picus illo carmine introduxit:

Quos Constantini proles oriente subacto
Occiduas repetens stellanti murice terras
Condidit, & proprio signauit nomine.

Vbi Picus à Constantini filio hanc auspicatam dixit. Hæc vrbs, prius Vitudura nuncupata est, vt aiūt Aretinus, & Antoninus Pius in Itinerario. Ptolomæus Gannodurum lib. 2. cap. 8. tab. tertia vocat. Est autem episcopatus plenissimus, illic S. Conradus olim episcopus claruit, illic S. Pelagius requiescit. Est & ara illic instructissima, qua nobilior & preciosior non reperitur. Hic consilium fuit maximum, Anno 1414. de quo Platina in Ioanne, & Poggius Florentinus in Epistola ad Leonardum Aretinum. Est & tabula ibi antiquitatem præseferens, cuius Aretinus meminit. Hæc refertissima piscibus vrbs est, Diu insolentias Heluetiorum sustinuit, extra ciuitatem illius S. Gebhardus Confessor, iuxta & martyr, ossa condidit, vbi 40. stadij **Heiligenberg** locus nominatur, vnde comites orti sunt de **Werdenberg**. Ibi & lacus Lemannus, cuius meminimus lib. 8. & lib. 1. Hi autem, qui circa lacum, & Constantiam morabantur, antequam à Constantino restituta fuerat Cōstantia, Nantuates dicebantur ab antiquis, secundum aliquos Natuantes: Horum Peutinger & Strabo lib. 4 meminerunt. Marlianus Nantuates, iuxta Heluetios esse & Sequanos scribit Plinius, lib. 3. cap. 19. nescio quid inferat alpinas esse gentes. Hactenus Franciscus Irenicus. De eadem hac vrbe hunc in modum Munsterus. Constantia vrbs Germaniæ nō admodum magna, sed pulchra & amœna, iacet in eo loco, vbi Rhenus rursum, ex lacu Podamico emergens, in alueum redit. Vltra pontē, quem ibi habet Rhenus, hucusq; crebra fuerunt ædificia, in altera scilicet fluuij ripa, sed quæ anno Christi 1548. ferè omnia igni hostili interierunt. Lacus omnium amœnissimus est, multaq; castella & vicos vndequaque per ripas habet, aqua nitida fundo glarioso ac perspicuo. Pisces fert varios quidem & multiplices, sed pro tanta aquarum magnitudine non admodum copiosos. Viginti millia passuum in lōgitudine patet, hoc est, quinq; aut sex milliaribus Germanicis: latitudo alibi decem, alibi ad quindecim millia passuum extenditur, duobus scilicet aut tribus milliaribus Germanicis. Rhenus enim duos facit lacus, Venetum & Acronium, vt veteres appellauerunt, inter quos Constantia sita. Hi nunc à loco & dominijs sortiti nomina, superior Constantiensis, & à castro, vt putant, atq; eius loci dominio de Podmen, Podamicus lacus dictus. Inferior ab oppido dicto Cella Rudolfi, Cellacensis denominatur. In infima lacus superioris parte, Constantia est sita. Est hodie omnium in Acronij & Venetij littore, conditarum ciuitatum florentissima, diuisa in duo hominum genera. Alij enim sunt equestris generis, alij plebei. Plebei mercaturis & officinis intendunt. Equites veteribus patrimonijs contenti, redditibus aluntur, & equestri dignitatem obseruant. Si quis plebeius ditior factus ad equestrem locum peruenire tentaret, ei nullo modo licere putant. Ita per lōga tempora vterq; ordo in suis finibus consistit. Gubernatio tamen rei publicæ communis est plebeis & nobilibus. Fundus circū ciuitatem, omnium rerū est ferax, vini, frumenti, pomorum, pabuli. Quod si Theatro conuersionis Gentium credamus, Constantia statim post tempora Constantini Magni, fidei, religionisque Christianæ ministros habuit S. Paternum, Landonem, & eius scholæ alios, Anno plus minus CCCXX. Fuit autem primus Vindonissensium, idemque Constantiensium Episcopus, S. Paternus, aut, vt alij volunt, Anno CC. Zepherino Pont. Max. Antonino Caracalla Imp. Seueri filio.

S. GALLI OPP.

SANCTVS Gallus vir iustus ac timens Deum, venit, vt quidam scribunt, ex Scotia, secundum alios verò ex Ibernia, vnà cum Columbano, peragrataq; Normandia, Francia, & Burgundia, venit in Alemanniam. Iuxta lacum Constantiēsem, vbi aliquanto tempore commoratus, tandē iuxta montana in solitudine concedit, vbi hodie monasterium & insigne oppidum Sangalli extructa cernuntur. Contigerunt autem ista anno domini 630. sub Dagoberto magno rege Francæ. Porrò initio prouisum est illi & sodalitio eius à rege Sigeberto & reliquis Franciæ principibus in regione montana, quæ postea appellata est Abbatis cella, vulgò Appenzell, pecore & lacte, vnde commodè viuere cum suis posset: ac deinde labentibus temporibus sui successores abbates maiora obtinuerunt apud reges & Imperatores, tandemq; monasterium ex contributione eleemosynarum, ex largitionibus & legationibus adeo cœpit ditescere, vt monachi emerint terras & homines. Fuit primùm hoc monasteriū nobilium & ignobilium schola, ex qua multi docti viri prodierunt, vt etiam aliquando sesquicētum studiosi & fratres illic fuerint enutriti, nulla alia cura distracti, quàm vt literarum studio, & ingeniosioribus artificijs, quæ nobiles animos decent, intenderent. Vnde & ad diœcesium Constantiensem multi episcopi hinc fuerunt petiti. Porrò oppidum ipsum S. Galli, ante septingentos annos cœptum est sensim per domunculorum structuras & designata iuxta monasterium spacia ædificari, & quum longè pòst Vngari in superiori Germania grassarentur omnesque terras vastarent, cinctum mœnibus. Paruit ab initio ciuitas ipsi monasterio vsq; ad tempora Friderici primi, tunc propria imperij aduocatia ciuitas est administrata, quā & nepos eius Fredericus secūdus anno Domini 1220. confirmauit, post quos dies fuit imperio incorporata, licet interim multis obsequijs monasterio quoq; fuerit astricta, à quibus tamen, honestis mediis, & compensatione pecuniæ, aliorumq; bonorum successiue liberata, ad propriam venit iurisdictionem, in qua situs & imperij aduocatia, à regibus & Imperatoribus honorificè suit priuilegijs, & libertate donata. Fuit quoq; multis annis quibusdam dominis, terris & oppidis, quin & abbatibus ipsis confœderata, & tandem confœderationi Heluetiorum perpetuò incorporata, anno domini 1454. Situs monasterij est intra mœnia oppidi, habetq; paucas domos incluſas, atque duos hortos, reliquæ planicies, quæ diu noctuq; absq; maceria pateant, sunt ciuitatis, omniaq; includuntur muro, & turribus ciuitatis. Intra circū monasterij patet omnibus locus immunitatis, qui non capitaliter præuaricantur, maleficiū vero, seu crimen capitale, per ciuitatis iudicem punitur, si sit notorium, &c. Iacet hęc ciuitas Sangalensis iuxta & partim intra montes, in fundo agresti, sed habet prospectum amœnum, aerem salubrem, atq; aquā optimam, prædia deniq; mediocriter bona, est populo diues, & ciuili ordine composita. Operantur ciues in eo oppido variā lini texturam, habentq; viros ingeniosos, & mercatores varias callentes linguas, quorum negotiatio extenditur ferè in totum Christianitatis orbem, non sine magna commoditate adiacentium terrarum & populorum, præsertim Appacellensium, Rhintalēsium, populorum monasterio subiectorum, Thurgoiæ, & comitatus Toggenburgensis. Habent interim & negotiatores suum lucrum, sed non sine periculo, quod vicini qui suos labores eis cum emolumento vendūt, non expectant. Vitæ necessaria oppidum commodè habere potest à memoratis terris, puta pisces, carnes, lacticinea, & reliqua. Frumentum petit à regione Podamicum attingente lacum, ad quem iter est trium aut plus horarum.

CONSTANTIA, vulgo Costnitz memorabile Sueuię opp:
Kastell
Hochstraß
Crutzling
Stabelhofen
Degerwylen
Marnow
Almenstorff
Pettershusen
S. Lorentz
Schiss huß
S. GALLI OPP. et Monasterium Helue:
tiorum, aßerente Ottone Frisingensi lib. v
Chron; á S. Gallo, qui in Sueuia, et Con:
stantiensi territorio resedit, erectum.

OENIPONS.

ENIPONTVS, Germanicè Inſpruck/ oppidum comitatus Tirolenſis, perquàm eleganti & venuſta ſtructura excellens, Oeno flumine irriguum, in quo Camera & parlamentum eſt eius ditionis, quo omnes, aliorum iudiciorum appellationes diriguntur, ſedem etiam & aulam eius regionis principes ſibi delegerunt, nec immeritò. Si etenim vicini fertilitatem ſoli, omne frumenti genus, & præcellentis vini copiam magna ex ſe vbertate fundentis conſideres, ſi nobilitata paſcuis, & irrigata fontium perennitate arua, ſi conualles, amniculorum murmure lætas, ſi denique venatio te capiat atq; delectet, ſtatim, vbi deſeueris oppidum, paſsim ceruorum, & rupicraprarum greges in montium paſsim iugis, in nemoribus atq; campis venantibus occurrunt, qui canum latratu & indagantium ſagacitate turbati, opimam, iucundamq; inſectantibus prædam ſuppeditant. Cumq; vniuerſus hic comitatus, in ipſis ferè alpibus inter Bauariam & Italiam conſiſtat, ſtupendæ altitudinis heic vitiferos, illic ſiluoſos montes, & inacceſſa hominibus iuga, perpetua niue candentia habet. Quinetiam argentifodinis hic comitatus, inprimis apud oppidũ Schwaz adeò diues eſt, vt non modò ducatui valdè opulento, præferri, ſed etiam regno comparari poſſe videatur. Nam vti Cuſpinianus, in ſua Auſtraſia auctor eſt, pendet ſuo Principi quotannis ordinariè trecẽtum millium aureorum numum. Inſuper, eſt & in eo æris metallum omnium præſtantiſsimum, cùm vix alibi adeò ductile reperiatur. Vix verbis exprimi poteſt, quanta ſit huius loci, cùm amœnitas, tum fertilitas. Videtur ſiquidem benigniſsima tellus mater, hunc ſibi potiſsimum delegiſſe locum, in quem omnium præſtantiſsima dona, quæ terræ ex ſe viſcera gignere ſolent, largiſsimè contulit. Quamobrem non immeritò Tirolenſis comitatus domini Oenipontem oppidum inclytam ſibi ſedem delegerunt, quo fit, vt paſsim ædes viuo ex lapide conſtructas tanto artificio, decore, ac ſumptu oſtentet, vt ſtuporem potius, quàm admirationem ſpectantibus cieant. Prætorium magna ex parte deauratum, ex iuxta, domus laminis argenteis contecta, magna admiratione ſpectantium videtur, à Maximiliano Cæſare ædificata. Qui plurimum huius oppidi venuſtate illectus, ſecundas, cum Maria Ducis Mediolanenſis filia nuptias, ſplendidiſsimè toto menſe ibidem celebrauit. Iam enim Sigiſmundus Archidux Auſtriæ, Maximilianum hęredem ſuarum prouinciarũ inſtituit. Priuſquam enim Fridericus Imperator ex imperio, in quo quinq; annis ſemper cum octingentis equitibus oberrabat, dum Matthias Hungariæ Rex Auſtriam euaſtat ac populatur, Oenipontum rediret, Archidux Sigiſmundus, Alberto Bauarorum Duci filiam Friderici Kunigundim vxorem collocauerat, inſcio & inuito patre, Comitatumque Tyrolis, cum adiacentibus ſuperioris Auſtriæ regionibus promiſerat, quod Fridericus egerrimè tulit, coëgitque Sigiſmundum, vt omnia in publica diæta reuocaret, cum non liceat alicui Auſtriæ Archiduci, vendere dominia ſua, vel alienare alteri extraneo, ob id Sigiſmundus pietate motus in Maximilianum, cum videret hunc ſuis inuiſum, ſponte omnes ſuas terras (viuẽte adhuc Friderico Imperatore, qui nullum ducatum durus pater filio dare voluit) illi donauit, reſeruatis ſibi, vnde viuere poſſet, redditibus ac cẽſibus. Sed vix biennio ſuperuixit: Sigiſmundus enim poſt Fridericum, mortem obijt, Anno noſtræ redemptionis Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſeptimo, relicta omni ſua hæreditate, Maximiliano Regi. Itaque curiam ex Principibus tunc habuit, qualem ætas noſtra, neque vidit, neque videbit. Plurimum etiam Imperator Maximilianus Oenopontis, vicinisque in locis venationi indulſit, adeò, vt ſæpius maximis obiectus periculis, dum in altiſsimis rupibus, capreas, quas alpinas, ſiue, rupicapras, nuncupant, ſectaretur, de ipſius vita dubitatum ſit, qua de re euidentiſsimum hoc tempore inditium in rupe inacceſſa ſecundo, ab Oeniponte lapide, iuxta oppidum Cyrll, apparet, conſtituto ibidem, æternæ memoriæ, tanti periculi conſeruandæ gratia, crucis ſigno. Quẽadmodum Maximilianus ipſe poëtico, de diuerſis ſuis periculis edito opere, gentili lingua conſcripto, teſtatur, Cui Tewerdanck, indidit nomen. Fingens, inuidiam, & curioſitatem quaſi perſonas quaſdam comicas, quas ratione, ac prudentia ſua, vitauerit, viceritque, & proſtrauerit, vt olim Hercules, qui relicta voluptate, per ſaxa,
per ignes laborem eſt conſequutus.

Genipons, siue Epontus vulgo
Inßpruck, Tirolensis comitatus
vrbs amplissim M. D. LXXV.
Schloß Ammens
Weierburch
S. Iacob.
Rhathaus
Spitall.
Hettingen
IN
FLV.

NVRNBERGA.

NVRNBERGA vrbs tota Germania & Europa celeberrima, emporium Germaniæ ampliſsimum, magnificis operibus publicis & priuatis ornata, arcem habet regiam in colle vrbi imminenti ſitam vetuſtiſsimam, ex qua in vrbem & extrà patet proſpectus, à qua ciuitati nomen inditum putatur. Vetuſti codices eam arcem caſtrum Noricum appellant, quod vrbs hucuſque pro cuſtodia habuit. Interluit vrbem amnis Pegnitius cum multis pontibus lapideis, duas vrbis partes coniungentibus. Eſt autem in agro ſterili & arenoſo condita, atque ob eam rem induſtrioſo gaudet populo. Omnes enim plebei homines ſunt opifices ingenioſiſsimi aut plerunque negociatores prudentiſsimi, repertores & magiſtri ſubtilium operum, quæ hominibus non parum conducunt. Numeratur vrbs ipſa inter nouas, quum nulla in ea antiquitatis inueniantur veſtigia, nec à veteribus mentio de ea fiat, niſi quòd arx ipſa tanquam vetuſtatis monumentum à multis commendatur. Conſtat enim Nurnbergam, aut caſtrum eius, tempore Caroli magni, in rerum natura fuiſſe. Siquidem habent hiſtoriæ, Carolum Taſsiloni duci Bauarorum induxiſſe bellum & illum tripartito exercitu oppugnaſſe: vnus iuxta Nurnbergam & loca vicina ſua firmauit caſtra, alius ad Danubium cõſedit, tertius verò, cui Pipinus Caroli filius præfuit, ad Tridentum deſedit. Ferunt etiam nonnulli hanc vrbem ſub initijs eius, quæ parua fuerunt, ſub domino fuiſſe nobiliſsimi comitis Francorum Alberti, qui per fraudem Hattonis epiſcopi Moguntien. captus, & à Ludouico Rom. rege obtruncatus fuit, & tunc ciuitatem vel locum illum in ius imperij tranſijſſe. Et poſtquam in ditionem imperij venit, ſumma fide, conſtantia & officio Rom. coluit imperium, regibuſq; Romanis ſemper fidem ſeruauit. In diſcordia tamen Cæſarum grauia pertulit damna, præſertim cum Henricus IIII. & V. pater & filius inter ſe diſcordes eſſent. Tunc enim Noricum caſtrum fuit obſidione cinctum & expugnatum. Poſtea Conradus Sueuus Rom. rex vrbem inſtaurauit circa annum Chriſti 1140. & inſigne monaſterium, & abbatiam ordinis diui Benedicti ad S. Egidium nuncupatum, in celebriori vrbis loco fundauit. Deinde temporibus Caroli quarti maiore ambitu & nouis mœnijs fuit aucta. Hodie verò munitiſsima eſt, altis ſcilicet mœnibus, antemurali, ingenti foſſa, infinitis turribus & propugnaculis. Numerantur in hac vrbe 528. plateæ, & vici. 116. putei aquarum, duodecim fontes ex truncis aquam euomentes: ſex magnæ portæ, vndecim pontes lapidei, tredecim communia balnea: cingiturq; ciuitas duplici muro, in quibus ſunt 183. turres præter fortalicia & propugnacula. Habet ſenatum & magiſtratum à plebe diſtinctum. Nam vetuſtiores ciues Rempub. adminiſtrant, & interim plebs ſuis rebus ſtudet, de publicis minimè curioſa. Hercynia ſylua olim occupauit fundum Nurnbergenſis ciuitatis, ſed temporum ſucceſſu pro magna parte exciſa fuit. Reliquiæ virent ſemper hyeme & æſtate. Pegnitius & Regnitius duo amnes paulo infra vrbem cõcurrentes vnum efficiunt fluuium, qui ad ſeptẽtrionem lapſus infra Bambergam Mœno fluuio miſcetur. Regnitius, quem alij vocãt Rednitium, originem ducit à VVyſſenburgo, quod oppidum eſt ad meridiem Nurnbergæ. De hoc amne hiſtorici ſic ſcribunt. Moranti Carolo Magno apud Ratiſponam propter Hunos, perſuaſum eſt fore, vt à Rheno in Danubium nauigari poſſet, ſi intra Radiantiam (hic eſt Regnitius) & Altimoniam fluuios foſſa duceretur, quæ eſſet capax nauium: quia horum fluuiorum alter Danubio, alter Rheno miſcetur: confeſtim rex ad locum oportunum accelerat, ac magna hominum multitudine congregata, totum autumni tempus in hoc conſumpſit. Ducta eſt itaque foſſa inter prædictos fluuios duûm millium paſſuum longitudine, trecentorum pedum latitudine, ſed fruſtra: nam propter iuges pluuias & terram, quæ paluſtris eſt naturâ, opus ſtare non potuit, ſed quantũ interdiu egeſtum fuerat, tantum noctibus humo iterum relabente ſubſidebat. Ad hoc rumor increbuit, infideles irruiſſe intra limites Chriſtianorum, qua re Imperator coactus diſcedere, cœptum laborẽ deſeruit. Aiunt prope VVyſſenburgũ adhuc apparere veſtigium profundatæ foſſæ. Anno Chriſti 1538. Nurnburgenſes renouauerunt caſtrum ſuum, dilatauerunt & munierunt fortiſsimis propugnaculis, in quorum fundamenta poſuerunt nũmos quoſdam magnos, aureos, argenteos & æneos, cum tali inſcriptione ſignatos.

DEO OPT. MAX.

S. P. Q. N. muros arcis non ſatis firmos ad ſuſtinendos hoſtiles impetus, & iuſta ſpaciorum adiectione, & multis ſubinde egeſtis ruderibus à fundamentis, magna cum laude erexit ac nouos fecit, Imp. Carolo V. Cæſ. P. F. ſemper Aug. rege Hiſpan. catholico, archiduceq; Auſt. &c. Et Ferdinan. fra. eius rege item Rom. Hung. & Bohem. Romaniq; Imp. ſucceſſore, &c. Patribus verò P. Chriſtophoro Tetzelio, Leonh. Tuchero, & Sebald. Pfintzingo. Anno M.D.XXXVIII. Men. Aug. Hæc omnia vnum nummi latus continet. Sebaſt. Munſterus.

NVRNBERG.
Auf der scheid
Spitler dor
Weis dor
Frawen dor
S. Iacob.
Zwoff brie: dern.
Neuwauch
S. Laurent
Die Barfusser
S. Catharina
Neu dor
S. Sebaldt
New spittal.
Inner frawen
Der gerahner durn
Prediger Chester
Die festen
Das Lugnis landt
S. Dielling
Iner lauffer durn
Lauffer dor
NOREN-
BERGA, Vrbs nobi:
lissima, totius quasi Germaniæ cen:
trum, publicis, priuatisq; ædificijs; am:
plissimis mercimonijs; et Senatu prudentijs:
præstans. Omnium mechanicarum artium
dexterrimos artifices; moenia et propug:
nacula valida, foueas, latitudine, et alti:
tudine idonea, ostentat. Cuius icone,
artificiosissimarum picturarum amantis
simus, D. Cornelius Chaymox
Norenbergensis mercator, ac ci:
uis, topographicam institutum
nostrum, amicissime
promouit.

MISENA.

MISENA, vulgò **Meissen**, Hermondurorũ vrbs præstans (Hermonduros autem iuxta Albim habitâsse, auctorũ consensus est. Prę terfluit Hermonduorrũ fines Albis, inquit Velleius, imò, in Hermõduris Albis oritur, vt scribit Tacitus. At cõstat ex eo Hercinij nemoris saltu, quæ hodie sylua Bohemica dicitur, Albim oriri. Itaq; sub Bohemicam syluã ad Albim fluuiũ, olim Hermonduri habitârunt; Misena itaq; Albim, magnum & inclytum Germanię fluuiũ, vicinitate nobilitat. Eum Strabo nunc Albim, nunc Album, nominat. Qui, vt Rithamerus perhibet, Multam, flumen magnũ, quod Pragensem præterlabitur vrbem, deinde Egram, ex monte Pinifero fluentem, post, Salam & Ortellam absorbens, ciuitatem Hamburgensem alluit, ac demum in Oceanũ Germanicum vasto euoluitur ore. Misena porrò, primùm Romano Imperio paruit, sub Henrico, eius nominis IIII. Augusto. cuius aliquãto tẽpore Gubernatores ac presides in ea fuêre, Buco, atq; Burchardus, Conradi item II. A. temporibus vicecurator quidã Hermãnus, in hac vrbe fuisse, legitur. Huius autem regionis tractus, in quo Misena est sita, quemadmodum ex Ottonis I. A. literis perspici potest, Taleminici nomen habuit, quã Bohemi, Zirbiam nominant, vti Cosmas Bohemicæ historiæ scriptor perhibet. VVendi verò Lomaciam nuncupãt, Ditmaro Episcopo Mersburgensi in historia sua asserente, vbi & fluuiorum Meisæ, & Ianæ, quorũ nostro etiam tempore, integra appellatio est, meminit. Quemadmodum etiam nunc vetus retinet nomen vallis quædam, vulgò, **das Mintzethal**, & clarum, vetustate, oppidulum, communiter **Lemmas**. Sunt, qui existimant, vti Pirckhamerus, & Appianus, Misenam eam esse vrbem, quæ Ptolemæo, Lupfurd. Quod quidem non omninò à vero alienum videtur, nam quondam hoc loci, publicum fuisse transitum, furtum, siue traiectũ, vetusta quædã suburbij nomina, denotant. Quorum alterum Transitus superior, **Die Obervhor**. Alterum, transitus inferior, **die Nidervhor**, appellatur. Et ad duos inde lapides, vltra Albim ascendendo, vicus est, Rotschenbrode, cognominatus, qui à transitu etiam appellationem sortitur. Broda siquidem, VVendorum linguâ, furtum, siue transitum denotat, Lupf, verò, vetus est in Germania viri nomen, sicuti & Rotsch, quod nunc communius efferunt, Garze, quemadmodum in literis, & per antiquis transactionum instrumentis, videre est. Misena autem, vniuersæ huic regioni denominationem suppeditat. In qua Episcoporum primùm, deinde Marggrauiorum aula fuit, vrbs ante annos D. C. LXX. inhabitantium frequentiâ, culta. Meminit eius Saxoniæ chronicon, Anno post natiuitatem Christi D. CCC. LXXXVIII. Moguntinorum verò annales eam primùm ædificatam, & validis, ob loci oportunitatem, communitam præsidijs, perhibent ab Henrico A. Aucupe cognominato, anno post optatum Christi aduẽtum D. CCCC. XXX. Imperij sui anno II. contra frequentes Vngarorum incursiones, qui multis, eo tempore, incõmodis, afficiebant Germaniam. Eum verò succedentes Augusti, ibidem firma, retinuerunt præsidia, contra VVendos, qui vltra flumen degebant, sicuti & deinde Antistites & Principes contra Bohemos. Mons, in cuius cacumine arx videtur esse imposita, librata planitie vndique cinctus, foueis naturæ beneficio firmis munitur, ab eo, ad S. Afræ montẽ vicinũ, pons lapideus, arcuato opere mirabilis, protensus est. Vrbs ipsa situ partim montoso, partim est plano. Ex mõtibus duo, alter Arcis, alter S. Martini, instar brachij ad Albim flumen sese extendunt ipsamq; vrbem quasi amplecti videtur. Ad fluuium **Tubisch**, vulgò dictum, mons Altenburgum sese protendit, ab arce, quam ibi quondã extitisse perhibent, denominationem retinẽs, cuius iam nullæ supersunt ruinæ: Naturæ etiã clementia, interamnis est Misena, nam qua solis spectat exortum, Albi flumine alluitur; qua verò meridiem, Tubischa. Ad occasum, præcelsos exhibet montes. Ad Septentrionem autem, riuulum Misenam, habet, qui ad Schlospurgi montis radices, in Albim se exonerat, vnde huic vrbi nomẽ, euenisse putatur, qui quidem, etsi exiguus, celeberrimi tamen nominis eum quondã fuisse, constat. Porrò, clarissimorũ oppidorũ vicinitas, magnarum nauiũ patiẽs flumen, consiti letissimis vineis mõtes, aeris deniq; puritas, hanc vrbem cõmendabilem reddit. Quinetiã minerarum, & metallorũ sunt montes ditissimi, eò, quòd primo à Misena lapide, mõs sit, Scharpffenburgius cognominatus, argento & plumbo fœcũdus, & Fribergum versus, iuxra Mockerigs pagũ, altissimæ istæ fodinæ atq; putei **Montzigerthal**, vbi metallici, ante annos viginti, à labore destiterunt, solum metallicarũ rerum vbertate, præstans fuisse demonstrant. Nec ita à Misena procul, ad solis occasum, ob aquarum inundationẽ, quæ puteos atq; cuniculos obruerunt, fodinas à metallicis desertas, eaq; loca nunc in agros, arboreta, & vineta esse mutata, cõstat. Primarius vrbis mõs, solẽ orientẽ respiciens, Schlospurgum, tanquam arcis mons, dictus, castris duobus, præcellenti structurâ, conspicuis, decoratur, quorum alterum Principis est, ab Alberto Saxonię, Duce ędificatum, Alterum Episcopi aula à Ioanne, eius nominis V. inchoatum quidem magnificè, sed extrema artificũ manu, nondum perfectum. Iuxta est in arcium duarum medio, Ecclesia cathedralis, ad occasum sacram ostentans ædiculam, principum tumbis & sepulturis; percelebrem. Mons, ad solis vergens occasum, S. Afræ cœnobium sustinet, à Reinardo Episcopo institutum, quod nunc Saxoniæ Principum iussu, in scholam est conuersum. Iuxta Misenam vrbem, vtraq; Albis ripa, ligneo ponte, tanto artificio & magnitudine coniungitur, vt vniuersum Romanum Imperium eâ præstantiâ pontem, ex ligno præsertim constructum, non putetur habere.

MISENA, HERMVN-
DVRORVM VRBS.
ALBIS
FLVVIVS.
Misena flu.
1 S. Martini
2 Officina later.
3 Aldenburgum
4 S Nicolai
5 B Virginis
6 Forum
7 Platea Albis
8 Curia. 9. Dom.
in qua pan. vendi
10. Pons ligneus
11 Vallum
12. Schola Principis
13 S. Afræ
14 Pons lapideus
15 Domus Episcopi
16 S. Jacobi
17 Domus frumētaria
18 Turr. fulmine inflām:
19 Domus frumenti.
20 Sepultura Duc. Sax.
21 Arx Ducum Saxoniæ
22 Viuarium ferar.
23 Porta ad Albim
24 Hospitale.

GORLITIVM.

BOiemia, Germaniæ regio, fines ab ortu ſolis, ad Marcomannos & Quados, ab occaſu ad Noricos protendit. Meridionalem eius plagam Pannonia ſuperior, nũc Auſtria dicta, occupat: ſicut Saxonia & Miſnia, Septẽtrionalem. Vniuerſam Hercynia ſylua perpetuo ambitu cingit, clauditq; circum vndiq; ad Amphitheatri faciem. Vnde æqua ei ferè longitudo atq; latitudo, atq; vtraque paulò amplius ducentis millibus paſſuum extenditur. Carolus Boiemiæ Rex, qui deinde imperio etiam orbis præfuit, in regiones illam duodecim deſcripſit, quarum vni duntaxat vocabulum à flumine Vultauia, quod Pragam interfluit, indidit: reliquas vndecim ab oppidis cognominauit, ſed nulla eorum adeò aſpera prolatu habẽtur, vt niſi Boiemus ſit, aut ſermonis Boiemi gnarus, ægrè illa alio ore pronunciauerit. Inter oppida Boiemiæ inſigniora numerantur Marcomanniam verſus, quæ hodie Morauia appellatur, Mutha, Chrudima, Hradecium Reginæ, Pardubicium Lytomiſlium. Inde à limite Noricorum, quos Bauaros cognominant, Glatouia, Domazlicium, Miſa, Tachouia, eminent. Ab eo verò latere, quod ad Auſtriam ſpectat, locum primum obtinet Buduicium, Crumlouia, Trebonia, Hradecium Henrici, ſicut à Miſnia, Pons, Cadana, Chomutouia, Auſtria. Nam Quadis, nunc Sleſitis, Hiaromirium, Glacium, Curia, & quædam alia oppida proximant. Introrſus porrò celebrantur, Cuthna, Colonia, Pẽlſina, Verona, Zatecium, Launa, Lana, Lytomericium, Taborium. Cæterum omnibus magnificentiâ anteſtat Praga. Etſi porro Gorletium oppidum, quod Boiemiæ limitibus non continetur, deſcripturi ſimus, placuit tamen compendioſam eius regionis enarrationem, ex Ioannis Dubrauij hiſtoria inſerere, vt perſpicuè magis lectores cognoſcant, quænam ipſius Boiemiæ regni vrbes cenſendæ ſint, & ſicuti in eo regno quædam immediatè regijs moderantur habenis, aliæ verò eius regni proceribus parent. Ita vicinis Boiemiæ regionibus, aliquas etiam inueniri vrbes, quæ licet eius regni oppidis non annumerentur, Boiemicæ tamen coronæ obtemperant. Harum ex numero Gorlitium eſt, nobiliſsimum ſuperioris Luſatię oppidum, ædificiorum nitore atque frequentiâ clarum, murorum, foſſarumq; ambitu, ſitu montoſo, & Niſſæ fluminis propinquitate firmum, ex quo molitores, ceruiſiarij, tinctores, alijq; eius opp. ciues, infinitas commoditates percipiunt. Eius tranſitus ponte ligneo, tecto percommodè clauſo, opportunè coniungitur. Præ cæteris autem tam publicis, quàm priuatis ædificijs, magno ſumptu perfectis, Eccleſia vni Deo, nomine S. Petri dicata, & ciuica domus, præclara turri conſpicua, eminet. Oppidum ipſum prima fundatione conſtructum, Anno poſt Chriſtum natum M. C. XXXI. eius annales perhibent. Funeſto verò deinde incendio, Anno partæ ſalutis M. CCC. XXXI. immitis Vulcani feritate conſumptum, vt ne vnica quidem domus remanſerit. Poſt eam autem ruinam, anno ferè octauo, veluſtè reparatum, hoc eſt, ab orbe redempto, M. CCC. XXXX. Boiemiæ regno ſubditur, cuius etiam hoc tempore dominium fideliter agnoſcit. Quonam autem modo, ad Boiemiæ coronam peruenerit, Ioannes Dubrauius lib. XXI. de rebus Boiemicis refert. Graui ſiquidem orto diſsidio inter Ioannem Boiemiæ regem, & Ludouicum Auguſtum, dum incerti belli euentus, multorum oppidorum tum expugnatione, tum deditione Regi proſperè fœliciterque fauerent. Cæſar Bauarus excandeſcens, Regem vt perduellem accuſat, quæſtus apud Germaniæ Principes, quòd ille ſibi imperiũ in Italia vſurparet, voluitq;, vt hoſtis palam declararetur. Cuius defenſionem Balduinus, Treuerenſis Archiepiſcopus, Regis patruus, in ſe recipiens, magna tunc inter Principes authoritate, quod Spirenſem præterea Archiepiſcopum ageret, & Moguntini Archiantiſtitis vicem impleret, impedit, quo minus declararetur rebellis. Alia itaq; via Imperator regẽ adoritur, Regno ſuo vicinos, Marchionem Miſniæ, & Ducem Auſtriæ, contra Ioannem inſtigat. Itaq; Marchio Miſniæ, filiam regi remittit, ducta Cæſaris filia. Reuerſus deinde ex Italia Boiemiæ Rex, tranquillis ad Cæſarem tranſmiſsis litteris, eius Maieſtatem demulcet. Reſponſoq; non expectato, quantum militum in ſumma Fiſci inanitate cogere poteſt, aduerſus Fridericum Miſnenſem, cauſa vlciſcendæ ignominiæ, cogit, improuiſuſque ad oppidum Gorlitium, quo tunc Fridericus potiebatur, ad eſt, primoq; illud aduentu capit non auſa multitudine incondita & inermi diu repugnare: capit mox & arcem firmiter munitam, corrupto præfecto arcis, denique vno tumultuario prælio cum Frederico feliciter facto, quicquid per oppignorationem alienatum in Luſatia ſuperiore fuit, id totum recuperauit, filiamque Iudith ſibi redditam, alteri genero, multis paraſangis, dignitate, & opibus Fridericum illum ſuperantem, depactus eſt, nempe, Ioanni Regis Philippi filio, qui poſtea in regno Galliæ, patri ſucceſsit.

GORLITZ.

GORLITIVM, VRBS SVPE-
RIORIS LVSATIAE, AD
VIVVM DELINEATA, ANNO
SALVTIS, CIↃ. IↃ. LXXV.

GEDANVM
DANZICK.

GEDANVM, siue vt Krantzius varijs,in sua VVandalia,locis, Gdanum, vulgò Dantiscum, florentissima, in Prussia vrbs est, ex tribus oppidis coagmentata,portu, naualibus,& horreis nobilissima,copia & varietate mercimoniorum partim maritimorum, ex toto occidente & Septentrione, partim terrestrium & fluuiatilium, ex diuersis mundi partibus, & ex maxima Vistulæ præterlabentis opportunitate, abundans, munitione firma,ciuium industria cum humanitate & frugalitate coniuncta, magistratuumque diligentia,& autoritate etiam firmior. De cuius appellatione & origine nominis, varia est doctiorum concertatio, maximè, cum pauca eius rei in publica scriptorum monumenta, relata inueniantur. Quibusdam composita dictione,à Gètis & Danis, Gedanum deductum esse placet, quod communi horum opera, primum condita fuerit, licet Germani, Danorum tantum, in ea vrbe nominanda,mentionem faciant, quod nomen, originis ignari, in Dantiscum tranſtulerunt. Becanus, curiosus antiquarum appellationum inuestigator,inter Venetos Adriaticos,& Venedos Prussiæ, discrimen statuens, cum primum pluribus exemplis, & ipsa nominis ratione ostendisset, Venetos:veteribus stagna vel paludes fuisse, proindeq; eos Venetos dici, qui regiones paludosas, stagnorumque plenas habitant,quod Venetia Adriatica,& Venetia ad dextrum Vistulæ latus, compluribus lacubus,sinubus, & paludibus insignis,manifestè coüincit Venedorum inquirit originem, vnde & Gedani apparabit diductio. Danos (inquit in Veneticis suis & Hyperboreis) Prussiam olim inhabitasse tum Indicani, cum docui. Suedaniam à Sueuis & Danis vltra Sarmaticum mare, conditam fuisse. Quemadmodum igitur Sueden, nobis vocatur is, qui Suedaniam habitat,ita Veneden. Danus is diceretur, qui ad stagna & paludes commoratur. Græci itaque ex Veneden, Venedas fecêre, ac inde mare Venedicum, & montes Venedicos appellarunt. Quamobrem inter Venetos & Venedos, hoc est discriminis,quod Veneti generatim omnes,ad lacus & paludes habitantes. Venedi verò non omnes, sed Dani duntaxat, eiusmodi loca incolentes, composita voce, perinde,atq; Suedani, nuncupentur. Quamobrem Dani, eiusdem cum Alanis & originis,& linguæ, eam regionem, quam nunc Boruſſiam quidam, vulgus Brussiam vocat, incoluerunt: quorum monumentum æternum in sinu illo manſit, in quem Vistulæ sinistrum ostium exoneratur, quem Danorum sinum, quondam vocarunt, VVic, enim loca illa, siue in mari, siue in terra designat; ad quæ quis periculis vel maris, vel terræ, cedere consueuit. In mari igitur reducti in portum sinus, hac voce nominantur, & in ciuitatibus singulæ portiones, in quibus ordinariæ Vigiliæ habentur. In tumultu enim, ad vicos suos, cuique haud aliter, quàm in procellis, ad sinus reductos, fugiendum. Olim enim cum Germani militari consuetudine viuerent, loca multitudini, & stationes per campos diuidebantur, ad quæ, si quis hostis ingruisset, cuique cedendum fuit, vt quisque hanc, vel illam stationem fortitus esset. Nam VVic, idem est, quod cedo: ita, vt voce hac monuisse videantur, non temerè hostem soli cuiquam expectandũ, sed mox in periculis, ad socios confugiendũ, quò ab illis & auxiliũ, & tesseram militarẽ accipiant. Quia verò hæcin castris, per campos viuendi ratio, apud maiores fuit obseruata, factũ est, vt cum militarem vitam agunt, in cãpis se esse Germani dicant, quasi tum ad prisci, in campis viuendi ritum, redijssent. In his cuiq; ad tẽtoria ducis sui, stationemq; ordinatam, si quid ingruat, est cedendũ: vt quod ipsi opus facto est, id à duce suo discat. Hinc, VVic, ad ciuitates transijt, eas per partes, & vicinias distinguens. Latini vetus Cimbricum nomen retinuerunt, eiusmodi ciuitatis partẽ, Vicum vocantes; quo in significatu, apud oës Germanos est in vsu, quamuis ad sinum, in quo secura nauibus statio est, significandum, Austris ad Balthicum mare sit vsurpatum. Danorum igitur, siue vicus, siue sinus, Danvvic fecit, qua voce nobilissimum Venetorum oppidum nuncupatur, quam Latinizantes, in Dantiscum corrupẽrunt. Alij Gedanum, vt dixi, nominarunt; à Getis & Danis, prisci eius, ante Sclauorum irruptionem, conditoribus, sumpta appellatione. Vistula fluuius, in Germanorum limite vltimus, vi cursu suo Gedanum illustrat, ita tantæ vrbis vicinitas, summo ei decori est, & ornamento. Acis quidem in Silesia Cassinesi, & Sarmaticis montibus exoriens, versus septentrionẽ primùm, mox versus orientem aliquantisper, deinde à Sandomiria, versus Septentrionem rursus, per minorẽ Poloniam decurrit. Hinc ad occasum æstiuũ flexa, Masouiam, & Cuiouiã partim alluit, partim interluit, Prussiamq; Culmensem alluit. Ad extremum, vbi Toreuiam præterijt, læuaq; ripa Pomeraniam attigit, in ortum reflexa parumper, deinceps Prussiam diuidens, versus septentrionẽ partim in mare, infra Gedanum, partim in Habrum lacum, quinque ostijs sese exonerat. Fluens autem amplius centum milliarium Polonicorum spatio Vistula, Solam, Fronsam, Scanam, Donaiecium, Visiocam, Ropaanciam, Nidam, Sauum, Vaprum, Pileiam, receptis Dreuicia, & Velboria, Bsuram, Naruam cum Bugo, Vernanciam, Beulam, Ossam, & Morlauiam fluuios, excipit: & Osnencium, Cracouiam, Cazimiriam, Sandomiriam, Varsauiam, Plosenu, Vladislauiam, Toruniam, Culmam, Grudentum, Guissmum, Gulmum, siue Meuam, Nouum Marieburgum, Derfauiam, & Gedanum vrbes & oppida, non ignobilia, præterfluit; arces item Liponeciam Nepolincz, Corcinum, Zauichostum, Cernensenum, Zacrociuũ, Vyssegradum, Sochacionicum, Dobrinum, Dobrovvincos, Kazrauzũ, Slazovviam, Vyboniam, Nichsouiam, Starigradã, siue Altzausen, & Sutre, & adhærentes eis vicos, alluit. Vistula, porro, fluuius, is est, qui veterum historijs, ac poetarum fabellis, Eridani nomine, celebratur, cuius Apollonius in quarto Argonauticõn, duplex ostium facit, alterum in Oceanum, alterum in Ionium sinum effundens: cui interpres quoque accedit, qui error inde natus videtur, quod in vetustis poetarum monumentis inuenisset, Eridanum in Oceanum Septentrionalem euolui, & apud posteros didicisset, Eridanum in Adriam, multis ostijs exire, quos conciliare volens, ex vno flumine, duo brachia, in diuersas orbis partes, diduxit. Herodotus rectius è vetustioribus didicit. Eridanum in Oceanum Boreum deuolui, atque inde electrum adferri. Quis autem, & vbi gentium, terrarumé hic fuerit, electrum nobis apertissimo, & necessario indicio demonstrat, quod in Europa vno duntaxat loco, inueniri, fatentur omnes. Ex quibus manifestè apparet. Vistulam olim Eridanum nominatum fuisse, non Græco quidem de fonte, sed de eius gentis vernaculo sermone, per quam longo tractu, & ingentibus gyris in Boreum mare sese exonerat. Est enim dominus & summum decus, omnium eorum animum, qui Boream versus per Sarmatiam feruntur, multos maximosque amnes alueo suo, velut dominus, suscipiens. Nec mirum est, ab hoc Eridano, ad alterum, qui in Adriam fluit, fabulam à posterioribus, quibus Sarmatia minus, quàm priscis nota esset, fuisse translatam: propterea, quòd & Vistula, & Padus in sinum Veneticum exonerentur. Cum enim alium sinum Veneticum ignorarent, quàm eum, qui ad intimam, Adriatici maris partem inueniretur, crediderunt, quæcunq; de Electro & Eridano dicerentur, ad Padum esse referenda. Vera igitur historia fuit, electrum ad Eridanum inueniri, non illum quidem Gallicum, sed Sarmaticum siue Germanicum, ad cuius ostia hactenus effoditur electrum, & apud Gedanum, ac Montem Regium in mari Sarmatico, etiam colligitur. Alij Succinum, Ambram exteri vocant, quod fluctibus appulsum ad littora, homines nudi obuiam euntes, paruis retibus extrahunt, Molle primum, sed mox in aere durescit, tornoque, ac scalpro variè efformatur, est autem fuluum, ac candidum, candido maius pretium. Ferunt, si incendatur, eius odore venenata necari, visuntur in eo nonnunquam formicæ, culices, & alia insecta, non arte, sed vel opificio naturæ, vel fortuitis casibus inclusa; etiam in continentis littus tempestatibus eijci tradunt. Cornelius Tacitus in sua Germania, Succinum, inquit, quod ipsi Glesum vocant, inter vada, atque in ipso littore legunt, nec quæ natura, quæue ratio gignit, vt barbaris, quæsitum, comperitumue diu: quin etiam, inter cætera electamenta maris iacebat: donec luxuria nostra dedit nomen: ipsis in nullo visu: rude legitur, informe perfertur, preciumq; mirantes accipiunt. Succum tamen arboris esse intelligas, quia terrena quædã, & etiã volucria animalia, plerumq; interlucẽt, quæ implicata humori, mox, durescẽte materia, clauduntur. Veteres de electro & Phaetonte, commenti sunt fabulam, dicentes, eum Solis filium fuisse, & petiuisse à patre, vt vno die fideris currum gubernaret, quo impetrato, equos, aurigam contemnẽtes, deuios aberrasse, ac cælũ incendisse, ea parte flammarum reliquijs adhuc extantibus, qua Galaxiã videmus. Qua re Iouem indignatũ, fulmine contra Phaethontem sæuisse, atq; hunc ictũ in Padum, qui Eridanus olim dictus fuerit, incidisse. Deinde mortẽ eius sorores defleuisse, ac in populos fuisse mutatas, è quarum lacrymis, quotannis fiat electrũ. Sed hæc de Gedani appellatione, de Eridano, nũc Vistula flumine, de electro, fortasse copiosius, superest, vt ad vrbem ipsam, à qua, animi gratia, longius digressi sumus, reuertamur. Cuius, si quis magnificentiam planè regiam, propugnacula, vallum, ac mœnia, si priuatas ciuium, publicas etiam Reip. ædes, in quibus incredibilis impensarum sumptus, cum accuratissima artificum industria, nescio quo fastu, decertare conspiceret; si capacitatem portus, & incredibilem in eo maximarum nauium frequentiam; si ciuilem politiæ ordinem, ingentes publici ærarij opes: si denique tormentarij puluueris molam, septem naturæ stupendis annumerandam, videret; propitio numine diuûm, felicibusque immortalis Dei auspicijs, eam vrbem, cuius tam exilia, & tenuia fuêre principia, recenti hominum memoria, in tam florentem excreuisse & empub. fateatur necesse est. Quam Krantzius in sua VVandalia, lib. 10. recentem, atque hesternam nominat, & ex Turrex, vrbis, iuxta Vistulam flumen, olim florentis interitu, ad eam celebritatem peruenisse, tradit, eò, quòd omnis negotiatio ad mare posítam Gdanum vrbem confluxerit. Mirum, idem porrò Krantzius, inquit, tam breui coaluisse vrbem in id, quod tum erat, & nunc magis apparet robustis ac fortitudinis. Viuit hodie, qui audisse testatur, auum suum retulisse, quod ex patre acceperit, venisse se Gdanum, sui tum oppidi nuntium, & oratorem, concilium adijsse, eius tum loci publicum: id erat coactum in priuata domo, quæ vnica tum ex lapidibus lateritia stabat ad forum, nam cæteræ cannis palustribus, & limo horruerunt: rusticam antiquitatem testantes. Ingressum, vidisse patres conscriptos, in mensa, quæ fuit in conspectu, cultellis, ad componendum symbolum, per plana demissis, ad metam ludere. Eam tum fuisse grauitatem publici consilij. Ab illis exordijs, intra vnum sæculum in id roboris vrbem coaluisse, non sine causa miramur, vt electis dominis suis fratribus Teutonicis, regem Poloniæ, cui etiam nunc parent, inuocauerint. Hucusq; Krantius. Cæterum, nunc talis huius vrbis splendor est, & elegantia, vt nullam in toto vniuerso nationem extare putem, ad quam non eius fama, cum maximo celebritatis elogio, deuenerit. Neque peregrinum vnquam in ea aliquem fuisse, audiuerim, qui non ob situs tantum, ædificiorumque pulchritudinem, sed magis ob reuerendam Magistratus authoritatem, & heroicis virtutibus comptos ciuium mores, peculiari quadam humanitate præditos, vehementer eam commendarit. Quanta magnificentia ex Amplissimo Senatus ordine Patres ad Reges, ad Principes & ciuitates legationes obeunt? Non Reipub. alicuius oratorem aut nuntium, sed principem, regio comitatu stipatum, esse dixeris. Quanta ciuium comitas? Quàm benigna, vrbana, atque excellens actionum suauitas? quàm magnificus in vestitu cultuque corporis splendor atque mundicies? in publicis, priuatisque congressibus, quanta grauitas, in deliberando quanta prudentia, in sermone quanta facundia? Adeo quidem, vt quemadmodum Athenienſibus peculiaris quædam sermonis lenitas, vocisque attributa debatur suauitas, ita, vt Attica eloquentia, trito vetustate prouerbio, locum, dederit. Ita Gdani ciues, & incolæ, non agresti, rustica & aspera, sed mollissima, iucundissimaque pronunciandi ratione vtuntur, & elegantissimè Germanicum idioma, etiam politissimum, exprimunt. Quod si Plato eo se nomine fœlicem putauit, quia Athenis, vrbe totius Græciæ florentissima, & Musarum, humanitatisque domicilio, natus sit, & educatus: Quis non & eorum fœlicitatem augeri putauerit, qui in hac vrbe, prima spirandi principia hauserunt, cùm vnanimi omnium consensu, huic vni, in tota Oßlandia vrbi, ea fola laus detur, vt, si quis insigni humanitate, morumque ciuilitate præditus sit, cum omnino, aut hic natum, aut certè educatum, earum etiam nationum homines conijcere soleant, quibus cum Ostromarini viuunt, cum cæterorum oppidorum plerique, vbi primum natiuum deserunt solum, & vel studiorum, vel mercimoniorum gratia, in Belgium, Londinum in Anglia, Olioßponem in Lusitania, aut in Galliam se conferunt (vt pace ipsorum, id, quod verum est, dixero) satis rudes, & agrestes esse soleant, in quibus informandis, aliorum cura & diligentia elaboret, aut ipsi ad aliorum se mores componant, necesse est.

Dantzigk
Die Oost Zee.
Wissel flu.
S. Iacobs Port
S. Iacobs kirch
Lichnam Door
Pocken haus
Grawe Munnen
S. Catharine
S. Ians kirck
Lange gaerde
Die Phare kirch
Das Rhathaus
Schuster gasse
Hooge Door
S. Petri
Grawe chen
Bisschoffs berg
Water Kunst
Der hagels berg
Der newer garst
GEDANVM, Krantio, in sua Wandalia Gdanum; vulgo, sed corruptè, Dantiscum, Germanicè, Dantzigk, opulentissima Prussiæ vrbs, ac nobile Mercatorum Emporium. Cuius topographica icone, Clarissimus vir, ac singularis Doctor, viror. Mecoenas, D. Adamus Wachendorff, Hanseatici Londinensis Emporij Secretarius prudens, atq; fidelis, dignus amplissima hac sua pria ciuis, suis sumptib. depicta, plurimum splendoris ac ornamenti, operi nostro perbenignè contulit.

MOSCOVIA.

MOSCOVIA, vrbs Ruſsiæ caput & Metropolis, ipſaq; Prouincia, & qui hãc præterlabitur fluuius, vnum idemque nomen habent, vernaculaq; gentis lingua, Moſquua, appellantur. Quodnam autem cæteris nomen præbuerit, incertum. Veriſimile tamẽ eſt, ea à fluuio nomen accepiſſe. Nam etſi vrbs ipſa olim caput gentis non fuerit, Moſcorum tamen nomen veteribus non ignotum fuiſſe conſtat. Porrò Moſquua fluuius in Tuerenſi prouincia. L XX. ferè ſupra Moſaisko vverſt (eſt autẽ vverſt, Italicum ferè miliare) haud procul à loco, qui Oleſchno dicitur, fontes ſuos habet, indeq; emenſo LXXXX. vverſt ſpacio, ad Moſcouiam ciuitatẽ decurrit, receptisq; in ſe aliquot fluuijs, Orientẽ verſus, Occam fluuium illabitur. Cæterum, ſex ſupra Moſaisko milliaribus, primũ nauigabilis eſſe incipit, quo loco materia ad fabricandas domos, aliosq; vſus ratibus impoſita, Moſcouuiam defertur. Infra autem ciuitatem merces, aliaq;, quæ ab externis hominibus importantur, nauibus aduehuntur. Tarda autem in fluuio atq; difficilis, propter gyros, ſeu mæandros, quibus multis incuruatur, nauigatio eſt: præſertim inter Moſcouiam & Columnã ciuitatẽ, tribus ab eius oſtijs paſſuum millibus in littore ſitam: vbi CCLXX. vverſt ſpacio, flexionibus multis, longisq;, nauigantium curſum impedit, atq; remoratur. Fluuius nõ admodum piſcoſus, vt qui præter viles & vulgares, nullos piſces habeat. Vrbs ipſa Moſcouia lignea eſt, ſatisq; ampla: quæ procul etiam amplior, quàm re ipſa ſit, apparet, & trans fluuium villæ, vbi non multis retro actis annis, Baſilius Princeps ſatellitibus ſuis nouam, Nali ciuitatem (quod eorum lingua, Infunde, ſonat:) exædificauit, propterea, quod cum alijs Ruthenis medonem & ceruiſiam bibere, exceptis paucis diebus in anno, prohibitum ſit, ijs ſolis bibendi poteſtas à Principe ſit permiſſa: atq; eam ob rem, ne cæteri eorũ conuictu corrumperentur, ab relinquorũ cõſuetudine ſunt ſeiuncti, omnẽ ſiquidem potum inebriantem terræ Princeps capitis pœna prohibuit, bis, aut ter tamẽ in anno cõceditur. Haud procul ab vrbe ſunt aliquot monaſteria, quæ vel ſola procul ſpectãtibus, vna quædã ciuitas eſſe videtur. Porrò, vaſta ciuitatis magnitudo facit, vt nullo certo termino cõtineatur, nec muro, foſſa, propugnaculisúe cõmodè ſit munita. Plateæ tamen quibuſdã in locis, trabibus per tranſuerſum ductis, obſtruuntur, adhibitisq; cuſtodibus ad primã noctis facẽ ita obfirmãtur, vt nemini noctu aditus poſt ſtatam horã illac pateat: poſt quam, qui deprehenſi fortè fuerint à cuſtodibus, aut verberãtur, ſpoliantur q;, aut in carcerẽ conijciũtur, niſi fortè noti, honeſtiq; viri fuerint. Hi enim à cuſtodibus ad ſua deduci ſolent. Atq; tales cuſtodiæ, qua liber in ciuitatem patet aditus, locari ſolent. Nam reliquã vrbis partem Moſqua alluit, in quem ſub ipſa vrbe, lauſa fluuius illabitur, qui ob altas ripas rarò vadari poteſt. In hoc molendina complura, in publicum ciuitatis vſum conſtructa ſunt, hisq; fluuius ciuitas nonnihil munita eſſe videtur, quæ præter paucas lapideas ædes, templa & monaſteria, prorſus lignea eſt, domusq; non intus, ſed foris gradus, quibus in ſuperiora cubicula conſcenditur, in plateis habent. Aedium in ea vrbe numerum vix credibilem referunt, eæ Principis iuſſu conſcriptæ numerum 41500. ſuperarunt. Ciuitas hæc tam lata ac ſpacioſa, admodum lutoſa eſt, quamobrem in vicis ac plateis, alijsq; celebrioribus locis, pontes paſsim extructi ſunt. Eſt in ea caſtrum ex lateribus coctis ædificatum, quod ab vna parte Moſquua, ab altera Neglima, flumine alluitur. Neglima autem ex paludibus quibuſdam manat, qui ante ciuitatem circa ſuperiorẽ caſtri partem ita obſtruitur, vt in ſtagni formam exeat, indeq; decurrens, foſſas caſtri replet, in quibus ſunt molendina, tandemq; ſub ipſo caſtro, Moſquuæ fluuio coniungitur. Caſtrum aũt tanta magnitudine eſt, vt præter ampliſsimas ac magnificè extructas, ex lapide Principis ædes, Metropolitanus Epiſcopus, item Principis fratres, Proceres, alijsq; quamplurimi, ſpacioſas in eo ædes ligneas habeant. Eccleſiæ in eo tam multæ, vt amplitudine ſua, ciuitatis propemodum formã referre videantur. Sedecim etenim in eo inueniuntur, quarum tres S. Mariæ, S. Michaëlis & S. Nicolai muratæ, cæteræ omnes lignеæ. Tres quoq; in eo ampliſsimæ curiæ, in quibus nobiles aulici morantur: pallatium, in quo Dux eſt, Italico modo conſtructum, ſed non amplum. Hoc caſtrum roboribus tantum initio circundabatur, atq; ad Magni Ducis Ioannis, Danielis filij, tempora vſq;, paruum, ac ignobile erat, is enim Petri Metropolitæ ſuaſu, primus ſedem imperij eò tranſtulit. Eius caſtri propugnacula, baſilicæ, cum Principis pallatio ex latere ab hominibus Italis, quos propoſitis magnis præmijs, Princeps ex Italia euocauerat, Italico more extructa ſunt. Regionis cælum adeò ſalubre eſt, vt ibi vltra Tanais fontes, præſertim in Septentrionem, ac etiam magna ex parte Orientem verſus, memoria hominum nulla vnquam peſtis fæuierit. Habent tamen interdum inteſtinorum, & capitis morbum quendam, peſti haud diſsimilem, quem ipſi calorem appellant, eo, qui corripiuntur, paucis diebus pereunt. Ager vbique arenoſus, qui mediocri ſiccitatis aut humiditatis exceſſu, ſegetes enecat. Accedit ad hæc immoderata, aſperaq; nimis aëris intemperies, qua hyemis rigore ſolis calorem ſuperante, ſata quandoq; ad maturitatem non perueniunt. Etenim tam intenſa ibi quandoq; ſunt frigora, vt quemadmodum æſtatis tempore apud nos æſtu nimio, ſic ibi frigore immenſo terra dehiſcat. aqua etiam in aerem effuſa, ſputumque ex ore proiectum, antequam terram contingant, congelentur. Anno M.D. XXVI. arbores rigore hyemis prorſus perierunt, quæ eo anno tam dura fuit, vt complures veredarij (quos ipſi Gonecz vocant) in veliculis gelu concreti, reperti ſint. Fuerunt, qui tum pecora funibus alligata Moſcouiam, ex proximis pagis ducerent, viq; frigoris oppreſsi, vnà cum pecoribus perierunt. Præterea, multi circulatores, qui cum vrſis ad choreas edoctis in illis regionibus vagari ſolent, tũ mortui in vijs reperti ſunt. Quin & vrſi ipſi, fame eos ſtimulante, relictis ſyluis, paſsim per vicinas villas diſcurrebant, inque domos irruebant, quorum vim atq; conſpectum, cùm ruſtica turba fugeret, frigore foris miſerè perijt. Atq; tanto frigori, æſtus quoque nimius quandoq; reſpondet, vt anno ſequenti, immoderato ſolis ardore omnia ferè ſata exuſta fuerint, tantaq; annonæ caritas eam ſecitatem conſecuta eſt, vt quod tribus antea dengis emebatur, id 20. aut 30. pòſt venderetur, plurimi pagi & ſyluæ, frumentaq́ue, nimio æſtu incenſa, conſpiciebantur. Quorum fumus ita regionem oppleuerat, vt prodeuntium hominum oculi grauiter fumo lederentur, & abſque fumo caligo quædam oboriebatur, quæ multos obcæcauerat. Hæc & plura alia lectu iucunda in totius imperij Moſcici chorographia D. Sigiſmundi Liberi Baronis in Herberſtain, Nexberg, & Guettenhag, diligens & ſtudioſus lector, inueniet.

MOSCAVW

Arx.

Bisons, von den Polen ein Suber, von den Teutschen ein Bisont, oder Damthier, vnd von den Vnuerstendigen ein Aurox geheissen

Vrus, von den Polen ein Tur, Von den Teutschen ein Aurox, auch bisß her von den Vnuerstendigen ein Bisons genennet.

Der Moscoviten feldzug vnd Kriegsrüstung

Der Moscoviten Schlittenfahrt

MOSCOVIA, Vrbs, regionis eiusdē nominis metropolitica, duplo maior, quā Praga Boiemiæ, lignea ædificia habet; multas plateas, sed dißpersas, latißimi campi interiacent: Mosca amnis, ipsam irrigat.

GRODNA.

LITTAVIA, latè patens, minusque culta regio, Polonis, ad orientem connexa, paluſtris fermè omnis, & nemoroſa eſt, cuius caput eſt Vilna, Epiſcopalis ciuitas, tantæ magnitudinis, quantæ Cracouia cum ſuburbijs omnibus. Proximæ deinde dignitatis eſt GRODNA oppidum, ad Cronon flumen, nunc Nieme dictum, partim in monte, partim in plano, pro regionis iſtius conſuetudine conſtructum. In quo perpaucæ ſunt domus contiguæ, paucæ lateritiæ, ſed ex materia rudi ſtructura compoſitæ, nec muro circundatum eſt, nec propugnaculis, portis, aut turribus firmum. Arcem habet, & domum regiam, editiore in monte ſitam, tutam Regi Poloniæ ſedem præbens. Tria in eo murata conſpiciuntur templa, nam reliqua omnia lignea ſunt, quorum alterum Polonis, duo Rutenis ſunt aſsignata, in quibus peculiari ritu ſua ſacra perficiunt. Duo etiam Ruteni, alterum ligneũ, formâ rotundâ, alterum lateritium in ſuburbijs habent. Campanaria, non in ipſis templis, ſed ante Eccleſiarum ingreſſum, vt plurimum videtur, ædificium nimirũ ligneum, axibus & palis innixum, atq; fiſtucis impactũ, tranſuerſisq; trabibus colligatum atque compoſitum, lapidum mole ſuperinie&ta, vnde turris deinde conſurgit, campanam, qua ad Eccleſiaſtica exercitia conuocantur, in ſummitate ferens. Eiuſcemodi etiam columnæ, ligneum pontem ſuſtentant, quo vtraque Nieme fluminis ripa, coniungitur. Anno ſalutis M. D. LXVII. Sereniſsimus D. Sigiſmundus Auguſtus Poloniæ Rex, Magnus Lituaniæ Dux, Ruſsiæ, totius Pruſsiæ, Maſſouiæ, Sarmogitiæque dominus & hæres, comitia in hoc oppido habuit, quo Magni Moſcouiæ Ducis Legati, mille ducenti viri, ſuperbiſsimo veſtium apparatu venuſtè ornati, & inæſtimabilis pretij onuſti muneribus aduenerunt, quibus peculiaris, ruri, iuxta oppidum locus, limitibus ſeptus, aſsignatus eſt, in quo ipſi tentoria, & domicilia caſtrenſia erexerunt, quem ipſis, ſine Polono comite egredi, non eſt conceſſa facultas. Eò etiam ſolenni pompa, incredibili faſtu, Turcarum, Tartarorum, & VValachiæ oratores conuênere, qui diuerſis in locis, à Poloniæ Regis proceribus, ſub patenti cælo, ſunt excepti. Mirabile dictu, quantis falſorum deorum ſuperſtitionibus oppidani, ac tota paſsim Lituania contaminata fuerit, antequam Chriſto fidem nomenque dedit. Refert enim Hieronymus Pragenſis, qui ab Vladiſlao Poloniæ rege in Lituaniam miſſus, vt religionis chriſtianæ Pomeria propagaret, quòd primi, quos adijt ex Lituanis, ſerpentes colebant patres familias ſuum quiſque in angulo ſerpentem habuit, cui cibum dedit, & ſacrificium fecit in fœno iacenti, hos Hieronymus iuſsit omnes interfici, & in foro adductos, publicè cremari, inter quos vnus inuentus eſt maior cæteris, quem ſæpè admotum igni, conſumere nullo pacto valuit. Poſt hos, gentem reperit, quæ ſacrum colebat ignem, eumq; perpetuum appellabat: ſacerdotes templi materiam, ne deficeret, miniſtrabant, hos ſuper vita ægrotantium amici conſulebant. Illi noctu ad ignem accedebant, manè verò conſulentibus reſponſa dantes, vmbram ægroti ſe apud ignem ſacrum vidiſſe, aiebant, quæ cum ſe calefaceret, ſigna vel mortis, vel vitæ oſtendiſſe, victurum ægrotum facies oſtenſa igni, contra, ſi dorſum oſtentaſſet, moriturum portendit, teſtari igitur, & rebus ſuis conſulere, ſuadebant. Deluſionem hanc eſſe Hieronymus oſtendit, & perſuaſo populo, deleto templo, ignem diſsipauit, Chriſtianosque mores induxit. Profectus introrſus, aliam gentem reperit, quæ ſolem colebat, & malleum ferreum, raræ magnitudinis, ſingulari cultu venerabatur. Interrogati ſacerdotes, quid ſibi ea veneratio vellet, reſponderunt, olim pluribus menſibus, non fuiſſe viſum ſolem, quem rex quidam potentiſsimus captum, concluſiſſet in carcere munitiſsimæ turris, gigantem deinde opem tuliſſe ſoli, ingentique malleo perfregiſſe turrim, ſolemque liberatum, hominibus reſtituiſſe, dignum itaque veneratu inſtrumentum eſſe, quo mortales lucem recepiſſent. Riſit eorum ſimplicitatem Hieronymus, inanemq; fabulam eſſe monſtrauit, ſolem verò & lunam, & ſtellas creaturas eſſe oſtendit, quibus maximus Deus ornauit cælos, & ad vtilitatem hominum perpetuo iuſsit igne lucere. Poſtremò alios populos adijt, qui ſacram coluêre ſyluam, vt quæ arbor procerior fuit, eo cultu digniorem putauêre. Prædicauit huic genti, pluribus fidei noſtræ aperiens ſacramenta, denique, vt ſyluam ſuccideret, imperauit, vbi populus cum ſecuribus affuit, nemo erat, qui ſacrum lignum ferro contingere auderet. prior itaq; Hieronymus, aſſumpta bipenni, excellentem quandam arborem detruncauit, tum ſecuta multitudo, alacri certamine alij ferris, alij dolabris, alij ſecuribus, ſyluam deijciebant. Ventum erat ad medium nemoris, ibi quercum vetuſtiſsimam, & ante omnes arbores religione ſacram, & quam potiſsimè Dei ſedem putabant, percutere aliquandiu nullus præſumpſit. Poſtremò, vt eſt alter altero audacior, intrepidans quidam ſocios, qui lignum inſenſatum percutere formidarent, eleuato bipenni, magno ictu, cum arborem cedi arbitraretur, tibiam ſuam percuſsit, attamen in terram ſemianimus cecidit, attonita circa turba, flere, conqueri, Hieronymum accuſare, qui ſacram Dei domum violare ſuauiſſet, neq; iam quiſquam erat, qui ferrũ exercere auderet. Tum Hieronymus illuſiones dæmonum eſſe affirmans, quæ deceptæ plebis oculos faſcinarent, ſurgere, quem cecidiſſe vulneratum diximus, imperauit, & nulla in parte læſum oſtendit, & mox ad arborem adacto ferro, adiuuante multitudine, ingens onus cum magno fragore proſtrauit, totumq; nemus ſuccidit. Ea in regione, erant plures ſyluæ, pari religione ſacræ, ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans, atque eiulans, Vitoldum adijt, ſacrum locum ſucciſum queritur, & domum Dei adeptam, in qua diuinam opem petere conſuéſſent, inde pluuias, inde ſoles abſtinuiſſe, neſcire iam quo in loco Deum quærant, cui domicilium abſtulerint, eſſe aliquos minores lucos, in quibus dij reſpondere ſolebant, eos quoq; delere Hieronymum velle, qui noua quædam ſacramenta introducens, patrum morem extirpet, rogare igitur atque obteſtari, ne maiorum religionem auferri ſinat. Sequuntur & viri, & mulieres, nec ſe ferre poſſe nouum cultum aſſerunt, relinquere potius terram & patrios lares, quàm religionem à maioribus acceptam, dicunt. Motus ea in re Vitoldus, veritusque populorum tumultum, Chriſto potius, quàm ſibi deeſſe plebem voluit, reuocatisque literis, quas Præſidibus prouinciarum dederat, iubens parere Hieronymo, hominem ex prouincia decedere iuſsit.

GROD NA.

Templum Russorum latericium

Arx latericia

Domus Regia

Arca ad domum Regiam

Templum muro circumdatum Russorum.

Templum Polonorum in Vrbe.

Curia.

Russorum Templum in Orbe

Stabula Regia

CRONON FLV.

NVNC NIEME FLV.

VERA DESIGNATIO VRBIS IN LITTAVIA GRODNAE.

ROMA.

ROMA, Vrbs toto orbe celebranda, rerum domina, in Latio, ad amnem Tyberim sita, à Romulo conditore, nominata. Et vndecimo Ezechiæ Regis Iuda, anno, intercidente Assyriorum regno, secundo autem, octauæ Olimpiadis, cõdita, perhibetur. Ambitum eius ex traditionibus Augusti, Plinius scribit, millia passus viginti. Flauius Vopiscus tradit, Aurelium Imperatorem, ambitum vrbis, ad triginta millia passuum ampliasse. Quod si vrbem, ad nostræ ætatis consuetudinem, metiri volemus, vix passuum millia quatuordecim, omnis Romæ, & Ianiculæ, siue Transtyberinæ regionis, & Vaticani ambitus, implebit. Portas suburbiorum & vrbis, in vniuersum numero XXIIII. fuisse, refert Plinius. Liuius tamen, vt passim in illius Historia legere est, XXXVII. ponit. Portæ autem vrbis, quæ ad præsens extant, hæ sunt. Ac primum quidem ab Occidente; Popularis. Deinde, per radices collis Hortorum, spatio P. mille Pinciana, prisci, Collatina, dicta. Tum, sertis stadijs abest Salaria, quæ olim Quirinalis Agonensis, item Collina & Quinque cepis, vt Varro tradit, nominabatur. Exortum solis æstiuũ, spectat porta D. Agnetis, hæc olim Viminalis, Figulẽsis etiam, tum & Nomentana, appellabatur. Sequitur D. Laurentij, stadijs XII. à D. Agnetis, olim Tiburtina, & Taurina, dicta. Succedit porta Maior, olim Neuia, dicta. A maiore, stadijs XII. versus hybernum solis exortum, porta D. Ioannis sequitur, olim quidem Cælimontana, dicta. Ab hac, stadijs, V. Gabiusa, quæ nunc clausa est. Proxima Latina, in Cæliolo, stadijs, à superiore V. semper id nominis retinuit. Sequitur, spatio paulò amplius, D. P. S. Sebastiani porta, veteres Capenam, Camœniam, & Appiam, dicebant, nec desunt, qui & Triumphalem, denique & Fontinalem dictam, tradãt. Est deinde D. Pauli, spatio ab Appia P. mille, meridiemque similiter, vti & illa, spectat, veteribus, vt quidam existimant, Trigemina, & Ostiensis, vocitata. Transtyberim, intra stadium medium, Ripensis, ad vernum occasum est, olim Portuensis, dicta. Hinc paulo minus, mille P. in Ianiculo D. Pancratij sequitur, antiquis Aurelia. Versus Septentrionem deinde, occurrit, Septimiana, quam aliqui Fontinalem, ab initio dictam, volunt. Succedit porta Turrionis, aliter etiam Pusterula dicta. Sequitur deinde Pertusa, pauloq; vlterius, iuxta nobilissimos hortos, ædesq; Beluiderij, splendidissimas, Iulia. Postrema hinc, Castello S. Angeli vicina, Castellana, quæ prius Aeneia, vocabatur, & hæ nostris temporibus, vltra citraq; Tyberim, vrbis Romæ portæ sunt. Tyberis ripa, octo quõdam pontibus, iunctа fuit, quos ita, P. Victor, recenset. Miluius, quem vulgus nũc perperam, Mollem vocat. Aelius, nunc pons Castelli S. Angeli, dicitur. Vaticanus, qui & Triumphalis. Ianiculus, qui hoc tempore Pons Sixtus est, Fabricius, vulgò de quadro Capi, seu Quadricepis. Exquilinus: Item Cestius, nunc S. Bartholomæi. Succedit, deinde Senatorius, & item Palatinus: Iam, D. Mariæ Aegyptiacæ, appellatus. Infra deinde, locus apparet, vbi pons vltimus extitit, quem tota scriptorum cohors, Sublicium & Aemilium nominat. Colles septem, citra Tyberim Romæ ab auctoribus describuntur, quorum nomina hæc sunt. Capitolium, Palatinus, Auentinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis, & Quirinalis. Trans Tyberim alij duo sunt, Ianiculus, & Vaticanus. Capitolium, ab initio, Saturnij nomen habuit, postea Tarpeium, denique Capitolium vocari cœpit, humano capite, in Iouis templi fundamentis, reperto. Diuidebatur in partes duas, Arcem, & Capitolium Arcis ornamenta, cunctis Aegyptiorum miraculis, erant anteponenda. Circa Capitolium turres erant, delubra, similiaque loca, numinibus consecrata, plus LX. Mons, nostra ætate, propemodum vacuus, & inanis, vix enim nunc ibi Senatoris, & conseruatorum prætoria, nullius ferè momenti, cum Aræ cæli, familiæ Minorum, monasterio, cernuntur. Palatinus mons sequitur, in quo, vt Cornelius Tacitus perhibet, primum, vrbs Roma, ædificata est. Et in eo Reges, deinde Consules, postea Imperatores, maiori ex parte, sedem habuerunt. Qui plurima atque magnifica in eo extruxêre ædificia, quæ etsi iniuria temporum penitus sunt collapsa, eorum tamen ruinæ tot tantæque sunt, vt passim ab omnibus, summa cum admiratione, conspiciantur. Habuit is mons Græcostasin, locum, vbi nationum, maximè Græcorum subsisterent legati, qui ad Senatum missi essent: Concordiæ ædem, Senaculum: & ædes Victoriæ, Iunonis hospitæ, Penatium, Orci, Fidei, Apollinis. & plurima alia ædificia, quæ Marcianus in topographia vrbis Romæ, & Leander de eiusdem vrbis antiquitatibus studiosè describunt. Liuius quoq; inquit, Matrem Magnam Deum, ex Græcia aduectam, in ædem victoriæ, quæ est in Palatio, perfulêre. Fuit & in Palatio, teste Plinio, Phanum, Febri dicatum, & templum D. Augusti, deinde incendio consumptum. C. Calicula, super templum hoc, ponte transisso, palatium, capitoliumque coniunxit, cuius & reliquias, adhuc conspicere licet. Idem Cæsar Augustus, templum Apollinis, in ea parte excitauit. Addidit porticus, cum bibliotheca Latina & Græca, quo in loco, iam senior, sæpe Senatum habuit. Nunc præter S. Nicolai Ecclesiam, à Calixto Pontifice ædificatam, nullum, is celeberrimus mons, ædificium habet. Qualis autem, & quantus olim fuerit, peringentes ædificiorũ ruinæ, indicant. Nunc ad Cælium montem veniamus, in quo Vespasianus, templum D. Claudij ædificauit. fuit & in eo phanum Veneris & Cupidinis, item Paris, aliorumq; deorũ ædes, aræ, & templa, quorum omnium ruinæ ita confusæ sunt, vt paucis certum locum assignare liceat. Macellum magnum, Antrum Ciclopis, Lupanaria, cohortes quinque vigilum, Castra peregrina, & Armamentarium. Medio in eius dorso, binæ Aquæductus, superbissimi operis, cõspiciũtur. Nunc, Ecclesijs Christianis, mons totus perornatus, conspicitur. Qua ad Palatinum vergit, Monasterium D. Gregorij, sustinet, ex ædibus paternis, ab eo constructum. Inde Sanctorum, Ioannis & Pauli, Ecclesia visitur, vbi quondam Curia Hostilia extitit, in qua Tullis Rex Regiam sedem, Liuio asserente, constituit. Sequitur hospitale Salvatoris: & Ecclesia, B. Mariæ in Dominica, alteraque S. Stephani Ecclesia circulari forma, multis per ambitum columnis, adornata, olim Fauno sacrata, vt ex titulo quodam, ibi reperto, omnes consentiunt. Cernitur, ad huis montis sinistram, S. Quatuor coronatorum Ecclesia, & S. Erasmi monasterium. Proximum, noui operis, in monte Cælio, est Xenodochium Lateranense, & in eiusdem montis extremo, Basilica Lateranensis, sic cognominata, quòd in Lateranorum nobilissimæ gentis ædibus, ædificata fuerit. Ea, sanctissimis Apostolorum capitibus, venerabilis, & nobilissima structura, toto orbe celeberrima, à Constantino data B. Syluestro, Constantiniana Basilica, appellatur, Pontificum Romanorum primaria sedes. Visitur quoque in monte Cælio, porta maior, Neuia dicta. Et Amphitheatrum à Statilio Tauro Augusto, positum, semidirutum. Et alia S. Crucis Basilica, ab Helena Constantini matre, constructa. Eo loco, vbi templa erant Veneris, & Cupidinis, coniunctumque est monasterium, quod Carthusiensibus nunc incolitur. In Auentino monte, locisque circumiectis, multa cùm templa celebria, tum alia summi splendoris ædificia, fuerunt, videlicet: Ara Herculi, ab Euandro, posita, phanum Iunonis, Dianæ, Mineruæ, & Lucinæ. Et in vertice, Lauretum, Ioui sacratum, & Libertatis ædes. Nunc B. Sabinæ, Bonifacij, & Alexij monasterium habet, alioquin, totus vinetis contectus. Exquilinus mons sequitur, quem Varro, duas in partes diuidit, nobiliorem esse scribens eam, quæ à foro, postea Traiani vocato, nunc à turre Comitum, ac Militiarum incipit, & per montem Caballinum, perque Thermas Diocletiani, ad D. Laurentij portam vsque, protenditur. Altera pars, ea loca continet, quæ inter Diocletiani Thermas & Marij Trophæos intersunt. Et ea celeberrimam Ecclesiam, S. Mariæ Maioris, sustinet. Habuit Exquilinus, olim ædes, cum Deorum, tum hominum amplissimas & magnificentissimas. A turri Militarium ascendendo, ruinæ Thermarum Constantini cernuntur, & ingentes seminudorum marmoreæ statuæ. Inde, loco penè contiguo, Caballi marmorei, quibus viri seminudi, lora tenentes, insident, magno artificio facti, quorum alter, Praxitelis, alter Phidiæ opus, Latinis litteris, inscribitur. Inde non lõge, sunt Diocletiani, & aliorum clarissimorum virorũ Thermæ. Fuit in eodẽ colle Macellum, vbi nunc Ecclesia S. Viti conspicitur, cui vicinus est Arcus triumphalis Galieni. Plurimæ sunt in hoc monte Ecclesiæ, veterum ædificiorum ruinæ, quæ omnia absq; tædiosa verbositate, referre minimè possumus. Collis Viminalis, Aram Iouis Viminei, quondam habuit templum Syluani, Lauacrum Agrippinæ, matris Neronis, Thermas Olimpiadis & Nouati, eo in loco, vbi nunc D. Pudentianæ est templum. Et Bibliothecam Vlpiani, in qua libri lintei, atque elephantini, Principum gesta, & S. C. continentes, seruabantur. Alijs insuper ædificijs, hunc montem exornatum quondam fuisse, ingentes ruinæ, testantur. Mons Quirinalis, longitudine, Viminali est similis, at amplius in latum patet, sunt enim, qui collem illi alium, inter portam Collinam, & Collatinam, adiungunt, vbi characteribus Aegyptijs inscriptus, Lunæq; quondam, vt nonnulli prodiderit, dedicatus, iacet obeliscus. In valle Quirinali, fuit Fortunæ publicæ, ædes. Paulò altius, Turris Militiarum, in qua Traiani milites olim stationem habuere. Thermę Constantini, Domus Corneliorum, Domus Pomponij Attici, fuit in ea Quirinalis parte, quæ ædi tunc D. Vitalis, incumbit. Templum Quirini: Horti Salustiani, Campus sceleratus, in quo Vestales, incesti ręæ, viuæ defodiebantur. Habuit & plurimas alias ædes sacras hic mons, sed quo in loco fuerint, non ita exploratum habetur. Postularet nunc ordo, vt vrbis quoque planæ ædificia & celebriora loca diligẽtius perscrutaremur. In quibus non modò & publica, & priuata magnifica ædificia, sed & infinita propemodum deorum templa recensenda forent. Quorum hac de causa, tanta in vrbe multitudo cernebatur. In Pontificum enim disciplina sancitum fuerat, vt neque oppidum, neque vrbs aliqua, antè oppugnaretur, quàm Romani Sacerdotes, Deum, loci præsidem, euocassent, & illi vouissent religionis cultum apud Romanos ac locum ampliorem, templum, delubrum, sacellum, aut arã. Hinc effectum est, vt intra Romana pomœria, singularum propè gentium numina propria sacraria habuerint, propriasque ædes. Creuitque Deorum numerus, ad irrisionem vsque. Sed Dei illius nomen, sub cuius custodia erat Roma, diutius occultum fuit, ne qua hostilis euocatio fieri posset. Cæterum, cùm ob incredibilem, tam publicarum, quàm priuatarum ædium frequentiam, omnia enumerari nequeant, qui in immensum, lectorum etiam tædio, excrescęret oratio. Itaque Pub. Victorem sequuti, Laconica breuitate, quæ ab alijs, integris etiam libris, pro rei magnificentia descripta sunt, recensebimus. Aquæ, & Aquæductus per varias vrbis regiones XIX. inueniũtur. Thermæ XI. Amphithetra & Theat. III. Curiæ XXV. vt D. Aug. in Psal. 121. Circi III. Obelisci VII. Arcus marmorei XXXVI. Campi VIII. Fora XI. Bibliothecæ XXIX. Obelisc. V. Viæ XXIX. Capitolia II. Colossi duo. Columnæ cochlides duæ. Macella duo Ludi III. Naumachiæ V. Nymphea XV. Equi magni XXIII. Deaurati LXXX. Eburnei LXXIIII. Aedes CCCCXXIIII. Vicomagistri DCLXXII. Vici CCCCXXIIII. Curatores XXIIII. Insulæ per totam vrbem numero quadraginta sex millia sexcentæ duæ. Domus M. DCC. LXXX. Balnea D. CCC. LVI. Lacus M. CCC. LII. Pistrina CC. LIIII. Lupanaria XLV. Latrinę publicæ XLII. Cohortes prætoriæ decem, Vrbanæ quatuor, Vigilum septem, quarum excubitoria XIIII. Vexilla communia, duo. Castra equitum, Salgamariorum, peregrinorum. Quam multis autem, magnificis, ac penè immortalibus ædificijs, multo labore, summa arte, & infinitis sumptibus, vrbs Romana exornata fuerit, explicari vix poterat. Quæ, tametsi, maiore ex parte, iniuria temporum (vt in hominum vita nihil est perpetuum) interière: reliquiæ tamen, & ruinæ illorum, quæ hodie extant, adeo sunt immensæ, & mirandum in modum se extollunt, vt ab extremis orbis partibus, plurimos ad se visenda iugiter, & alliciant, & attrahant. Qui eas contemplantes, rerum magnitudine, ita obstupescunt, vt ab illorum contemplatione, vel inuiti abscedant, contendantq; fieri non posse, vt, aut ciuium Romanorum opera, aut Regum potentia, aut vllis principum diuitijs, sed vel gigantum manu, vel diuina potius virtute, ædificia illa fuerint excitata.

VRBIS ROMAE SITVS CVM IIS QVAE ADHVC CONSPICIVNTVR VETER. MONVMĒT RELIQVIIS PYRRHO LIGORIO NEAP. INVENT. ROMAE. M. D. LXX.

AED. AVG.
CASTRVM PRAE TORIVM
VIVARIVM
PORTA clausa
PORTA NVMENTANA
T. BACCHI.
PORT. SALARIA
PORT. PINCIANA
HIPPODROMVS
HORT. SALVSTIANI
SEPVLCHR. NERONIS VEL DOMITII
COLLIS HORTVLORVM
T. Fortunæ
T. TRINITATIS
QVIRINALIS
VIMINALIS
AGGERES TARQVINI
THEMÆ DIOCLETIANI
GESTATIO ALEXAN. AVG.
CASTRA PRÆTORIANA
T. MINERVÆ MEDICÆ
PORTA S. LAVRENTII
VIA TIBVRTINA
Porta Maior
VIA PRENESTINA
VIA LABICANA
AQVA VIRGO
AQVA CLAVDIA
AQVÆ DVCTVS ARCVS
CLAVDIAE
NOV. VIA VALERIA
AQVA CRABRA
Amphitheatr. Castr. Pretor.
T. Veneris
S. Crucis in Hierusalem
Lympheum Alexandri Augu.
Porta S. Giouan
Domus Laterani
Basilica Laterani
Hospital. Lateran.
S. Giouanni
PORT. LATINA
VIA LATINA
VIA APPIA
PORT. S. SEBASTIANI
S. Stephani Rotondi
S. Mariæ Nauicella
S. Sixti
S. Thomæ Hospitali
S. Gregorij
PISCINA PVBLICA Aqua Crabra
THERMÆ ANTONIANÆ
S. Balbinæ
VIA HOSTIENSIS
PORT. S. PAVLI
HORREÆ DOMITIANI
S. Caij Cestij
TESTACEVS siue Doliolum
HORT. C. CAESARIS
PORTA PORTVENSIS
AVENTINVS
M. AVENTINVS
CLIVVS PVBLICVS
VICVS ARMILVSTRI
VICVS PVBLICVS
S. Sabinæ
S. Alexij
S. Maria
T. Bonæ Deæ
EMPORIVM
HORTI DOMITIÆ
SALINA
AVENTINVS
COELIVS
CARINÆ
SVBVRA
VELIA
PALATINVS
CAPITOLIVM
FORVM ROMANVM
FORVM TRAIANI
FORVM AVGVSTI
FORVM PACIS
FORVM NERVÆ
FORVM CVRIÆ
FORVM GERMANI
PANTHEON
AGRIPPÆ
MINERVÆ
CAM. MARTII
VIA FLAMINIA
MAVSOLEVM AVG.
ARA PACIS
COLVMNA ANTONINI
COLVMNA TRAIANI
ACI PORVS
SEPTA
NAVMACHIÆ
S. MARIA DE POPVLO
CIRCVS MAXIMVS
PALATIVM CONFERVATORIS
THEATER MARCELLI
PISCARIA
CIRCVS NERONIS
MOLES ADRIANI Castel. S. Angeli
PORT. CASTELLI
PORT. PALATII
PORTA TORRIONIS
PORTA PERTVSÆ
BELVEDERE
Piazza di S. Pietro
Basil. S. PETRI
obeliscus Aug.
VATICANVS
HORT. MARIALAMICVS
S. HONOFRII
VILLA B. DE PESCIE
S. PETRI in monte aureo
AGR. CINC.
AMPHITHEATR.
S. Iohannis et Paulj
S. Quatuor
S. Clementis
S. Pietro marcellino
Ther. Philippi Aug.
Ther. Traiani augusti
Ther. Constantinj
S. Laurentij in Pallipra.
S. Pudentiana
S. Mariæ maggiore
S. Eusebij
Basilica S. maria maggiori
S. Petri ad vincula
Templum Pacis
Templum Veneris et Romæ
Templum Iouis Tonantis
Templum Iouis Feretrij
Templum Iouis Statoris
Templum Romuli
Templum Fortunæ
Templum Saturni
Templum Concordiæ
Templum Castorum
Templum Vespasiani
Templum Faustinæ
Templum Antonini et Faustinæ
Templum Diui Hadriani
Templum Diui Augusti
Templum Diui Iulij
Templum Veneris Genitricis
Templum Martis Vltoris
Templum Apollinis
Templum Vestæ
Templum Cereris
Templum Bonæ Deæ
Templum Dianæ
Templum Herculis Victoris
Templum Herculis Musarum
Templum Fortunæ Virilis
Templum Pietatis
Templum Fortunæ Muliebris
Templum Matris Matutæ
Templum Spei
Templum Ceres
Templum Fauni
Templum Iouis Custodis
Templum Iouis Victoris
Templum Iouis Propugnatoris
Templum Iouis Fulminis
Templum Iouis Fidei
Templum Iouis Fulg

MANTVA.

MANTVA, peruetusta Lombardiæ ciuitas, medio stagni, ab Ocno, filio Tiberij, & Mantus Tiresiæ Thebani vatis filiæ, ad Padum condita, & à nomine matris eius, Mantua, Virgilio Mantuano, poetarum Principe asserente, est cognominata. De cuius primordio, Leander in operosa, & accurata Italiæ suæ enarratione, variorum opiniones prolixius referens, hanc tandem suam, vti veriorem, interponit sententiâ. De Mantua, inquit, principiò, vt ab diuerticulo redeamus ad rem, nos hæc adferimus. Vrbem ante bellũ Troianum, annis LX. conditam reperio, temporũ huiusmodi supputatione, Thebis Oedipus regnauit, quo tempore Hierosolymis Abimelechus Iudex. Troia euersa est quarto anno regni Abdonis Iudicis: & inter vltimum Abimelechi annum, vsq; ab Abdonis tertij, medij fuêre LX. Iam Troiæ excidium vrbem Romam annis CCCCXXXI. antecesit, vti D. Hieronymus testatur: Romam conditam à Romulo DCCLII. ante Christi Seruatoris natalem, auctor est Orosius: itaq;, non comprehenso eo tempore, quod ab interitu Thebarum, quo Mantua recentior, vsq; ad excidium Troiæ interfluxit, exactè summa collecta, Mantuam, ante C.N. annis MCLXXXIII. conditam apparebit. In Mileti tamen Cronicis traditur, ædificatam post natum Abrahamum annis DXXX. qui ante vrbem Romam conditam ferè DCLXX. sunt: Abrahamum autem vrbe Roma MCC. annis superiorẽ fuisse D. Augustinus perhibet: ex qua summa si DXXX. demamus, qui natalem Abrahami nimirum, & initia Mantuæ intercesserẽ, dein DCLXX. sumamus, quibus Mantua Roma antiquior, additis DCCLII. qui ab vrbe Roma condita, vsque ad Christi N. vt Orosius tradit, medij fuêre, Mantuam, ante C.N. annis MCCCCXXII. ædificatam consequetur. Et quidem extra controuersiam est, quin antiquissima, nobilissimaq; origo Mantuæ sit, vtpote, quæ ab Ocno condita, sicuti prædictũ. Itaq; ab initio Thusci, qui autores fuerant, rerum in ea potiti sunt: ab his autem ad imperium Gallorum deuenit, quum illi in Italiam ab Arunte Clusino acciti, in vltionem stupratæ ab Lucumone vxoris, circa Tarquinium Priscum CC. ante Romam crematam annis, post ætatem auream paulò minus MD. Hetruscos sensim transpadana primùm regione, pòst etiam Cispadana, pepulêre, ex qua tum Rhetus gentem reliquam Thuscorum, vltra Padum in agrum Rheticum, qui nunc vocatur, eduxit, vt Cato, Polybius, alijq; scriptores perhibent. Itaq; post Hetruriam Galli hîc dominati sunt, à quibus Transpadanæ, Cispadanæq; Galliæ nomina: quia verò Cenomani ex vltimis Galliæ transalpinæ finibus profecti, has erant sortiti sedes, Cenomanorum nomen hîc remansit. De Gallis dein agrum hunc cepêre Romani, de ijs inclinata re Romana, Gothi, atq; Longobardi: sed his expulsis, Imperatorum Cæsarum potestas redijt, qua rursum labante, cum totius Italiæ ciuitates sub nomine Romani imperij pro liberis se gererent, eodem Reipub. statu Mantua fuit, donec ab Otthone II. Imper. Thedaldo, Comiti Canossano, propter officia patris eius Actij erga Romanum Imperium singularia, donaretur. Successit in dominatu Thedaldo Bonifacius filius, qui cum absq; liberis maribus obijsset, Beatrix vxor præfuit, ac postea Mathildis filia perillustris mulier. Illi imperium huius vrbis Henricum III. Imperatorem Aug. eripuisse, scribit Aequicola. Sed in Germaniam reuerso Imperatore, cum suam sibi potestatem Mantuani rursum arripuissent, ea tamdiu potiti sunt, donec à Mathilde Comite vehementer & peracrè obsessi, rebus diffidentes, voluntariam deditionem fecerunt pridiè Calen. Nouemb. annò à C.N. MCXIIII. post vsurpatam libertatem XXIIII. Mathilde tamen anno sequenti intercepta fatis, sub nomine Romani Imperij vicissim in suo esse iure cœperũt. Ea ciuitatis forma dein ad annũ à C.N. MCCXX. durauit, vt Volaterranus & Aequicola perhibẽt, tũ enim dominatũ occupauit Sordellus, ex Vicecomitibus Goitinis, vir strenuus, & prudẽs, qui primus omniũ post Mathildem Comitem Mantuæ princeps fuit. Deinde ab anno Christi M.CC.LXXIIII. vsq; ad Saluatoris annum M.CCCCXXXIII. decem ex ordine Principes, Mantuanam Remp. administrârunt. Quo tempore Ioãnes Franciscus Gonzaga, Mantuæ Princeps, à Sigismundo Imperatore Augusto, Marchio dictus est, vti inscriptio turris horologij Curiæ, versus plateam patẽs indicat, vbi marmor, hac sententia legitur. XIX. Cal. Septemb. Mantuæ principatum fortissimè cepit Ludouicus Gonzaga, abauus illustris Marchionis Francisci Gonzagæ, qui in principatu successit die VII. Id. Martij, anno post C.N. MCCCCVII. natus annos XI. Men. IX. Dies IX, Hunc X. Cal. Octob. MCCCCXXXIII. à C.N. anno, Serenissimus Sigismundus quartus, suis manibus, & ore Marchionem Mantuæ, designauit, in magnificentissimo tribunali, in foro D. Petri Mantuæ, cõcessis insignibus aquilæ nigræ, albo in campo, cum rubẽte cruce. Vrbs ipsa in medio paludium posita est, quas Mincius amnis creat, vt adeò munitissimum, si vlla Italiæ ciuitas, obtineat sitũ. Ampla, splendideq; ædificata est, & multis sumptuosissimis ædibus ornata, inter quas eximiũ prætorium Andreæ Mantegnæ nobilissimis picturis decoratũ: vbi septẽ non modicæ tabulæ cernũtur, quibus triumphus Cæsaris tam excellenti arte est expressus, vt inter celeberrima, præclarissimaq; summorũ pictorũ opera, meritò censeri queant. Splendidissima in Curia Senatus pernobilis ille locus est, quem Cryptam vocant, rebus preciosissimis confertus, expletusq; ab Isabella Francisci Marchionis vltimi vxore. Multa hîc antiquitatis monumẽta singularia, multa signa mirabilia cernere est. Inter cætera, duo Cupidines sunt, vetustus vnus, alter recens: hunc si prius videas, opus admirabile iudicaueris, si cum primo conferas, tantum differre videbitur, quantũ ab viuo animal exanime. Cum maximo etiam gemmarũ & preciosissimorũ vasorum ex auro argentoq; numero, cornu insigne cernitur Monocerotis, præcipua proceritate mirabile, paulũ tamen ad extremũ caput arrosum. Sunt etiam in hac regia singulari artificio nostris temporibus organa facta, solido ex alabastro, peringenti sumptu, quibus ego cani aptissimè ac suauissimè audiui. Præterea quoq; multæ sunt vrbe tota permagnificæ domus, ædesq; sacræ: viri cũ ad literas, tũ ad arma, mercaturam, aliaq; negotia prompti aptiq;. Ciuitas omnibus rebus ad vsum humanæ vitæ cum primis affluit. Memoriã eius plurimi Historici ac poetæ celebrant, nominatim, Ouidius, Statius, Martialis, Silius. Maximã sub Triumuiratu cladẽ tulit, Crema victoribus deripienda concessa, propter cuius vicinitatẽ vna, magnam agri sui partem amisit: quamobrẽ, inquit Virgilius: Mantua veh miseræ nimiũ vicina Cremonæ. Blondus etiã direptam tradit ab Athila, item ab Gothis, & Longobardis, nimirũ ab Agiulpho, vt Paulus Diaconus scripsit. Alij pessimè habitam à Cano Bauarorũ rege, ac Vandalis & Alanis perhibent. Edidit vrbs hæc illustres, strenuos, ac eruditos homines quã plurimos, quorũ eximijs virtutibus, nõ solum patria, sed vniuersa Italia decorata illustrataq; est. Fuit ex horum numero diuinus ille poëta Virgilius, in vico Andis, qui nunc Petola dicitur, altero ab vrbe lapide, natus. Qui autem hoc tempore Mantuanam vrbẽ celebres viri illustrant, breui narratione recenseri non potest. Extra vrbẽ Mantuam, alta lataq; fossa cernitur, cum valido aggere millia ferè XXX. colligens, & agri Mantuani partem concludens, quã Seralium vocant, triquetra figura, quemadmodũ Volaterranus scribit. Fossam hanc ad vrbis tutelã, & munitionem Mantuani, anno post C.N. MCCXI. incepêre, MCCXLIX. absoluerũt, vt perhibet Aequicola. Sunt in ijs septis, circa ripam stagni cum hortis amœnissimis & cultissimis, ac nitidis aruis, quæ & vitium perpulchros habent ordines, ædificia splendida permulta, religiosæq; domus, inter quas monasterium Angelorum, familiæ prædicatorum habitatio. Transito lacu, præclara mox apparet villa, Marmiroli, à Federico primo Marchione, magno planè artificio maioriq; sumptu ædificata. Multitudinem opportunitatemq; conclauium habet tantã, vt Principe vel Rege quouis excipiendo, pro tẽpore sufficiat. Locus hic arte mirabili factus, magistri volũtate, tam repentè per abditos quosdam fonticulos vndiq; prorumpentium aquarum copia perfunditur, vt qui intus sint, euadere prorsus nequeant, quin perluantur, opus meherculè summi artificij, nec minoris voluptatis, præcipuè mensibus æstiuis, quum ad refrigeria maximè conuenit. Cingunt villam peramœni ac nitentes horti, fructiferarum arborum varijs generibus ornati, cum pergulis vitium elegantissimis, quas autumnali tempore, racemis, vuæ variæ nobilis grauatas, spectare est.

MANTVA.

Mantua, Lombardię Transpadanę vrbs clarissima et antiquißima, venustißimum, in medio paludium, situm obtinet Anno salutis CIↃ. IↃ. LXXV. ad viuum delineata.

PVTEOLI, ET BAIAE.

PVTEOLI, Campaniæ oppidum vetus, iuxta littus marinum impoſitum colli, initiò Dicearchæam dictam, nimirum ab adminiſtratione iuſtitiæ, ſanctiſſimoque imperio, Plinius, Strabo, Silius, Appianus, & Philoſtratus auctores ſunt. Emporium Cumanorum Puteolos fuiſſe, poſteaq; colonis Romanis admodum frequentes redditos, & nomen à puteorum multitudine accepiſſe, vel vt alijs placuit, à putore, quem hîc paſsim aquæ calidæ, vi ſulphuris emittunt, quapropter nonnullis etiam Phlegra vocatus ſit Cumanus ager. Strabo memoriæ prodidit. A Liuio Puteolorum mentio ſæpiſsimè fit, præſertim autem vbi, colonos eo deduxiſſe Fabium Max. vrbemq; muniuiſſe, neque multo pòſt, Annio conſule referente, decretum à Senatu, colonos in quinque ciuitates marinas, & inter eas Puteolos mitti narrat. Alibi etiam Annibalem ad Auernum, prætextu ſacrificij, profectum, ſed animo capiendi Puteolos. Alio denique loco, Romanorum coloniam factam ſcribit. Vrbis medio nunc templum antiquiſsimum ex quadrato lapide cernitur, quanquam vi terræmotuum nõ nihil deformatum. Id Chriſtiani D. Proculo dedicârunt, & in aditu hanc inſcriptionem adhuc habet. Calſurnius L. F. Templum Auguſto cum ornamentis D. S. I. Et alia quoq; pars huiuſmodi. L. Cocceius L. C. Poſthumi. L. Auctus Architecti. Viſuntur etiam hîc oſſa quædam humana vaſtiſsimæ magnitudinis. Plinius huius vrbis memoriam pluribus in locis vſurpat, nominatimque Sil. cœruleum Puteolanum commendat: itemq; natiuos, factitiosq; colores referens, purpuriſſum inquit, Puteolanum potius laudatur, quàm Tyrium, aut Getulycum, vel Laconicum. Sunt, qui nouam hanc vrbem dicant, & vetus oppidum Puteolos non hoc in colle poſitum fuiſſe, ſed aliquanto remotiore loco, vbi nunc ingentes adhuc ædificiorum ruinæ ſuperſunt. Ego contrà haudquaquam hanc recentem, ſed ipſam vrbem antiquam puto eſſe, non modò ſitu eius præſenti, quòd propinqua littori portuiq; ſit, de quo paulò pòſt agemus, ſed etiam reliquijs pontis ab huius collis radicibus olim incipientis, prætereaq; veterrimo illo templo, de quo dictum eſt, adductus: quanquam multo quondam ampliorem fuiſſe, quàm nunc ſit, cum omnium antiquorum monumentis celebretur, minimè negare velim, adeoque putem illa operum propinqua veſtigia, vel partem vrbis aliàs, vel ſuburbia fuiſſe. Portus dein ad eius pedem valdè commodus, atque tutus erat, quem opere factum, iactis in mare pilis, Strabo ſcribit, nam ad eiuſmodi moles puluerem huius agri peropportunum eſſe, quod cum alia materie mixtus, validiſsimè conglutinetur in aquis, atq; ſolideſcat. Cuius rei Vitruuius etiam teſtis eſt, ac item Plinius, his verbis de terræ varietate ſcribens. Quis enim ſatis miretur, peſsimam eius partem, ideoque puluerem appellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus, merſumque protinus fieri lapidem, vnum inexpugnabilem vndis & fortiorem quotidiè, vtique ſi Cumano miſceatur cæmento. Puluerem quoq; Romanum, qui è rupibus intimis ad ſtructuras hac memoria ſolet effodi, ab huius præſtantia Puteolanum dici arbitror. Portus autem Puteolani veſtigia fermè nulla ſuperſunt, quòd partim à mari occupatus ſit, partim vti alia regionis opera, nemine curante, per ſe perierit. Contra in mari XIII. vaſtiſsimæ pilæ turrium inſtar ex latere ſtructæ, ac in ijs quibuſdam arcus ſemiruti cernuntur exaduerſum illis pilis, quæ item in æquore, iuxta Baias apparent. Pontem ab Caligula Imper. ſuperiectum, quo trãſitus à Puteolano littore vſq; in Baianum ſinum iungebatur, Suetonius his verbis ampliſsimè memorat. Nouum atque inauditum genus ſpectaculi excogitauit, nam Baianum medium interuallum, & Puteolanas moles, trium millium, & ſexcentorum ferè paſſuum ponte, coniunxit, contractis vndiq; onerarijs nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperiectoque aggere terreno ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem vltro citroq; commeauit biduo continenti, primo die phalerato equo, inſignis quoq; quercica corona, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde, poſtridiè quadrigario habitu curriculo bijugi famoſorum equorum, præ ſe ferens Darium puerum ex Parthorũ obſidibus, comitante prætorianorum agmine & in eſſedo cohorte amicorum. Hæc Suetonius. Poſt has pilas vltrà Puteolos, in littore multi ſalubrium aquarum fontes prorumpunt. De quibus copioſè Leander, in Italiæ deſcriptione diſſerit. A Mortui Maris oſtio per oram Baiani ſinus ad Auernum, inde vſque Puteolos incedenti, tot eo tractu magnificarum ædium operumque tanquam perpetui vici ruinæ conſpiciuntur, vt certò credam narrationis fidem exceſſura. Primùm circa Maris Mortui fauces aſperrima rupes excauata cernitur, ita vt per eam nunc in ſinum Baianum è Mari Mortuo commeare nauigia poſsint. Hanc olim ſic exciſam autumo, quò commodiùs ad alias circa lacum habitationes terra perueniretur; nimirum non ſuperato rupis culmine, vel tranſmiſſo ratibus mari. Poſtea tamen collabentibus ædificijs, ijsque locis deſolari paulatim incipientibus, nemine curam aquarum, vt arcerentur, ſuſtinente, omnia mare hauſit, vnaq; viam ſilice ſtratam, quam in hodiernum vſq; diem pacatis & conſiſtentibus vndis paſsim in fundo eſt cernere: quapropter cum olim iſthac terra tranſiretur, nunc nauigio proficiſci oportet. De cætero per littus ad Baias verſus ſumptuoſiſsimorum operum ex alijs rupibus olim ad mare propendentium apparent partes, pilæ nimirum ingentes, quibus incumbebant. Erant illæ cum ædificijs ipſis ad viam, quæ à villis circa Mare Mortuum Baias ducebat, nunc autem vnà cum via, quod ſuprà diximus, ipſisque fundamentis ædium & partibus, in æquore conſpiciuntur tantæ magnitudinis ac admirationis, vt equidem curioſa ingenia planè cogant obſtupeſcere. Baiarum inde veſtigia ſunt, ingentia nimirum pelago demerſa operum fundamenta. Vrbis interitus à vi terræmotuum exortus eſt: qua de cauſa paulatim emigrantibus colonis, tandem omnia marini inuaſêre fluctus, vt adeò iam nullum hîc integrum ædificium ſuperſit, præter balnea quædam iuxta vicinas rupes, vbi plurimæ quoque cauernæ cernuntur, ex quibus æſtimari poteſt olim magnificas hoc ſitu ædes extitiſſe. Baias Plinius, Strabo, Suetonius, Tacitus, Appianus, Antoninus, Mela, Silius, alijque plurimi ſcriptores compellant. Nominis originem à Baio quodam Vlyſsis ſocio, hic ſepulto, fluxiſſe ſcribit Strabo. Propè veſtigia Baiarum in mari pilæ quædam craſsitudinis immenſæ conſpiciuntur, ex cocto latere ſummo artificio conſtructæ, quibus aliæ ſimiles haud procul Puteolis directò reſpondent, olim pontis imponendi cauſa iactæ, quo tranſitus à Baiano ſinu recta per mare in Puteolanum iungeretur.

PVSSOL

BAIAE

PVTEOLI.

Monte Sibilla

Bayne

PVSSOL

BAIAE.

TEMPLV FREGANA

PARENS.

PARENS, vulgari Italorum idiomate Parenzo, oppidum Histriæ siue Dalmatiæ ad mare Adriaticum, iucundo ac peramœno situ, de cuius appellatione Bredebachius in Hierosolymitana sua peregrinatione ita scribit: Paris Troianus, cùm Helenam Græciæ reginam, Menandri regis coniugem, raptum pergeret, quæ res Troiani excidij principium fuit, omnem suam classem in hac ciuitate instruxit. Et cum ipsa Helena rapta illuc ex Græcia reuersus, votoque potitus esset, à nomine suo ciuitati nomen imposuit, ipsamque Paridinum appellauit. C. milliaribus à Venetis, quorum paret imperio, distat, dignam Episcopo sedem præbet. Basilicam habet præstantibus diuorum reliquijs venerabilem, in qua S. Demetrij, Iuliani, Bertæ, & Acolitæ ossa magnâ religione asseruantur. Ex hac Parentina vrbe terrestri itinere Hierosolymam non incommodè peruenìri posset, sed publicæ fidei litteræ, non facilè impetrantur, eò quòd Histriæ partes diuersos agnoscant rectores, partem siquidem eius Imperator Augustus, partem Veneti, partem Turcarum Cæsar sibi vendicat. Itaq; peregrinis tanquam exploratoribus suspectis non facilè hac transitus patet. Eadem etiam de causa steriles sunt Geographorum & Topographorum de hac regione historiæ, cum eam liberius perlustrandi nemini concedatur facultas.

MODONA.

MODONA Ptolemæo Methone, vrbs est littoralis Peloponnesi, tam situ loci, quàm mortalium industriâ valdè munita, opibus, incolarum frequẽtiâ, Archiepiscopatu & Clero eo tempore, quo Reipub. Venetæ parebat, clarissima, quò peregrini Hierosolymitani quotannis solebant diuertere. Verùm tam nobilis & prẽstans vrbs Venetorum imperio Anno Christi M.D. eripitur à Baiazeto, eius appellationis secundo, Rege Turcarum nono, & Imperatore secundo, qui Venetis, ob receptum in defensionem atque tutelam Ioannem Cemouichium Comitem, offensus, bellum ipsis terra mariq; indixit, atq; incredibili exercitu Dalmatiam vniuersam depopulationibus vastans, tanta immanitate in Christianos deseuit, vt Venetorum etiam Reipub. exercituiq; formidini esset, qui magna celeritate militem vndequaq; collectum triremibus imponentes, Modonam vsq; peruenerunt, quibus cùm tantum inesse virium cerneret Turca, vt sustinere eorum impetum se posse diffideret, in sapiẽtiæ portum sese recepit, & discedentibus deinde Venetis, oppidum Lapantum, veteribus Naupactum, expugnauit ac vicit. Acciderunt hęc anno salutis M.CCCC.XCVIII. Cæterum cùm conatibus suis hoc tractu Medonam vrbem nũquam non obsistere, multumq; Venetis semper opis adferre Baiazetus cognosceret, quas potuit, cunq; vires in eius oppugnationem collegit, eamq; subitò graui obsidione tribus in locis arctissimè cinxit, machinis æreis quingentis, quarum duæ & viginti muris euertendis noctu dieq; destinebantur, vrbem verberauit, mortarijs in eam ignem euomuit, mœnia & propugnacula vrbis solo adæquans, nouum quotidie militem adduxit sub mœnia. Ita quidem, vt oppidani continuis in repugnãdo laboribus fracti, auxiliares etiam copias frustra expectantes, vrbis conseruandæ spem amitterent. Interea verò quatuor Venetorum triremes, auxiliaribus munitæ militibus, cõmeatu, munitione, cæterisq; rebus implacabili marti necessarijs rebus instructę, magno obsidione constructorum gaudio, at infausto tandem omnium exitio aduenêre. Dum etenim ij, qui in propugnaculorũ & mœniorum ruderibus atq; ruinis, ad hostium vim depellendam erant dispositi, Venetorum admotam littori classem conspicerent, aduentantium apparatũ visuri, stationes suas incõsultè ac temerè deserentes accurrunt. Baiazetæ interim Ianiceri oblatam sibi temeritatis occasionem captantes, facili negotio vrbem inuadunt & expugnant, nouosq; milites in suam potestatem redactos membratim antè dissecant, quàm in vrbem ipsi ex nauibus fuissent egressi. Eaque ratione, immanissimus Turcarum tyrannus, anno ab orbe redempto M.D. decimo Augusti die, quæ D. Laurentio sacra fuit, Modona potitur.

SEBENICO.

SEBENICO Antiquis Sicum, vulgo Sebenicho, vrbs maritima in Hadriatici maris littore iuxta Dalmatiæ fines, Venetorum imperio paret. In quam, asserente Plinio lib. 3. Naturalis historiæ, cap. XXI. Diuus Claudius Veteranos transmisit.

Sibinium, *Ptolemeo Sicum vulgo Sibenicho. Dalmatię opp:*

IL CASTELLO

S. Francesco

C. B.

S. Adrea

CASTEL DE S NICHOLO

PARENS, *Siue Parentium vulgo, Parenzo Histrię opp:*

MODON, *Siue Modona, quondam Methone, ciuitas est littoralis Peloponesi, in Morea.*

CANDIA.

CANDIA, Insula Mediterranei maris, centum vrbium fama celebris, vt veteres scribunt. Plinius autem suo tempore, in ea, quadraginta. Bellonius verò, qui eam diligentissimè perlustrauit, atque descripsit, tres nunc tantum recensèt, Caneam, Rhetimon, & Candiam. Alij etiam Gnosum, Minois regiam, & Strabonis Cosmographi patriam, connumerant. Candia verò, metropolitico honore conspicua, de qua etiam insula ipsa cognominatur, vrbs est, natiuo montium situ, muris quasi circumuallata, portu, loci natura arteque munito, tutam nauibus stationem præbens, qui ad mercium securitatem turri scite, affabreque ædificata, communitus, videtur. Hanc vrbem, cum vniuersa insula, in potestatem primum redegit Romanorum Metellus Creticus, & deinde sequentibus temporibus, sub Imperatoribus Constantinopolitanis, diutius fuit, postea concessa Bonifacio Montiferratensi, à quo demum Venetis, magno diuendita fuit, Anno M. D. XLIV. In hac proinde vrbe, Prætor Venetus, ius semper dicit. Agro gaudet omnium præstantissimo, maluatici vini feracissimo, quod à Venetis, quia ipsis insula paret, Venetorum maluaticum, vulgò, nuncupatur. Syluosi etiam montes cupressi tabulas, ex quibus cistæ gratissimum spirantes odorem, conficiuntur, suppeditat.

CORFV.

VRBS, sita est in insula eiusdem nominis Chersoneso, aut promontorio potius, quod se in montis formam, in Ionium mare extendit. In hoc montis iugo, arx est, quam nouam, in decliui altera, quam veterem appellant; Harum mœnia fortissima, & propugnacula, ad securitatem munita, validum etiam in ijs veteranorum, bello exercitatorum Venetorum præsidium, maris vicini tutelam, conseruat, & ab hostium formidine vrbis incolas, liberat. Hæc autem castra, videntur ab ipsa insula, arte & industria hominum separata, quasi vna & eadem cum ipsa olim terra fuerit, ac deinde sit freto dirempta: Effringit enim illic, ac separat insulæ continentem, & dispescit maris fluxus, vt fiant castra insularia, ab ipsa insula Corfu, præcisa. At pons arces vrbi coniungit, quem Castrenses, siquidem voluerint, applicant, eaque ratione, habitatores insulæ esse videntur, & in oppidum, quod obuium iacet, pedites abeunt. Auferentes autem hunc pontem, scaphis rursus efficiunt transitum nauigabilem, iterumq; fiunt insulani, ab insula Corfu, separati. Ad radicem montis, vrbs, multis habitata ciuibus, montem quasi cingit, & dictas arces in se comprehendit. Illa Metropoleos nomen ac dignitatem in vniuersa hac insula, obtinens, Archiepiscopali sede ornatur. Habet portum insignem, & multarum nauium capacem, cui adiacet sinus ad Isthmum, huius promontorij situs, qui non solum piscibus abundat, sed & auibus aquatilibus diues est, vt nõ quotidiano tantum vsui, sed & cæteris rebus hominũ, quas delicatorum requirut dilitiæ, satisfaciat. Non procul item ab vrbe locus est, admodum amœnus, Pagiopolis dictus, vbi sal conficitur. Vrbs aquam potabilem non habet, sed eam fons quidam in eadem insula suppeditat, Cardachius nomine, hinc eam nauiculis & cymbis, in vrbem conuehunt. Venetis hæc vrbs ab anno M. CCC. LXXXII. cum tota insula, obedit. Quæ in ambitu CCC. in longum, XL. Italica milliaria colligit, olei ac ceri ferax, frumenti non tantam copiam præstat.

CANDIA.

LA CITA DE CORPHV



HIEROSOLYMA.

HIEROSOLYMA, vetustissima & celeberrima totius Orientis ciuitas, sita in medio Iudeæ, atq; adeò totius orbis climate, instar centri seu vmbilici, loco montibus facilè omnium altissimo, interiectis tamen vallibus, campisq;: fontibus etiã & hortis longè iucundissimo atq; fertilissimo: Quæ munitionibus, ædificijs, frequentia incolarum, & omni gloria nulli vnquam vrbi cessit, legibus & cæremonijs, ab ipso Deo datis, celeberrima: Apparitionibus autem, signis, prophetijs, Dei responsis, & felici omnium rerum successu, tum verò præcipuè manifesta Filij Dei Domini nostri Iesu Christi in carne præsentia, doctrina, miraculis, passione, morte, sepultura, resurrectione, ascensione in cælos, missione Spiritus sancti, & legatione, atque prædicatione Apostolorum felicissima. At ob Principum atque populi ingratitudinem: peccaa & idiolamaniam aliquoties miserrimè destructa, tandem verò, iuxta Dei decretum, iusto iudicio euersa, prorsus diruta, & solo æquata. Ob pulchritudinem autem, miramque iucunditatem à Ieremia in lamentationibus, capite secundo, Vrbs perfecti decoris, & vniuersæ gaudium terræ, A Daniele autem ipsa gloria & decus, siue desiderabilis & inclytus locus, vnà cum circumiacente Iudæa, nuncupatur, capitibus octauo & vndecimo. Iosippus ait, hortos & pomaria Ciuitatem, præsertim à Septentrionali parte, itinere tredecim milliarium, sicut ipsum Domini Paradisum, circundedisse. De cuius Vrbis tota positione Strabo libro decimosexto scribens: Locum, inquit, esse petrosum, aqua abundantem: circunstantem verò regionem sterilem ac siccam, & intra sexaginta stadia petrosam: Eiusmodi & munitionem fuisse, nempe petrosam & benè septam, interius aqua abundantem, exterius omninò siccam, fossam in lapide excisam, quadraginta pedum profunditate, latitudine verò ducentorum & quinquaginta. Plinius quoque eam clarissimam totius Orientis Vrbem fuisse asserit. Tacitus autem sic de ea, libro vigesimo primo, belli Iudaici, scriptũ reliquit: Vrbem arduam situ, opera molesq; firmauerant, quis vel plana satis munirentur: Nam duos colles in immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introsus sinuati, vt latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta, & turres, vbi mons iuuisset, in sexaginta pedes, inter deuexa in centenos quaque attollebantur, mira specie & procul intuentibus pares: Alia intus mœnia regiæ circumiecta, conspicuoque fastigio Antonia in honorem Antonij ab Herode appellata. Templum in modum Arcis propriq; muri labore & opere ante alios ipse porticus, quis Templũ ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, cauati sub terra montes, & piscinæ, cisternæq; seruandis imbribus. Idem Tacitus refert, vltimæ obsidionis initio, omnis ætatis sexusq; ducenta millia hominũ in Vrbe fuisse. Aristæas item, quo libello Philocrati fratri suã profectionem ad Eleazarum, Iudæorũ Pontificem, pro adducendis Septuaginta duobus Legis diuinæ in Græcã linguã Translatoribus, exponit, Ierosolymam, vt quidem ipse tum singula Vrbis loca accuratè perlustruerat, in hunc describit modum. Sequens narratio, iter nostrum ad Eleazarũ continebit: sed primum tibi totius regionis situm declarabo: Postquam ergo peruenimus in loca illa, cernebamus Ciuitatem in medio Regionis sitã super montẽ editũ & subarduũ, in huius summo erat extructum Templũ, cum in signi ornatu, circum quod erant tres muri, altitudine supra septuaginta cubitos, & tum latitudine pro tali altitudine, tum longitudine pro structura & mole ædificij. Atque hæc omnia erant exædificata perquàm magnificè cum sumptus ex omni parte excellentia: Conspicua etiã erat expẽsarum magnificentia in Portas, & compages partium earũ inferiorum, & in munitionẽ superliminarium. Velum item appensum erat, ad similitudinem ianuarum formatũ, quod spectaculum quoddam iucundissimum, & quo nunquam facilè satiari posses, præbebat: & quidẽ ideo præcipuè, quia à vento subintrante perpetuò mouebatur, & quidem sinuatione ab imo vsque ad summum, ob ventum à pauimento subintrantem. Altare etiam extructum erat appositè, & ad locum illum, & hostias, quæ ibi ignẽ consumerẽtur. Qua verò parte erat ascensus ad illud, ea per quam decenter exornata erat, & pulchrè accommodata ad ministeria sacra, & habitum Sacerdotum ad talos vsq; indutorum tunicis ex byssо. Templum autem spectat ad ortum, posterioribus eius ad occasum tendentibus: & pauimentum totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendę ad loca certa, quæ immittitur ad abluendũ sanguinem hostiarũ: quia in solennibus festis multa millia iumentorũ offeruntur. Sacerdotes verò ministeria peragentes, omninò virium robore præstant, cum summa ornatus ac silentij reuerentia: Nam omnes spontè intenti sunt laboribus, licet valdè molestis. Ac suæ cuiq; demandatæ partes sunt curæ, sine ministerij intermissione: alij enim ligna, alij oleum, alij similam, alij aromata in ministerio suo curant: Alij integras hostiarum carnes comburunt, vtentes in hoc magna virium & intentione & dexteritate: Apprænensa enim vtrisque manibus vitulorum crura, quæ singula ferè talenti pondo habent, per vices vtraque manu sursum porriciunt mira industria, in altitudinem satis magnam, nec in ijs excipiendis errant. Simili modo porriciunt etiam ouium crura, necnon & caprarũ, quæ mirificè & pondere & pinguedine excellunt. Nam quod iam dictum est, ita peragitur, ut ad id, à certis, quibus hoc curæ est, per omnia seligãtur, quæ & labe reprænensionis omni vacent, & pinguedine excellant. Ad quietem autem habent locum certũ, vbi quiescentes recumbunt: atq; inde vsi quiete, alacres & prompti excitantur, nemine ipsis ministerij officia imperante, tantumq; vbique est silentium, vt putes in loco illo nullũ prorsus esse hominem, cum interim & Sacerdotum ministrantium sint circiter septuaginta, & eorum, qui hostias adducant, valdè magnus numerus, ita omnia cum reuerentia, & vt conuenit magnæ diuinitati, peraguntur. Hinc verò magnus nos subibat stupor, cum aspexissemus Eleazarum sacra tractantem, & ornatum illum eius, & dignitatis reuerentiam, emergentem ex tunica induta, & lapidibus in ea preciosis: nam aurea tintinnabula ad pedes vsq; ornatus eius dependent, quæ singula harmoniæ edunt sonum suum, inter quę singula sunt punica mala & floribus varijs & colore miro decorata. Zona autem cinctus erat valdè decente, & varijs ac pulcherrimis coloribus pertexta. Supra pectus gestabat quod Rationale vocãt, in quo implexi & auro alligati erant duodecim lapides generum diuersorum, qui splendentes specie inenarrabili natiui & proprij coloris, inscripta habebant nomina Principum cuiusq; tribus, iuxta priscam & ab initio institutam ordinationem. Supra caput habebat tegumentum, quod Cidarim vocant, & supra hanc inimitabilis artificij mitram, ornamentum à Regibus consecratum. Hinc supra laminam auream, nomen Dei sacris Literis scriptum, cum ornatu & decore summę reuerentiæ per frontem ad supercilia vsque protenditur. Ipse verò Eleazarus in tractatione sacrorũ videbatur his omnibus dignus esse. Hinc, vt omnia cognosceremus, in adiacentem Ciuitatis Arcem ascendentes, eam perlustrabamus. Hæc sita in editissimo loco, munita est turribus ad summum vsque longis lapidibus extructis, ad illorum, quæ circum Templum erant locorum, vt colligebamus, custodiam: vt si quæ insidiæ, aut qui tumultus, aut hostium insultus existeret, ne quis posset aditum nancisci in illa circum Templum munimenta. Nam in turribus Arcis erant acuta iacula, & varia bellica instrumenta: locusq; iste erat in vertice montis, & supereminens inter alia munimenta. Præterea turres custodiebantur à fide dignissimis, & patriæ multis argumentis declaratis viris, qui non habebant facultatem egrediendi ex Arce, præterquam festis diebus, idq; per partes & vices: neq; finebãt ingredi quenquam. & à Præside iussi admittere aliquem contemplandi gratia, valdè accuratè eum obseruabant, quod etiam tum, cum nos adessemus, eueniebat. Nam ægrè nos duos & inermes admittebant, ad perlustrandas res sacras: dicebant enim sibi sub fide commissam hanc curam: omnesque adductos ad hoc iuramento, quòd sanctè hanc rem, vt esset sibi præscripta, curare vellent. Et hinc cum sint numero quinginti, nunquam admittere simul plures, quàm quinque. Hocque ita esse cautum & prospectum ab illo, qui primus hanc præmunitionem extruxerat. Ciuitatis verò amplitudo est mediocritate quadam temperata, quæ, quantum colligere potuimus, in circuitu quadraginta stadia habet. Turres eius subtus videntur esse peruiæ, supra verò transitus vsitatos habent, & sunt ad formam theatralem dispositæ: nam quia Ciuitas in monte est sita, sunt reflexæ, & in se inuicem pronæ. Ad illos transitus sunt etiam parati ascensus graduum editiores, vt alij in sublimi, alij subtus incederent. quæ distinctio præcipuè facta est ob sanctos & religioni deditos viros, vt neminem attingerent, quem non liceat. Non temerè autem illi primi conditores Ciuitatem hanc conuenienti amplitudinis dimensione condiderunt: sed sapienti hoc consilio fecerunt. Nam regio est ampla & bona, versus quidem Samaritas & quà attingit Idumenæos, magna ex parte est campestris: in nonnullis etiam alijs locis est montosa, consita passim arboribus oliuarum, & ferax omnis generis frumenti, & leguminum: adhæc vineis & mellificio abundat, palmæ verò & aliæ frugiferæ arbores sunt innumerabiles apud ipsos: item iumenta & pecora omnis generis multa, & pascua vberrima. Præterea, immensa copia aromatum, lapidum preciosorum, & auri importatur eò per Arabes: Nam regio & ad cultum, & ad negotiationem est idonea, & Ciuitas abundat artificibus, nec deest ei quicquam eorum, quæ mari aduehi solent, cum habeat portus opportunos, qui abundè suppeditent res, & Ascalonæ, & Ioppæ, & Iazæ, similiter etiam Ptolemaidis. Iam in medio istorum locorum est sita, nec ab illis multum distat, sed ipsa per se omnia abundè habet, cum sit & irrigua vndique regio, & ad magnam securitatem munita. Expositi ita strictim tibi, frater Philocrates, quæ de his commemoranda fuerunt. Hactenus Aristæas Græcus. Ad extremum ex Iosepho quoque, his, pauca quædam subijcere libet, qui libro de Bello sexto, cap. 6. sic ait: Ciuitas trino muro circundata erat, nisi qua vallibus inuijs cingebatur, ex ea namque parte vnius muri habebat ambitum, & ipsa quidem (initio) super duos colles Sionem & Acram, erat condita, contrarijs frontibus semet inspicientes, interueniente valle Tyropæia discretos. Contra Acram tertius collis erat (Moriah dictus) valle Cedrone ab Acra diuisus, in quo Templum & Antonia fuere constructa. Foris autem ciuitatis hi colles profundis vallibus cingebantur, & à tribus lateribus, obstantibus vsquequaque rupibus, adiri non poterant: Quin & quartus collis incolebatur, cui nomen est Bezetha, situs quidem ex aduerso Templi atq; Antoniæ in Septentrionali plaga, fossis autem altissimis separatus. Idem Historicus lib. 1. contra Apionem: Hecatæus Abderita, qui cum Ptolomæo Lagi commoratus, refert: Nos Ciuitatem ipsam Ierosolymorum spaciosam & maximam olim inhabitare, & virorum multitudine copiosam, necnon & Templi constructionem his describit verbis: Sunt autem Iudæorum, & aliæ quidem multæ munitiones per prouinciam atq; vici: Vna verò Ciuitas munitissima, habens præcipuè circuitum quinquaginta stadiorum, in qua commorantur hominum circa centum & viginti millia, nomine Ierosolyma. Est autem in media Ciuitate lapidea quadriporticus, longitudine 500. pedum, & latitudine 100. cubitorum, habens eitam duplices ianuas, in qua Ara est quadranguli figuratione composita, ex lapidibus non dolatis, sed collectis, vnumquodque latus viginti cubitorum latitudinem habens, altitudinem verò decem, & circa eam maxima fabrica, vbi Altare est constitutum, & Candelabrum, vtraq; aurea, duorum talentorum pondus habentia, & inextinguibile lumen noctibus & diebus. Simulachrum verò aut aliquod Anathema ibi nequaquam est, nec vlla plantatio, nullus ibi veluti Lucus, aut aliquid huiusmodi. Habitant autem in eo & noctibus & diebus Sacerdotes, quasdam purificationes agentes, & omninò vinum non bibentes in Templo. Eodem libro Iosephus paulò pòst adducit Agatharchidem Historicum, qui ita de Iudæis & eorum Vrbe scribat: Qui vocantur Iudæi, habitant omnium munitissimam Ciuitatem, quam vocare Ierosolymam prouinciales solent: hi vacare consueti sunt septima die, & neque arma portare in prædictis diebus, neque terræ culturam contingere, neque alterius cuiuspiam curam habere patiuntur, sed in Templis extendentes manus adorare vsq; ad vesperam soliti sunt. De varijs aũt vastationibus, & vltimo vrbis excidio, Iosephus cum alias passim, post sacras literas, tum verò summatim lib. 7. Bellorum, cap. 18. hoc modo edisserit: Ierosolyma capta est secundo anno principatus Vespasiani. Septembris mensis 8. die. Quinquies autem prius capta, tunc iterum vastata est. Aegyptiorum quidem Rex Asochæus, & post eum Antiochus, deindè Pompeius, & post hos cum Herode Sosius captam vrbem seruauere. Antea verò rex Babyloniorum ea potius excidit, post annos, ex quo ædificata est, mille trecentos sexaginta, & menses octo, & dies sex. Primus autem conditor eius fuerat Chananæorum Dynasta, qui patria lingua Iustus appellatus est rex: erat quippe talis. Chananæorum quidem populo rex Iudæorum Dauid pulso, colendam suo populo tradidit, & quadringentesimo sexagesimo quarto anno pòst, ac mensibus tribus, à Babylonijs euersa est. A Rege autem Dauide, qui primus Iudæus, in ea regnauit, vsque ad id, quod Tytus fecit, excidium, anni mille centum septuaginta nouem. Ex quo primum autem condita est, vsq; ad excidium, anni duo millia, centum septuaginta septem. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes diuitiæ, neque per totum orbem terræ diffusa fama, nec magna religionis gloria, quicquam iuuit, quò minus periret. Hæc ille. Ipse Hieronymus in Hieremiam cap. 19. scribit Iudæorum ciuitatem in æternos cineres collapsam esse, cuius ruinæ ad consummationem vsque seculi permansuræ sint. Sanè post tempora Vespasiani, quibus vrbs illa excisa & euersa iacuit annis propè quinquaginta, Adrianus Imp. sic eam rursus instaurauit, vt non veterem vrbem instaurare, sed planè nouam extruere intelligeretur. Itaq; & nomen ipsum mutauit, ac pro Hierosolyma Aeliam Capitolinam dici voluit: Atq; ita quidem appellatur, & ab Vlpiano in Pand. Tit. de censibus, & ab ipsis Patribus Nicenis in Canonibus eius Synodi. Alioqui verò Tertullianus quoque duobus locis hoc est in lib. contra Iudæos, & lib. 3. contra Marc. exclamat: Sion iam nulla est.

DAMASCVS.

DAMASCVS, vrbs est Syriæ primaria, & totius Asiæ vetustissima, quam Abrahæ seruos prima fundatione construxisse, sacræ testantur literæ, magna in valle, situ est plano, sed agro campestri ac sterili, nisi quatenus aqua irrigatur, fistulis atque cuniculis subducta, cuius humore solum redditur fertile, & consitionibus aptum, montibus omni ex parte cingitur, distans ab Hierosolyma ciuitate sancta per Syriæ alpes pedestri, vel equestri itinere quinque dierum. A mari Mediterraneo autem LXX. miliaribus Italicis. Magna & laxissima suburbia, quemadmodum Lutetiæ Parisiorum, habet. Portæ laminis ferreis, sicuti Cayri, pellibus capreis, sunt obductæ. Plateæ admodum angustæ & indirectæ. Domus intus elegantes, multiplici marmore, & inprimis ophite nitent, foris autem structurâ sunt minus venustâ atque deformi. Vrbs ipsa opulenta, frequenti populo habitatur, præstat hoc ipsi frumenti, annonæ, & omnium necessariarum rerum grata abundantia, quæ mulis, camelis, dromedarijs, & equis per asperrimos montes eò deuehuntur. Neque enim vehiculorum, rhedarum, aut bigarum, aliquis, ad eam adeundam, ob itineris difficultatem vsus esse potest. A Mauris tam atri, quàm albi coloris, Turcis, Iudæis, Græcis & Christianis promiscuè inhabitatur. Arcem habet præcellenti structurâ ex porphyretico lapide eleganter perfectam, turribus quatuor, muris ac propugnaculis munitissimam, quam Florentinus quidam priuatis impensarum sumptibus constructam esse dicitur. Cui mira quædam fortuna, huius vrbis administrationem pepererat. Scribunt etenim, Sangiaco Sultano, seu Gubernatori Syriæ quandoque propinatum esse venenum, cui Florentinus quidam, qui tum agebat Damasci, accurata medendi ratione antidotum præbens, charissimus ea propter Sultano fuit, inter Mamaluchos annumeratus, & Damascena hac vrbe donatus est. Muris non adeò altis, & vallo cingitur, in quo moros arbores colunt, quarum folia bombicibus alendis deseruiunt: sunt etenim hic plurimæ officinæ, in quibus subtilissima & tenuissima horum vermium tela primùm à semine ferreis & præacutis instrumentis primùm mundant, tum in fila contorquent, & demum superbissimam ex ea vestium materiam mundè texunt, quo maximo splendore, & incredibili luxu matronæ, & omnes passim mulieres Damascenæ vtuntur. In ipsa arce vrbis Sultanus agit, quem Sangiacum, quod nobis Gubernatorem, aut locum tenentem sonat, vulgari ipsorum idiomate vocant. Maxima est hac in vrbe lympidissi morum fontium & aquæ viuæ commoditas, partim ex vicinis montibus, partim ex fluuio Damascum secante, qui ex monte Libano, non ex Iordane, vt multi, inquit Bellonius, decepti, qui vulgò Chrisoroas, scaturiente, vt pauci, tam in vrbe, quàm in suburbio inueniantur, qui in ædibus proprijs & hortis fontes ex pulcherrimis marmoreis lapillis artificiosè fabricatos non habeant, arboribus, fruticibus, herbis, & omnis generis plantulis rigandis vtiles & necessarios, qui ipsis vsui & delectamento sunt. Scatet enim ager Damascenus omnifariam fructibus, vti vuis, ficubus, amygdalis, oliuis magnis, & malis punicis maioribus, quàm in tota Europa alibi inueniantur, cap paribus, & prunis præ omnibus Asiæ & Europæ selectissimis, quæ Damascena vulgò vocantur, tantopere inter alia à Dioscoride, Galeno, & Græcis commendata, quæ tam gustu, quàm formâ nostratibus sunt dissimilia, & maiore pretio, quàm nostra Hispanica veneunt, Iberica aut Remensia, nucleum habent latum, & compressum: Iberica autem, & alia in Europa rotundum. Magnus etiam ibidem est prouentus alimentorum humano generi ad vitam necessariorum tam carnium quadrupedum, quàm volatilium, vt pullorum & perdicum corpore & plumis nostris simillimum: sunt & pisces fluuiatiles copiosi, oua, & lacticinia, inter quæ Melca & oxygala, Damascenis, vt & omnibus Turcis, in summis delitijs. Sunt in vrbe complura & elegantissima delubra, Muscheas appellant, sed quod cæteris præstat, id constructum est instar Basilicæ D. Petri Romanæ, nisi, quòd in eius meditullio, nulli sunt imbrices, vel tecta, sed patescit, vt sit sub dio. in eo complures sunt elegantissimi, & lympidissimi fontes, circum delubrum verò ipsum, omnia sunt concamerata. Illic peculiari cultu, summoque honore sanctissimi prophetæ Zachariæ, vt verum corpus obseruant. Primo ab vrbe lapide, locum videre licet, vbi ferunt Saluatorem nostrum D. Paulum increpuisse, primam in Christianos persecutionem molientem, his verbis: Saule, Saule quid me persequeris? eo loci nunc Christianorum sepultura est, & Ecclesia. Ex altera parte vrbis, ad orientem, vno ferè miliari Italico, Ecclesia visitur, vbi Cain germanum suum fratrem Abelem nefariè occidit. Locus quoque, in quo primi homines formati sint, iuxta hanc vrbem sacræ scripturæ, & Theologorum testimonio esse putatur. Summa est animorum in tota Syria & orientali imperio pax atque tranquillitas, & maior, quàm in vniuersa Europa, concordia. nullæ etenim sunt ob fortunæ bona lites, & nulli proinde Aduocati, Procuratores, aut causarum sollicitatores, quia debitores non sint vlli, aut creditores, omnia prompta & parata transiguntur pecunia, cuius inter omnes nationes sitientissimi sunt Turcæ atque Iudæi, quorum non minor est Damasci, quàm Cayri, & Constantinopolis frequentia. Et separatim omnes peculiarem plateam incolunt, quæ ab ipsis Iudaica dicitur, quemadmodum Auinione in Gallia, & Francofurti ad Mœnum in Germania. Aliæ autem nationes, vt Armeni & Græci viuunt, & negotiantur passim cum Damascenis. Medicam hic autem exercentes sunt ferè omnes Iudæi, qui simul chirurgi & simpliciſtæ medicamenta sua, Græcorum & Arabum more, ipsi componunt, quia in vniuerso orientali imperio nulli pharmacopolæ inueniuntur, sed quemadmodum tempore Galeni Romæ, simplicium tantum professores & studiosi. Quibus omnino nihil, nisi restituta prius ægro sanitate, offertur, magno tamen in honore, tam præsentis, quàm imminentis necessitatis causa habentur.

Ezechielis. v.

Hæc est Ierusalem, Ego eam in medio Gentium posui, et in eius circuitu terras.

HIEROSOLYMA VRBS SANCTA, IVDEAE, TOTIVSQVE ORIENTIS LONGE CLARISSIMA, QVA AMPLITVDINE AC MAGNIFICENTIA HOC NOSTRO ÆVO CONSPICVA EST.

1 Ager Acheldemach
2 Domus malè consilij
3 Natatoria Siloe
4 Cœnaculum
5 Turris Dauid
6 Via quæ ducit in Bethleem
7 Domus Caiphæ
8 Hîc B. Ma. nutrita est
9 Sepulchrum V. Mariæ
10 Locus, vbi Dauid sepeliri iussit
11 Domus Annæ
12 Torrens Cedron
13 Porta aurea
14 Templum Salomonis
15 Sepulchrum Domini
16 Locus Cathenæ
17 Hîc Christus flagellatus fuit
18 Probatica piscina
19 Vallis Iosaphat
20 Lazarus
21 Hîc S. Stephanus est lapidatus
22 Hîc sedens Christus ploravit
23 Domus ducis equilonis
24 Domus Pilati
25 Domus Herodis
26 Polatium iuxta peregrinos
27 S. Veronica
28 Locus decollationis S. Ioannis Baptistæ
29 Castrum Pisanorum
30 Locus in quo Petrus amare flevit
31 S. Martha
32 Arcus Pilati
33
34 Hîc Esaias serra dissectus est
35 Fons Rogiel
36 Mons Oliueti
37 Mons Sion
38 Cœmiterium Abassenorum
39 Turris Syloe
40 Vbi B. Maria nata
41 Porta S. Stephani
42 Porta Damascena
43 Porta Ioppensis
44 Porta Iudaica
45 Turris Iosaphat
46 Hîc se fuga contulerunt Apost.
47 Domus S. Mariæ Magd.
48 Mesquet.

DAMASCVS.

DAMASCVS, vrbs est Syriæ primaria, & totius Asiæ vetustissima, quam Abrahæ seruos prima fundatione construxisse, sacræ testantur literæ, magna in valle, situ est plano, sed agro campestri ac sterili, nisi quatenus aqua irrigatur, fistulis atque cuniculis subducta, cuius humore solum redditur fertile, & consitionibus aptum, montibus omni ex parte cingitur, distans ab Hierosolyma ciuitate sancta per Syriæ alpes pedestri, vel equestri itinere quinque dierum. A mari Mediterraneo autem LXX. miliaribus Italicis. Magna & laxissima suburbia, quemadmodum Lutetiæ Parisiorum, habet. Portæ laminis ferreis, sicuti Cayri, pellibus capreis, sunt obductæ. Plateæ admodum angustæ & indirectæ. Domus intus elegantes, multiplici marmore, & inprimis ophite nitent, foris autem structurâ sunt minus venustâ atque deformi. Vrbs ipsa opulenta, frequenti populo habitatur, præstat hoc ipsi frumenti, annonæ, & omnium necessariarum rerum grata abundantia, quæ mulis, camelis, dromedarijs, & equis per asperrimos montes eò deuehuntur. Neque enim vehiculorum, rhedarum, aut bigarum, aliquis, ad eam adeundam, ob itineris difficultatem vsus esse potest. A Mauris tam atri, quàm albi coloris, Turcis, Iudæis, Græcis & Christianis promiscuè inhabitatur. Arcem habet præcellenti structurâ ex porphyretico lapide eleganter perfectam, turribus quatuor, muris ac propugnaculis munitissimam, quam Florentinus quidam priuatis impensarum sumptibus construxisse dicitur. Cui mira quædam fortuna, huius vrbis administrationem pepererat. Scribunt etenim, Sangiaco Sultano, seu Gubernatori Syriæ quandoque propinatum esse venenum, cui Florentinus quidam, qui tum agebat Damasci, accurata medendi ratione antidotum præbens, charissimus ea propter Sultano fuit, inter Mamaluchos annumeratus, & Damascena hac vrbe donatus est. Muris non adeò altis, & vallo cingitur, in quo moros arbores colunt, quarum folia bombicibus alendis deseruiunt: sunt etenim hic plurimæ officinæ, in quibus subtilissima & tenuissima horum vermium tela primùm à semine ferreis & præacutis instrumentis primùm mundant, tum in fila conuertorquent, & demum superbissimam ex ea vestium materiam mundè texunt, quo maximo splendore, & incredibili luxu matronæ, & omnes passim mulieres Damascenæ vtuntur. In ipsa arce vrbis Sultanus agit, quem Sangiacum, quod nobis Gubernatorem, aut locum tenentem sonat, vulgari ipsorum idiomate vocant. Maxima est hac in vrbe lympidissi morum fontium & aquæ viuæ commoditas, partim ex vicinis montibus, partim ex fluuio Damascúm secante, qui ex monte Libano, non ex Iordane, vt multi, inquit Bellonius, decepti, qui vulgò Chriforoas, scaturiente, vt pauci, tam in vrbe, quàm in suburbio inueniantur, qui in ædibus proprijs & hortis fontes ex pulcherrimis marmoreis lapillis artificiosè fabricatos non habeant, arboribus, fruticibus, herbis, & omnis generis plantulis rigandis vtiles & necessarios, qui ipsis vsui & delectamento sunt. Scatet enim ager Damascenus omnifariam fructibus, vti vuis, ficubus, amygdalis, oliuis magnis, & malis punicis maioribus, quàm in tota Europa alibi inueniantur, cap paribus, & prunis præ omnibus Asiæ & Europæ selectissimis, quæ Damascena vulgò vocantur, tantopere inter alia à Dioscoride, Galeno, & Græcis commendata, quæ tam gustu, quàm formâ nostratibus sunt dissimilia, & maiore pretio, quàm nostra Hispanica veneunt, Iberica aut Remensia, nucleum habent latum, & compressum: Iberica autem, & alia in Europa rotundum. Magnus etiam ibidem est prouentus alimentorum humano generi ad vitam necessariorum tam carnium quadrupedum, quàm volatilium, vt pullorum & perdicum corpore & plumis nostris similium: sunt & pisces fluuiatiles copiosi, oua, & lacticinia, inter quæ Melca & oxygala, Damascenis, vt & omnibus Turcis, in summis delitijs. Sunt in vrbe complura & elegantissima delubra, Muscheas appellant, sed quod cæteris præstat, id constructum est instar Basilicæ D. Petri Romanæ, nisi, quòd in eius meditullio, nulli sunt imbrices, vel tecta, sed patescit, vt sit sub dio. in eo complures sunt elegantissimi, & lympidissimi fontes, circum delubrum verò ipsum, omnia sunt concamerata. Illic peculiari cultu, summoque honore sanctissimi prophetæ Zachariæ, vt verum corpus obseruant. Primo ab vrbe lapide, locum videre licet, vbi ferunt Saluatorem nostrum D. Paulum increpuisse, primam in Christianos persecutionem molientem, his verbis: Saule, Saule quid me persequeris? eo loci nunc Christianorum sepultura est, & Ecclesia. Ex altera parte vrbis, ad orientem, vno ferè miliari Italico, Ecclesia visitur, vbi Cain germanum suum fratrem Abelem nefariè occidit. Locus quoque, in quo primi homines formati sint, iuxta hanc vrbem sacræ scripturæ, & Theologorum testimonio esse putatur. Summa est animorum in tota Syria & orientali imperio pax atque tranquillitas, & maior, quàm in vniuersa Europa, concordia. nullæ etenim sunt ob fortunæ bona lites, & nulli proinde Aduocati, Procuratores, aut causarum sollicitatores, quia debitores non sint vlli, aut creditores, omnia prompta & parata transiguntur pecunia, cuius inter omnes nationes sitientissimi sunt Turcæ atque Iudæi, quorum non minor est Damasci, quàm Cayri, & Constantinopolis frequentia. Et separatim omnes peculiarem plateam incolunt, quæ ab ipsis Iudaica dicitur, quemadmodum Auinione in Gallia, & Francofurti ad Mœnum in Germania. Aliæ autem nationes, vt Armeni & Græci viuunt, & negotiantur passim cum Damascenis. Medicam hic autem exercentes sunt ferè omnes Iudæi, qui simul chirurgi & simplicistæ medicamenta sua, Græcorum & Arabum more, ipsi componunt, quia in vniuerso orientali imperio nulli pharmacopolæ inueniuntur, sed quemadmodum tempore Galeni Romæ, simplicium tantum professores & studiosi. Quibus omnino nihil, nisi restituta prius ægro sanitate, offertur, magno tamen in honore, tam præsentis, quàm imminentis necessitatis causa habentur.

DAMASCVS, vrbs nobilißima ad Libanum montem, Totius Syriæ Metropolis.

ALEXANDRIA.

ALEXANDRIA, AEgypti magna & illustris ciuitas, quam Strabo lib. 14. Geographiæ vrbem potentem & populosam nominat, ante salutarem Iesu Christi aduentum XX. supra CCC. ab Alexandro Macedone, Iustino attestante, condita & cognominata, omnium Alexandriarum, quarum in historijs passim plures quàm XVII. (vt Eustathius perhibet) enumerantur, maxima & opulentissima, Alexandri opus, nomen, & bustum. Emporium est totius AEgypti vetustissimum, loco ad mercimonia oportuno, situm, ad littus nimirum nostri maris, iuxta Canobicum Nili ostium in Aphricam vergens, vrbs olim opulentissima atque magnifica, superbissimis ædificijs tam publicis, quàm priuatis ornata. Quam ob cultum diuinum isthic florentem, plebisque sanctimoniam, non infrequenter paradysum domini veteres nuncupant, sicut & Antiochiam, Theopolim, quam Augustus Cæsar, post deuictum Antonium, Alexandriam veniens, & fundatoris corpus reuerenter aspiciens, triplici de causa se conseruasse, palam est fassus, ob Alexandri memoriam, pulchritudinem vrbis, & propter Arrium philosophum, qui in Vniuersitate Alexandrina Professor, magno apud Augustum in honore fuit. Sed temporum iniuria, bellorum, & domesticarum seditionum violata furoribus, à pristina dignitate plurimum amisit. De qua Ioannes Leo, Rerum Africanarum lib. 8. hunc in modum scribit: Alexandria, inquit, ampla AEgypti ciuitas, ab Alexandro magno non absq; consilio nobilium & peritorum Architectorum, pulcherrimo loco ac situ in extremitate maris Mediterranij condita, distat à Nilo Occidentem versus quadraginta passuum millibus, quàm ædificiorum structura & munitione nobilem extitisse, donec in Mahumetanorum potestatem venit, plurimorum authorum testimonio constat: exinde multorum annorum spatio collapsa, vetusta celebritas intercidit, quod nullus ferè vel Græciæ vel Europæ mercatorum in ea mercimonium exerceret, velut inculta remansit. Verum astutus quidam Mahumetanorum pontifex ex Mahumetis Vaticinio amplissimas indulgentias concessas rudi populo cõfinxit, ijs qui ciuitatem incolerent, vel certis diebus præsidio firmarent, quiq; eleemosynam in publicũ vsum conferrent: quo stratagemate breui tempore ciuitatem exteris hominibus vndiquaque conuenientibus oppleuit: à quibus plurimæ domus ad, ciuitatis mœnia exstructæ sunt, multaq; studiosorum collegia, & monasteria, in gratiam peregrinorum isthic religionis ergo confluentium. Sita est forma quadrangulari. Portæ sunt quatuor: prima quæ Orientem spectat ad Nilum constructa, altera quæ meridiem ad lacum Buchiara, tertia versus Barcæ solitudinem ad Occidentem, quarta ad mare Mediterraneum, vbi est portus: cui adstant exploratores & ministri telonij, qui exactissimè viatores ad ipsas vsque vestes perscrutantur: quandoquidem non pro mercibus saltem, verum pro nummis quoq; quippiam in singulum centenarium vectigalis loco persoluitur. Sunt & aliæ duæ iuxta mœnia portæ, ab inuicem ambulacro munitissimaq;, arce distinctæ, quæ ad ripam portus Marsael vulgò Borgi nuncupati, hoc est, turris portus, sita est. In hunc se nobiliores ac celebriores naues recipiunt, cuiusmodi sunt Venetorum, Genuensium, Epidaurensium, cæteræq; Europæorum naues. Eo nanq; Belgæ, Angli, Cantabri, Lusitani, omnisq; generis Europæ homines mercaturæ gratia nauigare solent: verum maioti frequentia visuntur Appuliæ, Siciliæ & Græciæ, hoc est, Turcica nauigia, quæ in hunc se recipiunt portum, à piratarũ incursionibus, & auræ intemperie tutiorem. Est & alius portus quem Marsa Essil Sela vocant, hoc est, catenæ portum, in quo Barbariæ naues, veluti Tunetanorum & Geluiensium stationem habent. Adhos autem portus, Eustatio Tessalonicense asserente, nauibus angustus est aditus, quare Plinius lib. 5. Hist. cap. 31. fallacibus eum vadis adiri scribit, nam saxis sub mare latentibus rectus interrumpitur cursus, sinistrum verò eiusdem latus manu fabricatis veluti tibijs obstructum est, dextero autem Pharus Insula est opposita, nauigantibus propter nauigandi difficultatem prælucens, deinde circum Insulam magni exstructi sunt muri, in quos irrũpentes incolæ, asperam reddunt viam, & periculosum per angustias transitum. In interiore autem parte portus ipse securus est. Christiani circiter decimam pro mercibus quas vel inuehunt, vel euehunt persoluere coguntur: Mahumetani vicesimam: tamen quicquid tetrestri itinere Alcairum defertur, nullum pendit vectigal. Hæc est nostra tempestate ciuitatis pars celebrior, vtpote Alcairo vicina, ad quam omnis generis mercibus refertissimam, negociatores ex toto orbe conueniunt: reliquis partibus ciuitatis expers, incolisque destituta. Nam excepto vico longissimo, quo ab Orientali porta ad Occidentalem itur, eaq; ciuitatis portione, iuxta maritimam portam mercatorum tabernis referta, atq; Christianis inhabita, reliquum vacuum est & euastatum. Quod per ea tempora accidit, cum Ludouico eius nominis quarto Gallorum rege à Sultano in libertatem restituto, Cypri rex classe partim Veneta, partim Gallica instructus, ex improuiso Alexandriam adortus, magna hominum edita strage, cepisset ac depopulatus esset. Verum Sultano adueniente, qui magnum exercitum recuperandæ Alexandriæ gratia conscripserat, Cyprij de tuitione desperantes, domibus incendio absumptis discessere. Sultanus mœnia, vt potuit, restaurauit: arceq; ad portum ædificata paulatim in eum, quem videmus statum reduxit. Alexandriæ mons spectatur altissimus ad similitudinem testacei, qui Romæ visitur, in quo, tametsi habeat situm naturalem, antiquissima vasa testacea reperiuntur In montis fastigio turricula exstructa est, in qua perpetuo agit nauium aduentantium explorator, cui de singulis nauibus, quarum telonij ministros admonuerit, certum præmium assignatur: & si fortè fortuna, dum vel dormit, vel vsq; inambulat, nauis appulerit, cuius publicanos prius certiores non fecerit, duplum luit: quæ multa ad Sultani fiscum refertur: Cuique ferè ciuitatis domui, ingens cisterna concamerata, crassisq; innitens columnis & fornicibus substructa est: in quas exundans. Nilus, per aquæductum in planicie, magno artificio extra Alexandriam constructum, deductus, sub eius mœnibus demittitur. Cisternæ porrò successu temporis turbidæ ac cœnosæ redditæ, plurimis, æstiuo tempore languoribus occasionem præbent, vnde ob aerem ciuitatis infectum incolæ facie pallida sunt & cadaueroſa. Quod ad agri fertilitatẽ spectat, ciuitas in medio arenacei deserti condita, hortis caret ac vitibus solum habens semini capiendo iacommodum. Frumentum à quadraginta passuum millibus inuehitur. Iuxta aquæductum tamen per quem Nilus in ciuitatem transmittitur, exigui visuntur horti, sed quorum fructus ad maturitatem perueni accolas noxijs, febribus, alijsq; morbis afficiũt. Capparibus tamen, Tamariscis, & Harmala, quæ est Rutæ species, abundant, & Anthilli item herba, quam Arabes Kali, ex qua, quemadmodum, & ex ea, quam Galli Soulde nuncupant, quæstus vberrimos sentiunt. Ex ea siquidem cineres pellucidis conflandis vitris idoneos conficiunt, quos Mercatoribus Venetis, Muranam insulam incolentibus, diuendunt. Sexto fere ab Alexandria miliari ad Occidentem inter vetusta ædificia columna visitur spectandæ altitudinis & crassitudinis, quam Arabes Hemedsalaoar, hoc est, arborum columnam, vocitant. De hac fabula recensetur, quendam ex Ptolomæis Alexandriæ regibus, columnam in portus extremitate construi iussisse, qua ciuitatem ab hostium incursionibus tutam, ac proinde inexpugnabilem redderet, atq; in eius fastigio ingens ex Chalibe speculum apposuisse, cuius abdita virtute quotquot retecto speculo iuxta columnam præterueherentur naues, euestigiò mirabiliter conflagraret: sed à Mahumetanis vastato speculo eius quoq; virtutem euanuisse, atq; illinc asportatam extitisse. Ridicula profecto narratio, & quæ infantibus persuaderi debeat. Sunt & hodie inter antiquos Alexandriæ habitatores, plurimi Christiani, quos Iacobitas vocant, mœchanici omnes & mercatores: qui propriã habent Ecclesiam, in qua D. Marci Euangelistæ corpus olim requieuit, à Venetis clam sublatum, & Venetias importatum. Hic Alexandriæ autem ingens adhuc lapis, forma rotunda conspicitur, quẽ S. Marcus sanguine suo ob Christi confessionẽ profuso tinxisse dicitur. Iacobitæ porrò Alcairi Principi tributũ pendunt. Neq; prætermittendum, videtur in medio Alexandriæ ruderũ ædiculã instar sacelli cõstructam adhuc supereſſe, insigni sepulchro, magno à Mahumetanis honore affecto honorabilẽ, quo Alexandri magni corpus summi Prophetæ ac Regis, velut in Alacorano legunt asseruari contendunt. Concurrit aũt eo ingens peregrinorum vulgus à longinquis etiã regionibus colendi ac reuerendi sepulchri gratia, cui quoq; magnas frequenter largiuntur eleemosynas. Columnæ heic binæ peringentes, ex porphyretico marmore perfectæ, rubei coloris, incredibilis spissitudinis videntur: In ipso intercolũnio D. Catharina (quam Simeon Metaphrastes, Græcus auctor, Ecatherinã nuncupat) prænobilis & eruditissima virgo, capite trũcata dicitur. Visitur & magnifica illa columna LX. cubitorũ altitudine, nobili lapide sculpta, aduersus Pompeium excelso monte Promontorio constituta, ex quo in Mediterraneum mare ad multa milliaria visus facili negotio panditur. Celeberrima Christianarum phana heic quondam fuere, nec non peraugustæ Christianorum Basilicæ: Altera ad S. Sabbam Christo consecratorum sepulturæ dicata: Altera D. Gregorio sacra. Ad maris littus iuxta vrbem non sine summa exterorum admiratione, baiulos & operarios videre licet AEgyptios, qui onera, mercedis gratia quocunq; deferunt, quorum sex tantum centenas onustas mercibus naues, vnico die exinanire, vel tres eorum modò, centum equos aut mulos, dimidiatæ horæ tempore, mercium vecturis onerare possunt, tanta sunt agilitate & celeritate corporum. Quemadmodum porrò Capri Basenseain', Lundini in Anglia, atq; Anucpiæ vetus, noua, Anglorum, & in ciuitate adaucta siue noua, Hanseatici fœderis Borsa, atq; Lugduni Galliæ, Olisipone item in Lusitania Campsores sunt, atque mensarij: ita in vrbe hac Alexandrina amplissimus mercatoribus locus destinatus videtur, in quo frequentissimo numero, negotiorum tractandorum causa mercatores quotidie conueniunt. Eo omnis generis merces deferuntur, veluti rara ac præstantissimi generis aromata, tam simplicia, quàm composita medicamenta, gemmæ orientales pretiosi lapides, liquores gratissimum spirantes odorem, auri purissimi, argenti, aliorumq; metallorum varia suppellex. Conspiciuntur ibidem varia animantium genera, veluti Tygrides, Cinettæ, sub vomica in ventre Morchum ferentes Capreoli, Simiæ & Cenocephali maximi, adrisum hominibus concitandum mirã industriã informati, dum humanos gestus admodum accuratè imitantur. mercedem etiam huius rei gratia exigentes. Habent & animalia, domestici apud nos canis, vel felis referentia formam, Ichnemon, vulgari autem ipsorum lingua, Rat de Pharaon, nuncupata, quæ domi alere, & cicurare solent. Habent etiam peregrinorum luporum ex Cilicia speciem, quibus natura rapaces, volatilia, & omne suppellectilis genus, furtim auferunt, quorum pelles ob præstantiam & inusitatam coloris pulchritudinem à magnatibus expetuntur. Conspiciuntur ibidem quoq; quamplurimi Marsi, qui ex D. Pauli prosapia sese duxisse originem, & proinde serpentum domitores se esse gloriantur, qui viperas conseruantes in capsulis, ad varia Asiæ & Europæ loca eas deferunt, cum incredibili spectantium admiratione, & vberrimo, quem hinc faciunt, quæstu. At hi plerunq; omnes, versipelles, callidi, & versuti sunt impostores, qui tegnas suas fraudulenter & dolosè concinnare solent. Id, quod peregregius vir D. Remaclus Lymburgus Medicus excellens Bononiæ, Ferrariæ, Mediolani, & Tridentina in Synodo Anni M. D. LII. longa experientia didicit: quopacto hi à serpentibus, quos quasi familiariter circumferebant, præter amici domestici officium grauiter læsi, nec Melitensis insulæ terra, necalijs quæ habebant præsidijs, conseruari potuerint, nisi ipsis tandem opeatque auxilio clarissimi viri D. Doctoris Bartholomæi Syluani, Illustrissimi D. Cardinalis Christophori Madrutij Medici, Matheoli, & scorpionum oleo subuentum fuisset. Sed nunc ad ipsam Alexandrinam vrbem reuertimur, quæ vniuersitatem omnium Artium liberalium scholis illustrem habuit. Quas Baptista Egnatius in A Elii Spartiano, Adriano Imperatore fuisse recenset. Musæum Serapium, & Iseum, à Musis Serapi & Iside denominatas. In Musæo sacerdotes præfecti, & bonarum artium studiosi iuuenes ad necessarios Reipub. vsus alebantur, vt Strabo & Volaterranus testantur. Serapium verò pulcherrimum Gymnasium erat, quod porticus habebat stadio maiorẽs, ac forum iudiciale & lucos, Strabo lib. 17. Geogr. Peripateticæ autem sectæ Philosophi peculiarem scholam habuisse videntur. Nam Eusebius lib. 7. cap. 32. Et Nicephorus lib. 6. cap. 36. referunt, quod Anatolium Episcopum Laodiceum, propter incredibilem omnium Artium cognitionem Alexandrini scholam Aristotelicam instituere & gubernare voluerint. Marcus tandem, fidelis Iesu Christi Euangelista à quo fidei religionisq; Christianæ prima elementa Alexandrini cœperunt, Ecclesiasticam scholam instituit, cui doctissimi semper viri præfuerunt. Pantenus ille, qui vt equus quidem Troianus, optimos Ecclesiæ plmites produxit. Deinde Origines, quem ibi talem se vidisse testatur Porphyrius, qui aream totius Philo-

sophiæ

ALEXANDRIA, vetustissimum Ægypti emporium, Amplissima ciuitas, ab Alexandro Magno condita, muris, turrib. et propugnaculis ea forma, qua heic depicta videtur, ante Christi aduentum, Annis CCC.XX. constructa fuit, magnifica olim, et nunc quoque benè munita conspicitur, sed intra moenia ruinis, et ruderib. plena, Magnitudine Lutetiæ Parisiorum respondet.
Lacus Meotis seu Mareotis aquę dulcis ampliss: et admodum pisculentus, distans ab vrbe medio miliari italico.
Nilus flu. per canales vrbem transfluens, puteos ac cisternas replens, dum exundat, Alexandrinor. vsui toto anno inseruit.
ALEXANDRIA.
Porta Nili.
Porta del pere
S. Cath.
Castelle noue
Mosque
Porte du Caire
Sub hoc lapide Corpus S. Marci inuentum Venetiis
Bassar
Mosque
Obeliscus
Domus Alexandri Magni
Sylua palmarum, ad vsum ignium, et medullæ, quæ per vrbē venalis est.
Pharus
Guardia
Ganophalo
MEDITERRANEVM MARE.

sophiæ concendisset, vbi præter aureum orationis flumen, & doctissimas prælectiones varia in scripturam sacram commentaria edidit, quæ apud Nicephorum lib.5.cap.15.recensentur. Cùm verò Origines Palestinam proficiscereturus. Heraclam successorem reliquit, cui tandem Dionysius, Anthenodorus, Malchion, Didymus, Athanasius, Theophylus & cæteri successerunt. Quæ B. Hieronymum, Basilium Magnum, Gregorium Theologum, & præstantissimos viros eruditiuit. Floruit & hic scriptis Philo Iudæus. Florentissimam quoq; Iudæi Alexandiæ Synagogam habebant. Quantum ibi etiam Mathematicarum artium studia floruerint. Ex M. Tullij Ciceronis lib.1.de Diuinatione patet. Qui, inquit, Aegyptij in camporum patentium equoribus habitantes, cum nihil ex terra emineret, quod cæli contemplationi officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt. Iuuentutem verò à teneris in mathematicis disciplinis exercebant, vt Isocrates in Busiri author est. De magnifica, & omnium disciplinarũ libris instructissima Alexandrina Bibliotheca, quam Aristoteles primum instituit reste Strabone libro Geograp.13. non est, quod nunc plura commemorem, præter id solum, quod Ptolemæus Rex cum ex Græcia passim, maximè ab Athenien sibus & Rodijs, vt scribit Atheneus lib.1.ca.1.eam Bibliothecam mirificè auxisset, Eleazaro Pontifici, Iudæis, & Doctoribus Hierosomytanis scripsit, vt Prophetarum libros, & qui de Deo ac mundi creatione tractarent, ad hunc librorum thesaurum amicè transmitterent. Epistolæ exemplar apud Epiphanium est lib. de ponderibus & mensuris, apud Eusebium lib.8. de Præparatione Euangelica cap.1. Iosephum lib.12. Antiquitatum Iudaicarum cap.2. Eos verò libros sermone Aegyptijs incognito conscriptos, cum Rex Ptolemeus vidisset, Thesauri, inquit, absconditi, & fontis obsignati, quæ est vtilitas in vtrisque. Itaque Eleazaro rescribens petit viros probos ac seniores, legis & Græcæ linguæ peritos sex ab vnaquaque tribu eligeret, & Alexandriam transmitteret, qui sacros hos libros in græcum sermonem conuerterent. Cui quidem petitioni Eleazarus annuens, venerandos senio viros horum librorum versioni præfecit, quos Ptolemæus perbenignè excipiens, aliquot ab Alexandrina vrbe stadijs in insula Pharos singulis peculiarem ædiculam, qua separatim sacram legem interpretarentur, extrui curauit. Quos in ea vertenda, non eandem modo sententiam, sed eadem etiam verba, non sine peculiari spiritus sancti gratia obseruasse. Iosephus lib.12. Antiquitatum cap.2. Clemens Alexandrinus lib.1. Stromatum. Eusebius lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ cap.8. Nicephorus lib.4.cap.14. D. Aug. lib.2. de Doc. Christiana cap.15. grauissimi authores, & fidelissimi historiographi testantur. Harum autem ædicularum ruinas & vestigia quædam Iustinus Philosophus & Martyr, se vidisse scribit.

TVNES.

TVNES, vrbs Africæ verustissima, Straboni atque Polybio memorabilis, Arabibus Tunus, antiquioribus, Tharsis appellata, principio angustissimum opp. fuit, ab Asrisad lacum quendam exstructum, quod à mari Mediterraneo circiter duodecim distabat milliaria. Deleta verò Carthagine, cùm ædificijs, tum & incolis mirum in modum augeri cœpit, & tum primo Abu, Zachariæ Regis Tunetensis filius, Marocci regis iugo excusso, regiam Tuneti aulam instituere cœpit, sub quo Principe, ad Leonis vsque Afri tempora, adeò Tunetensis excreuit respublica, vt totius Africæ opulentissima sit appellata. Huius filius quum post obitum patris ad regnum peruenisset, amplissimis ædificijs suburbium locupletauit. Vnum quendam ad portam Beb Suuaica ædificauit, qui trecentas ferè numerabat familias: Alterum ad portam Bebel Manera extruxit, qui plus minus mille familiarum fuit capax. Frequentissima in vtroque est artificum multitudo, in posteriori omnes Tuneti Christiani habitant, qui in regis custodiam electi sunt: adiunctus est ab eo tempore & tertius quidam vicus ad Maritimam portam Bebel Bacchar dictam, quæ à sinu in dimidio tantum abest milliario. Huc se Genuenses, Veneti, reliquique omnes mercatores Christiani conferunt, habentque sua extra Maurorum tumultum hospitia secretiora: est autem hic vicus tantæ amplitudinis, vt tam Christianorum, quàm Maurorum familias trecentas numeret: domus autem humiles sunt, atque aliquantulum arctiores. Huius ciuitatis domus, cum ijs, quæ in suburbijs sunt additæ, numerum attingunt decies ferè millesimum. Ornatissimum hoc oppidum atq; incolis frequentissimum, singulis habet artibus suum assignatum locum. Infinitus propemodùm hic est telæ textorum numerus, tela autem subtilissima per totam Africam distrahitur, maximoq; vẽditur. Est huius oppidi fœminis mirus quidam nendi modus: eminentiori enim quodam loco sedentes, aut in superiori domus parte, fusum, aut per fenestrã, aut per foramen quoddam tabulati, in subiectam demittunt contignationem, adeò, vt fusi pondus filum maximè æquale atq; politum reddat. Habent autem telæ mercatores complures hic officinas, atq; pro ditissimis totius Tuneti habentur ciuibus: non hic aromatariorum, non sartorum, omniumque denique exercitiorum maximam desiderabis copiam: innumeri hic laniones in macello frequentissimo, qui ouillas carnes vt plurimum venales habent, idque Veris atq; æstatis præsertim tempore: reperitur & hic omnis generis infinitus propemodum artificum numerus, quorum enumeratio, non tam prolixa, quàm tædiosa esset. Ingenium omnibus est liberale: vestitus mercatoribus, sacerdotibus, ac doctoribus, satis est decorus. Dulipanum in capite gerunt, quod prolixo admodum linteo tegitur: dulipanum quoq; aulici omnes atq; milites gerunt, verum non eodẽ modo linteo tectum. Diuitum non admodum copiosus est numerus, idque fortassè propter frumenti, omniumque adeò frugum summam caritatem: non enim illis licet agrum vel minimo interuallo ab vrbe situm, colere: propter crebras Arabum incursiones. Frumentum illis ex alijs aduehitur regionibus atque ciuitatibus, quales sunt vrbs Beggia, & Bona. Huius oppidi ciues nonnulli agros in suburbio, muris cinctos habent, vbi nonnihil hordei atq; frumenti serunt, solum tamen adeò est aridum, vt frequentissima egeat irrigatione: quare & singulis est suus puteus, vnde aquam rota quadam, quã mulus aut camelus agit, exhauriunt, atque ductibus quibusdam, ad id paratis, totam irrigant agri superficiem, nunc mihi quæso supputa, quantum frumenti ex tantillo campo muris incluso, summoq; artificio irrigato colligi possit: panem pinsunt optimum, furfure tamen seruato, vnà cum frumento, massam pistillis quibusdam pinsitant, quibus in contundendo lino Aegyptij vti solent. Mercatores & reliqui ferè ciues pulte quadam vilissima, ex hordei farina in massam propemodum reducta, vescuntur, huic aut oleum, aut malorum citreorum ius infundunt, pultem vulgo, Besis, appellitãt. Est hic locus quidam, vbi nihil aliud, quàm hordeum huic pulti paratum, venale reperias: vescuntur & alio quodam non admodum honestiori cibo: farinæ massam aqua optimè coctam, alio quodam vase pistillo agũt atq; oleo, aut carnium iure madidam potius vorant, quàm edunt: cibum hunc, Besur, vocãt: vescuntur quidem ditiores cibis aliquãtulo delicatioribus. Nulla illis est mola (nisi fortassè ad riuum quendam, non procul ab vrbe situm) quæ non aut mulo, aut asino agatur: nullus hic fons, nullum flumen, nullusue puteus est: aquam omnes pluuialem è cisternis quibusdam petunt, nisi quòd in suburbio puteus est, vnde aquam salsam exhauriunt, atque baiulis quibusdam in vrbem venalem conuehunt, salubriorem enim, potuique commodiorem putant, quàm pluuialem. Est quidam puteus, qui aliquantulo tolerabiliorem præbet aquam, verùm ea principi, eiusque aulicis seruatur. Est in hoc oppido amplissimum quoddam templum, sacerdotum numero, atque annuis prouentibus opulentissimum. Reperiuntur & alia vbique templa, sed quæ non adeò amplam habent prouentuum copiam: non hic collegia desunt, neque ad illorum ritum extructa monasteria, quæ omnia communi ciuium fouentur eleemosyna. Reperiuntur in hac vrbe nonnulli, quos insanire planè dixeris, hi lapides semper circumferunt, nudis pedibus, apertoq; capite incedunt, atq; à populo ceu eximiæ sanctitatis viri, venerantur. Adde, quòd Tuneti rex cuidam ex his monasterium extruxit, eique cum omnibus affinibus amplissimam legauit prouentuum copiam, Sidi el Dahij, vocabant. Domus omnes sic satis ornatæ, lapidibus elegantissimis, multoq; musæaco elegantissimæ. Miro quodam artificio gypsum incidunt, coloribusque elegantissimis depingunt. Est enim hic lignorum maxima inopia, in quibus egregij quiddam insculpi posset. Cubiculorum solum lapidibus quibusdam perlucidis, atq; elegantissimis sternitur: suntq; omnes ferè domus vnius dũtaxat contignationis: his autem singulis ferè duæ sunt portæ, quarum prior plateam respicit, posterior in culinam reliquamq; domus partem ducit. Solent autem atrium inter vtramque portam elegantissimum exornare, vbi cum amicis confabulari possint. Balnea hic multò commodiora, quàm Fessæ reperias, quamquam non tam ampla atque sumptuosa. in suburbijs frequentissimi atque amœnissimi sunt horti, qui fructum etsi non magnã copiã, præstantissimum tamen producunt: satis bona hic malorum citreorum, rosarum, omnis generis florum prouenit copia, eo præsertim loco, qui Bardo illis appellatur, vbi regium visitur pallatium, hortis vndique amœnissimis cinctum. Habet quoque hæc ciuitas ab omni parte in quarto aut quinto milliario campos oliuis copiosissimos, vnde tantum olei conficiunt, vt non ciuitati solùm satis sit, verùm & ad Agyptum quoque bonam mittunt quantitatem: ligna autem ex oliuis decisa, igni committere solent, indeque carbones conficere: neque puto vspiam maiorem esse lignorum inopiam. Nonnullarum fœminarum inopia frequentissime in causa est, quo minus integram seruent castitatem, ornatè quidem vestiuntur, domumq; egressæ, ad Fessanarum morem, faciẽ tegunt: pannus enim latus frontem tegit, cui & alter quidam subiungitur, quem Setfari, appellant: Caput autem tam multis obuoluunt panniculis, vt ea pars gigantem referant. Omnem ferè substantiam, omnemq; adeò curam perfumis atq; huiusmodi delitijs insumunt. Est autem apud hos cibus quidam sumptuosissimus, qui illis vulgò Lhasis, vocatur, cuius qui vnciam vnam sumpserit, perindè atque si ebrius esset, ridere, iocari, atq; ineptire incipit: maximeque ad libidinem prouocatur.

APHRODISIVM, VVLGO AFRICA.

APHRODISIVM, quod vulgò Africam, Mauri Mahadiam appellãt, in ea Africæ ora positum est, quæ in Tunetense regnum abijt, qua aditum habet à terra directa fronte inter Septentriones & Austrum, ad ducentos passus patet, reliqua mare alluit. Eius verò spatij pars, quæ ad aditum pertinet, duplici muro, & altissima fossã, inter vtrumq; perducta, & turrium altitudine munita, difficilem habet oppugnationem. Hinc Aphrodisium ipsum paulatim latum fit, mareq; ab vtroque latere, veluti in sinum, ad eas vsque turres admittit, quæ in occasum solis spectant. Deinde latius factum, rursus ad orientem solem contrahitur, in tenuemq; cuspidem desinens, linguæ speciem refert. A mari autem, quamquam simplici muro, ne ea quidem crassitudine, qua à continenti cingitur, tamen eò propius accedere, perdifficile est: propterea, quòd mare est illic vadosum, & breuibus plenum. Murus & crassitudine, quam habet, & turrium multitudine, &, quod frequentissimis fibulis reuinctus distinetur, præcipuè à terra, firmissimus est. Nam qui interior est, in latitudinem pedum quindecim, qui verò, pfossa est, quinque patet. Forta, qua ad oppidum est ingressus, altissimis turribus, & operis varietate, & firmitate est sanè quàm admirabilis, tot sunt in ea inextricabiles anfractus, tot gyri, totarcuati flexus, suis quisq; ætatis postibus vtrinq; muniti. Post quos testudo quædam fornicato opere, longa pedes septuaginta ingredientes excipit, adeò angusta & obscura, vt omnium mentes animosq; perturbet, & quasi cum aliquo numine terreat, speciemq; potius auerni specus, quàm ingressus ad oppidum præ se ferat. Quo fiebat, vt Mauri maiestate oppidi, & religione adducti, crederent nulla vi ipsum expugnari posse. Intus, qua ad Septentrionẽ vergit, mœnticulus nascitur, passus circiter à muro sexcentos abesth; qua in Austrum spectat, à nauali & cothone centum, qui & amplitudine, & operis magnitudine, longè alios anteceilit. Nam præterquam quòd muro continetur, tutissimoque in loco positus est, multo capacior fieri potest: aditumq; ita perangustum habet, vt singulas triremes, sublatis etiam remis, faucibus, veluti canali quodam, intrò ægrè admittat: eoque amplius quinquaginta se recipere, ibique porta præclusa, quæ aggere & turribus est munita, tranquillè hyemare possint. Fuit hoc oppidum sub imperio Tunetensium, donec pulso Huzanio Cheleuio, qui Areadenum Anobarbum summa necessitudine attingebat, quique proditione quorundam ipsum occupãrat, sese in libertatem vindicauit. Quam viribus & multitudine hominum, diu retinere potuisset, nisi eam Dorgutes, Turca pirata insignis, oppidanorum aliquot perfidiã adiutus, eripuisset. Is à Meninge illa Lotophagorum, quam Gelues hodie vocant, soluens, quæ insula in minore Syrti, ponte ad promontorium Zetham continenti coniungitur, Aphrodisium venit, præmissis eo consilio pedestribus Turcarum copijs, vt simul atque ipse à mari oppidum se velle adoriri simularet, concurrentibus eò oppidanis, illi statim à terta, ex insidijs irrumperent, ipsumq; caperent: nec fortuna comprobato hominis consilio, euentui defuit. Capto Aphrodisio Dorgutes, se Dynastam appellari iubet: Africæ, Mauritaniæque oram occupare, imperium protendere, ex Neapoli Siciliaque prædas agere, animum intendit: creuisset præter modum viribus, nisi eodem anno, quo oppidum captum est, qui fuit quingentesimus quinquagesimus supra millesimum, ab Hispanis fuisset repressus.

PENNON DE VELES.

ANtiquissimum est oppidum in littore maris Mediterranei constructum, ab Hispanis Velles de Gumenera, siue etiam Pennon de Veles, appellatum, familias numerat plus sexcentas. Non desunt Historiographi, qui ab Africanis, alij à Gothis, ædificatum fuisse scribant, quomodocunq; se res habeat, adhuc incertum est. Inter duos vsque altitudinis montes situ est: non procul vallis est amplissima, in qua aqua pluuialis amnẽ format. Est aũt huius oppidi medio forũ quoddam, in quo frequentissimæ sunt officinæ, visitur & hic templum augustũ: magna est hic aquæ portabilis caritas, omnibus enim ad vnum eundemq; puteum confugiendũ est, qui in suburbiũ iuxta sepulchrũ cuiusdã est, qui quondam, apud illos, maximi fuit nominis. Verùm non vsq; adeo tutũ est, noctu illinc aquam petere: est enim in eo magna sanguisugarum copia. Ciues in duas diuisi sunt partes: horũ enim nonnulli piscatores, alij piratæ sunt, qui Christianis non paruã quotidie adferunt molestiam, maxima reperitur in montibus illis arborum abundãtia, quæ nauibus atq; triremibus fabricandis aptissimæ sunt: & qui montes incolunt, nihil aliud ferè operis exercent, quàm quòd ligna huc atq; illuc conuehunt: minimum apud illos frumenti prouenit, quare panem ferè hordeaceum conficiunt: vescuntur autem obsonij loco, pisciculis quibusdam (sardelli Itali vocant) alijsq; id generis piscibus: est enim tanta illis piscium copia, vt vnus retia extrahendo non sufficiat, quare qui piscatores ea in re iuuare volunt, pro officio, piscatoribus exhibito, bonam piscium copiã recipiunt, quin & obuijs quoq; multum piscium dono dare solent: pisces autem salsos ad vicinas mittere solent regiones. Est longa in hoc oppido ludxis platea, in qua & cœnopolas nonnullos reperies: vinum autem ceu nectar quoddam bibunt. Solent & vesperi vinum in scaphas secum conferre, atq; sic bibendo atq; cantando per flumen spatiari. Est in hoc oppido elegantissimum quoddam castrum, verùm non admodum munitum, in quo se oppidi præfectus continere solet: non procul hinc pallatium est regium, cui adiunctus est hortus amœnissimus: ad maris littus nauale quoddam est, vbi triremes, alizque naues, præfecti sumptibus fabricantur, quibus illi Christianos maximis solẽ afficere incommodis, propterea, quòd Hispaniarum rex Ferdinandus, insulam quandam armis sibi occupauit, quæ huic ciuitati ad vnum milliare ex opposito sita est, in qua propugnaculum quoddam in scopulo exstructum, bombardis, atque militibus muniuit, ita vt nec templa iam dicti oppidi tuta erant, nec etiam homines, qui per plateas incedebant, quin maxima illorum pars quotidiè bombardarum ictibus interficeretur: hinc factum est, quòd vrbis præfectus auxilium à Rege Fessæ petiuit, qui ingentem contra Christianos misit exercitum, verùm Fessani infelici omine dimicauerunt, partim enim capti, partim interfecti sunt: perpauci qui fuga suæ cõsuleurant saluti, saucij Fessam redierunt. Seruãrunt igitur Christiani hanc insulam duos ferè annos: deinde cuiusdam Hispani perfidiã, qui insulæ præfectum, propter sibi ademptam vxorem, interfecerat, in Maurorum redacta fuit deditionem, Christiani omnes trucidati, illorum nemo à cæde exceptus, præter proditorem Hispanum, qui propter egregium hoc facinus, magna accepit à Bedis præfecto, atq; à rege Fessæ, præmia. Huius rei historiam, cum essem Neapoli, fortè à quodam audiui, qui his omnibus interfuerat, dicebatque hæc acta fuisse anno à Christo nato millesimo quingentesimo vigesimo. Nunc autem insula hæc accuratissimè à militibus Fessanis seruatur: nullum enim propinquiorem portum, in Mediterraneo Fessa habet, quanquam eentum & vinginti distat milliaria. Solent Venetorum triremes hanc insulam quotannis, aut alternis annis inuisere, atque cum illius loci incolis, mercium permutationem facere, aut interdum quoque præsenti vendere pecunia: deinde merces ex hac insula collectas, Tunetum, Venetias, ad Alexandriam, aut etiam ad Barutum deuehunt. Hæc Ioannes Leo Africanus.

TVNES, OPPIDVM Barbariæ & Regia sedes; Anno 1535. cum à Carolo V. Imp. expugnaretur, à Ioanne Maio eius Maiestatis pictore ad Viuum delineatum.



PEÑON DE VELES.

TVNETIS VRBIS NOBILISSIMAE

TOTIVS APHRICAE, QVAE LYBIAE REGIA EST, ET CARTHAGINI propinqua, duarum item eius arcium, nouæ videlicet, cui Gabriel Serbillonius Mediolanensis, & Guletæ, cui Petrus Carrera Hispanus, vterque nomine Philippi Regis, præest, à Turcis & Maurjs mense Iulio & Augusto, Anno Christi M. D. LXXIV. terra mariq́ue contra Christianos Sinano Bassa exercitus Imperatore, & Occhiale classis duce vndique magna vi & fortiter obsessarum defensarumq́ue descriptio.

TVNES, ampla & peruetusta ea in Africæ parte ciuitas, quam Barbariam appellitant, post Romani imperij inclinationem, in Saracenorum potestatem deueniens, proprio rege ornata fuit, qui tum ob longam & diuturnam imperij vetustatem, tum ob eximiam stirpis claritudinem, cæteros Africæ Reges Telesinum, Fessanum, & Marochanum authoritate præcelluit, nam ab hoc sacra & iura omnia alij petebant. Eius regnum atq; imperium DCCC. millibus passuum, ab occasu ad orientem extendebatur. Cui cum Muleasses Hazenius Rex præesset, is fratrem maiorem natu, Maimonem, cui iure primogenitu ræ regnum debebatur, idq́ue post mortem patris affectare videbatur, in carcerem coniecit, Roscetem fratrem regno expulit, qui cum frustra conaretur redire, Algeriam ad Barbarossam confugit, vt ipsius ope ac viribus, ad paternum regnum admitteretur, sed ab eo Constantinopolim, ad Solymannum Thraciæ Regem deuectus, cathenis compedibusq́ue vinctus, in Asia relinquitur. Barbarossa interim homo callidus, & longo rerum vsu cultus, Roscetis restituendi prætextu, Tunetem inuadit, Muleassem regno eijcit, qui fuga salutem quærens, apud Docarum Regulum latuit, & tandem Caroli V. Augusti, qui eo tempore in Hispania erat, opem implorat. Cuius quidem petitiones non esse auersandas putauit Imperator prudentissimus, remq́ue ipsam arbitrabatur expoſcere, vt feri ac barbari tyranni, Christianorum hostis immanissimi frangeretur potentia. Fama siquidem erat, Barbarossam validissima barbarorum collecta classe, non modò, vti superiore anno fecisset, Italica littora prædaturum, sed etiam proxima ætate traiecturum in Siciliam, cum ingenti Turcarum, Afrorumq; multitudine, vt Neapolitano potiretur imperio. Quod ne fieret, quàm celerrimè præcauendum esse putauit inuictissimus Cæsar. Itaq, triremes naualibus educi, Hispanorum, & Germanorum cohortes conuocari, & omnes Barcinone, quod oppidum est citerioris Hispaniæ nobile, conuenire iubet, quibus alij complures Italiæ Principes triremes suas, milite, commeatu, & machinis bellicis instructissimas, adiungunt. Composita itaque fortissima nauium classe, habitoq́ue delectu, Carolus Imperator Barcinone, Anno Christi, M. D. XXXVII. Mensis Iulij XXV. die, qui D. Iacobo, tutelari Hispanorum, Diuo sacer erat, nauem conscendit, & per mediterraneum mare, ad Guletam, arcem munitissimam classe peruenit, quam adhibitis machinis, summa militum alacritate ac studio, pulso, fugatoq; Barbarossa, expugnat, captoque per deditionem Tunete, vniuerso regno potitur. Mustafa, miles strenuus, quem Barbarossa discedens vrbis defensioni præfecerat, Imperatoris se potestati fideiq; permittit: Muleassem Hazenium, in regnum restituit, Guletam tantùm arcem cum maximam, tum munitissimam præsidio impositio, sibi retinuit. Binos ad venationem falcones, & binos Numidiæ pernices equos, & Guletano præsidio Hispanico stipendij persolutionem, tributi nomine, quotannis Muleasi imposuit. In ea expeditione Carolus Cæsar 2000. Christianorum millia in vinculis captiuos libertati restituit, pridiè D. Ioannis Baptistæ natali. In Neapolim rediens, maxima temperantia ab eo regno abstinuit, quod opulentissimum in Africa est, & ad res in ea prouincia gerendas, oportunissimum. Cæterum Muleasses, tanti beneficij immemor, ad Turcarum tyrannum deficiès, vniuersum regnum proditione Solymanno restituit, quod ab eo tempore, vsq; ad annũ Christi M. D. LXXIII. proprijs regibus administratum fuit. Quo ad D. Ioannes Austriacus ex Sociali, cum Pontifice & Venetis bello, & nauali cum Turcis conflictu in Epiro ad Echinadas victor rediens, Tunetem expugnat, profligatis ac cæsis barbaris, vniuerso regno potitur. Castro nouo, duce & auspice Gabriele Serbillonio Mediolanensi, ordinis S. Ioãnis in Vngaria Priore, ad arcis Anuerpianæ imitationem ac formam, Tunetem munit, cui eũdem fundatorẽ, Guletæ verò fortissimum virum Petrum Carreram Hispanum, nomine Philippi Regis, præesse iussit. Id ægrè ferens Turcarum Tyrannus, Hispanici regni incrementum formidãs, incredibili Turcarum & Maurorum exercitu, & classe instructissima, in Guletam & nouam arcem expeditionem parat. D. Ioannes Austriacus, classis Hispanicæ, cui præerat, imbecillitate perspecta, classem Turcicam, quam Occhiales ductabat, magna diligentia mare obseruans, ne aliquid obsidione cinctis, subsidij adferri posset, adgredi, neque cum ipsa decertare, potuit. Triginta siquidem tantum triremes habebat, quarum V. & XX. in Hispania rebus necessarijs & milite erant instructæ, reliquas, vt Italiæ Dynastæ pararent, petijt, eosq; monet, ne hoc tempore Reipub. Christianę desint, certoq; se confidere ait, si ipsi huic classi succurrant, tantum ei virium adfuturũ, quantum ad Occhialis dissipandum potentiam sit satis: præterea perpenderent, quantum Hispaniarum Regis, & Christianæ Reipub. interesset, arces, Guletam ac nouam, totumq; regnum defendere. Itaq; ad triremium instructionem, cunctis hæresum & scelerum causa vinctis, ex carceribus dimissis, & nauibus impositis, delictorum impunitas, bonorum, famæq; restitutio est promissa, si vel vnica earum, Guletam attigisset. Genuenses, Florentini, Neapolitani proceres, vt Regiam classem suis augerent triremibus, & in eam expeditionem sumptus conferrent, vix sine graui ipsorum exitio fieri posse, responderunt, ne, si quid aduersi accideret, classe ipsi ac milite destituti, prædæ Barbaro forent. Itaque Turcarum tyrannus, dum auxiliares copias terra mariq; excludit, L X. machinis bellicis duplici ordine collocatis, arcium muros, sine intermissione verberat, propugnacula & mœnia deijcit, Menseq́ue Quintili & Sextili, M. D. LXXIV. terra mariq́ue Sinano Bassa exercitus Imperatore, & Occhiale classis duce, vtramq; arcem expugnat, Christianos omnes XIIII. tantum exceptis, qui vincti Constantinopolim sunt missi, trucidauit: ciuitatis Tunetis, & nouæ arcis muris, solo æquatis, fortissimam arcem, portus multarum nauium capacis formâ construxit, ibiq́ue perpetuam belli sedem, arcem regni, caputq́ue constituit, ad Hispaniam, Italiam, cæterasq́ue insulas, infestandas.

TVNES VRBS.
Veteres aquæductus.
VETERIS CARTHAGINIS RVINAE
Vallum et fossa Christianorum
NOVA ARX.
Vallum et fossa Christianorum
STAGNVM.
Sicli insula S. Iacobi.
Nauigia tuendo Stagno.
CASTRA TVRCICA
CASTRA TVRCICA
GVLETA ARX.
CLASSIS TVRCICA.
TVNETIS VRBIS, AC NOVAE EIVS ARCIS, ET GVLETAE, QVAE PHILIPPO HISPAN: REGI PARENTVTI A TVRCIS, ET MAV: RIS, SELIMO, THRACIAE REGE, ANNO CHRISTI, CIↃ. IↃ. LXXIV. MENSE IV: LIO, ET AVGVSTO, FIXIS CASTRIS OP: PVGNABANTVR, EFFIGIES.
OBSESSI, PHILIPPO, HISP: REGI.
ADSPICIS INFESTAS, ACIES INIMICAQ' CASTRA?
HAS MANET EXITIVM, MAGNE PHILIPPE SVVM.
ADGREDERE, EXSCINDES, TRVCVLENTI CORNVA TVRCA,
ADIICIES SCEPTRIS, PVNICA REGNA TVIS.
EIA, TRIVMPHALES PASCIT TIBI LAVRVS HONORES,
SERVATVR TITVLIS, BARBARVS HESPERIIS.
HORRIBILES IACTET VIRES, VIRTVTE VALEMVS,
VINCIMVS HVNC ANIMIS, VINCIMVS INGENIO.
FAC TAMEN, HAS ARCES CAPIAT; MOX VINDICE CHRISTO
COGETVR CELERI, NON DARE TERGA FVGAE?
MACTE IGITVR, BELGAS TIBI IVNGITO FOEDERE PACIS,
HAC SOCIA, TVRCAS FVNDERE MARTE POTES.

ALGERIA.

ALGERIA, Algira, siue vt D.Ioannes Paciecus in postrema eius vrbis pictura & enarratione, Algerium, vel, vt Antholius Sequanus in Caroli V. Immortalitate Argyria, celeberrimi nominis Saracenorum in Africa vrbs,vulgari,& vsitata Afris appellatione Gesеir, idem atq; nobis insula,sonat,inde desumptum nomen putant, quòd Insulis Maioricæ, Minoricæ,atq; Geuisæ adiaceat:hanc vrbem nos Algiram vocamus:conditores habuit Afros,qui ex familia Mesgana originem traxerant,quare & apud antiquos Mesgana fuit appellata.Spatiosissima est ciuitas,numeratq; familiarũ quatuor ferè millia: muris elegantissimis atq; munitissimis cincta.Aedificia hîc visuntur artificiosa atq; sumptuosissima.Habet quælibet ars suum ad hoc designatum locum.Hospitiorum,balneorum,atq; templorum,mira hic est elegantia,atq; inter cætera templum visitur ornatissimum atque amplissimum, in maris littore positum. Habet autem ea in parte, qua mare respicit, amœnissimum deambulacrum,eius ciuitatis muro superinstructum, qui maris fluctibus alluitur.Innumeri in suburbio reperiũtur horti,omnibus fructuũ generibus, amœnissimi.In parte orientali præterfluit flumen quoddam, quod molas frequentissimas agit: ex hoc etiã aquam potationi atque rei culinariæ aptissimam, exhauriunt. Elegantissimas habet planicies, quarum præcipuam, Metegia vocãt,patet in longum quadraginta quinq;,in latum verò,triginta ferè milliaria,estq; hæc omnis generis frugibus feracissima. Per multos annos Telensinorum imperio paruit: verùm cùm iam Bugiæ suum quoq; regem esse intellexerunt,quoniam huic viciniores erant,in huius deditionem sese coniecerunt. Videbant enim Telensini regem non posse magnoperè ab hostium iniuria seruare. Bugiæ autem regem,maximas posse inferre molestias,quare censum annuum huic vel vltrò obtulerunt, remanserunt tamen ab omni ferè exactione liberi.Post aliquot deinde annos huius vrbis incolæ,compositis sibi triremibus,piratas agentes,coperũt iam dictas insulas mirum in modum infestare.Quare Rex Ferdinandus ingentem classem adornauit, qua se facilè hanc vrbem occupaturum putauit.In scopulo quodam altissimo huic oppido ex aduerso posito, arcem quandam munitissimam construxit, neque longius ab vrbe distabat, quam vt bombardarum ictu, eo facilè pertingi posset,etsi nulla tamen in parte ciuitatis muris nocere possent. Quare statim Legati in Hispaniam missi sunt,qui decem annorum inducias peterent,ea lege,vt singulis annis certum numerarent tributũ, quod eis ab Ferdinando concessum fuit.Remãserunt igitur per aliquot menses à belli sæuitia securi: tandem verò Barbarossa ad Bugiæ obsidionem properans,posteaquàm arcem quandam ab Hispanis ædificatam occupasset,mox etiam de altera recuperanda cogitauit,sperans fore, vt hac deuicta, minimo negotio totius Bugiæ regnum occuparet. Verum non omnia ei cesserunt ex animi sententia, quos enim secum adduxerat milites, maxima pars agrorum erant cultores. Hi simulatque serendi tempus instare viderunt, nullis etiam exhibitis libellis,principem deseruerunt,atque ad agriculturam redierunt.Idem etiam Turcarum permulti fecerunt, adeò,vt Barbarossa,re infecta,obsidionem soluere coactus sit,priusquam tamẽ inde discedere voluit, propria manu duodecim myoparones incẽdit,qui in flumine à Bugia in tertio tantum aberant milliari. Deinde cum quadraginta in Castrum Gegel se recepit,quod à Bugia, sexaginta ferè distabat milliaria, vbi per aliquot remansit dies.Interea rege Ferdinando vita defuncto,Algirę incolæ se à tributo liberarunt,videbant enim Barbarossam bello plurimum valere, atq; Christianis hostem infestissimum esse, hũc igitur accersitum,totius exercitus ducem constituerunt,qui mox arcem oppugnare cœpit,sed parum,aut nihil profecit.Post hæc Barbarossa vrbis præfectum in quodam hypocausto clàm interfecit.Hic Arabibus imperabat,qui in Mettegiæ planiciebus habitabant,Selim Etteumi appellabant, ex stirpe Tehaliba originem traxerat, atq; eodem tempore Argiræ præfectus creatus, cum Bugia ab Hispanis occuparetur: atque iam per multos annos regnauerat, cum à Barbarossa interficeretur.Deinde Barbarossa huius ciuitatis sibi imperium vsurpauit,monetam cudit, fuitque hoc primum Barbarossæ regnandi principium. Iam dictis omnibus rebus ipse tum temporis adfui, quo mihi Fessa,Tunetum iter erat,atq; apud quendam hospitio receptus,qui legatus ab Algiræ populo ad Hispanias missus fuerat,vnde tria millia librorum, Arabica lingua descriptorum, contulerat. Deinde Bugiam profectus sum,vbi Barbarossam alteram illam arcem obsidentem reperi, postea Constantinam veni, atque inde Tunetum. Interea Barbarossam Telenuni interfectum audiui, ac eius fratrem, Cairadin, in Argiri regnum succesisse.Tum quoque Imperatorem Carolum duas misisse classes ad Argiram expugnandam intelleximus, primam in Argiræ planicie perijsse, alteram postquam per tres dies continuos oppidum oppugnasset, partim interfectam,partim fluctibus & tempestate oppressam,partim à Barbarossa in deditionem redactam, adeò,vt pauci admodum in Hispaniam redierint. Hæc à Christo nato millesimo, quingentesimo, decimo tertio, anno,acta sunt. Hactenus Ioannes Leo lib.4.de rebus Africis.Caroli autem V.classis,extremam illam calamitatem in Argiræ portu perpessa est,Anno salutis, M. D. XXXXI. Mensis Octobris die XXVIII.

In hoc monte, condita est Caba, filia Comitis Iuliani Vice regis, per vniuersam Africam, Domini Roderici Gothi Regis Hispaniæ, qui Cabam illam stupraverat, ob quod vindicandum, Iulianus Pater, Maurorum præsidio, vniuersam expugnauit Hispaniam.

Castrum nouum septem laterum nuncupatum.

Area lata iuxta Castrum

SINVS SARGELYCVS

Castrum iaxine

Moschea Sidi Bobonor

Sepuli Binfratres, dicti

Hortus regius

Castrum nouum Anno 1569. perfectum

Portus paruus.

Sepulchria Regum

Sepulchra Graecorum.

Burgum nouum

Hic calcidificium paratur

Hoc loci, milites aliquo profecturi conuocantur

Portus minor siue Calletta.

Fons et hortus Bassæ, aut di Alhamma nuncupatus

Scopuli Scoglitta dicti

MARE LYBYCVM MEDITERRANEVM

Caput Metafu

ALGERII saracenorum vrbis fortissimæ, in Numidia Africæ Prouincia structæ, iuxta Balearicos fluctus Mediterranei æquoris Hispaniam contra, Othomanor. Principū imperio redactæ, imago.

A	Porta di Babazzon, et Ponte sopra il fosso	T	Moschea di Sidi Rabadan.	17	Palazzo di Ali chiubi.	37	La Doana, o uero dacio
B	Porte tre di l'Arsenale, et l'Arsenale	V	Moschea di Sidi Bobbadien.	18	Palazzo di Hassayabai.	38	La Rabba, cio è fondego doue si uende il frumento
C	P. della Città all'Arsenale, et un magazeno	X	Fontana grande, et altre fontane picole	19	Palazzo di Aliamat.	39	Luoco doue si uende legname
D	P. due alla marina con un	Y	Piazza del Re	20	Palazzo di Chiobali	40	Luoco doue si alloggiano i Christiani per andar a lauorare.
E	P. di Babaluet con il Ponte leuador	Z	Piazza detta del Buturo	21	Palazzo nouo di Yayia Arraez.	41	Giardino sopra la porta di Babazon appresso il mare
F	P. due per intrar dalla Città alla Alcazaba	1	Piazza d'i Archibugieri, et dil pace	22	Palazzo di Kalochi Arraez, Bassà al pnte di Alessandria	42	Castello imperiale, o uero Burchio
G	P. nuoua detta Babbæxidi	2	Il Rocho grande	23	Palazzo di Mami arraez corzo	43	Strada per andar a Oran, et a Tremesen
H	P. di soccorso di dietro la Alcazaba	3	Banchi	24	Palazzo dil cauallarizo di Re, et cauallarica	44	Montagna detta la Calcara, o de las caleras
I	Baluardi dui noui della Alcazaba	4	Strutta grande del Rocho	25	Zecca doue si fa la moneta	45	Sepulchro dil figliuolo di Sariphe.
K	Baluardo di Renegati cio il suo seraglio di Genitseri	5	Strada larga	26	Schola doue si legge la Setta Mahometana	46	Muraglia semplice che diuide la Città dal la Alcazaba
L	Baluardo di Babazon, et casa de Soldati	6	Strada delli orefici	27	Prigione, o carcere	47	La Alcazaba fortezza d'Algier
M	Baluardi di Cochupieri, et Casa de Genitseri	7	La Zereria	28	Palazzo doue il Re alde la raggion de i Leuenti cio e Soldati del Mare.		
N	Baluardo de la Marina con molta Artegliaria	8	Calle di tentori	29	Bagni da lauarsi		
O	Baluardo de Baluet, et Casa de Mochuarreri, cioè Soldati probati in le arme	9	Strada d'i Abadari	30	Seraglio de Christiani		
P	Baluardo nouo fatto da yaya Arraez.	10	Calle nuoua	31	Seraglio, o bagno de malati		
Q	Moschea maggior detta il Giumma, doue concorre tutto il popolo de mori	11	Giudeica maggior, ouero alta	32	Seraglio, o bagno de la Bastarda		
R	Moschea del Re, et di Turchi	12	Giudeica bassa	33	Seraglio, o bagno de li Leoni, et alcri animali		
S	Moschea detta Zuyia doue habita vn Babarurc, morabito maggior di Algier cioe Vescouo.	13	Giudeica de Babaluet	34	Seraglio, o bagno di Chiobali		
		14	Palazzo maggiore del Re	35	Seraglio, o bagno di yloche arraez		
		15	Palazzo del Re alla Marina detto il nouo	36	Seraglio, o bagno di Mami arraez Napolitano		
		16	Palazzo di Luchiali, che è al pnte Re d'Algier				

LIBRI II. DE PRAECIPVIS, TOTIVS VNIVERSI VRBIBVS, INDEX.

A.

57. AFRICA, quondam Aphrodisium, Africæ, qua Tunetense respicit regnum, oppidum, situ, & Maurorum ope vsq; adeo munitum, vt extremam in eo spem reponerent, quod, cum à Carolo Cæsare expugnatum videret, & quo amisso, totam etiam prouinciam armis subigendam crederent, ipsamq; tandem in Christianorum potestatem deuenturam, constanter affirmarent, quod ita euenturum, multi Mauri, præcipuè ij, qui ipsorum lingua, Alfachij, latina, sapientes appellantur, se ex sortibus, & vaticinationibus prænouisse testabantur. Quo factum est, vt complures captiui à Mahumeto desciscerent atq; eo magis, vt id facerent, adducti sunt, quod oppidum illud ab alijs frustra tentatum, accepissent. Nam, vt cæteros omittam, Alphonsus Aragonius Neapolitanorum clarissimus, & fortissimus rex, cùm Tunetensium Principem ad Meningen prælio superatum, vectigalem fecisset. Aphrodisiumq; obsidere statuisset, perspecto eius situ, de expugnatione desperauit, nauibusque, quas ibi extra cothonem deprehenderat, incensis, ne tentata quidem re, Neapolim se recepit. At Hispani milites, nullis auxilijs adiuti, nullis externis militibus, præter ducentos Hierosolymitanos, ac totidem propè Græcos & Siculos, admissis, bellica virtute, Neapolim, Siciliam, Sardiniam, aliasque maris concluſi Christianorum insulas, & ciuitates maritimas liberas à Dorgute, immanissimo prædone, fecerunt, auspicijs Caroli Quinti Cæsaris, Aphrodisium expugnauerunt, quod, vt olim barbarorum, sic nunc Christianæ Reipub. munitissimum est propugnaculũ.

56. ALEXANDRIAM, Ammianus lib. xxij. omnium ciuitatum in Aegypto verticem vocat, quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altissimi, & Architecti solertia Dinocratis. Inibi auræ salubriter spirantes, aër tranquillus & clemens, atque vt periculum docuit, per varias collectum ætates, nullo penè die incolentes hanc ciuitatem solem serenum non vident. Hanc Alexander Macedo, ab Ammone rediẽs, condidit, & Coloniam Macedonum, caput esse Aegypti iussit. Hic museum reges Ptolemæi constituerãt, vbi Hadrianum Imperatorem aliquando cum sophistis disseruisse Spartianus scribit. Iuxta hãc vrbem Cleopatra excogitauit turrim illam excelsam, quæ Pharos à loco ipso cognominatur, prælucendi nauibus noctu na suggerens ministeria, ne insidiosis accessibus littus nauigantes, affligeret. Strabo lib. 7. Sostrati Gnidij opus fuisse scribit, apud quem Cheronesum Alexandrię castellum vocari quoque existimo, à Procopio, lib. 6. de ædificijs Iustiniani, Cheræum vocatum.

59. ALGERIA, oppidum in Africa celebre, propugnaculis validis & capaci portu memorabile, in quo dũ Carolus V. expeditionem in ipsum oppidũ parat, magno in periculo fuit. Ea siquidem expeditio, classe numerosa, peditatu & equitatu fortissimo, omnibusque diuturnæ obsidioni necessarijs rebus instructissima fuit. Quo & enim Cæsar Augustus, potestatẽ & tyrannidem, fœdissimi, ac barbari hominis Barbarossæ, qua Reip. Christianę plurimum detrimẽti ac damni adferebat, reprimeret, triremes exnaualibus educit, Italorum & Hispanorũ, aliarumq; nõ ignauarum gẽtium cohortes, ex Hispania, Germania, Corsica, Sardinia, Sicilia, ex vrbe item Neapolitana, & Genuensi cõuocat, quos in triremibus, onerarijs etiam nauibus dispositos, feliciter ad Algerianam vrbem perducit, & dum ad eam obsidendam se parat, horrenda ac sæuissima autumni tempestate, fragori continuo cæli, diuturnus permissus imber, galeas, quasi torrente quodã perfudit, easq; repente, & ventorum, & spumantium vndarum impetus collidens, attriuit, plurimas absorpsit, commeatu, armis, æneisq; tormentis, Cæsareanos, submersis nauibus, destituit, vt magna tandem florentissimi exercitus pars & à Mauris extingueretur, & marinis fluctib. absorberetur. Inusitata tantæ tempestatis, qua triduo iactati fuerãt, violentiã, & inopinata clade, cum fractos militum animos, Imperator videret, ipse vnus, leni blãdoque sermone, territas ipsorum mentes confirmans, rebus omnibus infectis, reliquam classem in Bugiam traduxit.

3. ALHAMA, Regni Granatensis in Hispania oppidum, soli bonitate, fontium, & calidarum aquarũ præstantia, commendabile.

9. S. ANDERA, oppidum in Hispania Biscaiæ prouincię, ad oceanum Cantabricum, pro magnitudine haud contemnendum.

4. ANTEQVERAM, Hispanicum Granatensis regni oppidum, aëris, agriq; felicitas, fontium vbertas, salinæ, & montium, lapicidine, tum etiam mirabile gypsi inuentum illustrant.

13. AVIGNON, summæ dignitatis Prouinciæ in Gallia vrbs, hodie, vt olim, negotiatione, situ, & ædificijs celeberrima, Rhodano, præcipuo Galliæ flumine, irrigua.

10. AVRELIA, florentissima Galliæ vrbs, loco admodum oportuno sita, diues, ciuibus armis exercitatis potens, munitissima,, non in Gallia modò, sed tota etiam Europa clarissima. De memorabili, post omnium hominum memoriam, obsidione eius, qua Carolo, sexto eius nominis, Rege, anno 1428. ab Anglis cincta fuit, & miraculosè ab Ioanna Lotharinga virgine belli duce liberata, vide benigne lector, integrum libellum, Ioannis Lodoici Micquelli Iudimagistri Aurelianensis, ad Carolum Lotharingum Cardinalem. Res enim paucis heic, vti hic locus postulat, referri non potest. In eius rei perpetuam memoriã, octauo die Maij, quotannis totus vrbis magistratus, vniuersa plebs & omnes ecclesiasticorum ordines, generali processione gratulabundi obire ciuitatem consueuêre. Reges hic quoq; aliquot inauguratos esse, quemadmodum Rhenis fieri solet, historię testantur. Carolus Nonus regni initio ibidem omnium regni ordinum comitia habuit. Episcopum etiam habet singularem, quem de suo nomine, Aurelianensem dicunt, non solum sedis antiquitate, sed etiam maiorum sanctitate in Gallicana Ecclesia celeberrimum, Concilia ibidem aliquot prouincia-

lia celebrata Gregorius Turonensis ait. Childeberto Galliæ Rege, fulgure cœlitus tactam, totam ferè conflagrasse. Nostro tempore bello hoc ciuili miserum in modum iactata est. Ab Hugonotis proditione capta aliquandiu, multis in ea deformatis, & aliquot ecclesijs dirutis, in eorum potestate mansit. Postea ab Rege recuperata est. Heic in obsidione, fortissimus belli dux, Franciscus Guysius, à Ioanne Poltrotio globo tormentario traiectus, occubuit. Qui plura de ea desiderat, legat Franciscum Belleforestium. Scripsit etiam de ea libellum singularem, Leo Tripautius, senator Aurelianensis, vterq; Gallicè.

B.

36. BADENIA, ciuitas Heluetiæ, quam ad differentiam thermarum, quæ sunt in Marchionatu Badensi, Badeniam superiorem, sicut aliam, respectu ad Rheni descensum habito, inferiorem nuncupant, à quo vtraque vnico milliario distat, à se verò viginti milliaribus germanicis separatæ, superiore ad austrum, inferiore verò ad aquilonem posita, aquarum calidarum balneis nobilis est, quarum tam præstans est virtus, vt nulla in orbe terrarum balnea, ad fœcunditatem mulierum, magis conducant.

51. BAIAE, ciuitas Campaniæ, secus Campanum mare sita, situs amœnitate, & aquarum salubritate celeberrima: ita dicta, à Baio Vlyssis socio, illic sepulto. In huius agro aquæ calidæ sunt, & ad voluptatem, & ad varios morbos commodæ. Silius, docet ille tepentes. Vnde ferant nomen Baiæ, comitemque dedisse Dulychiæ puppis stagno sua nomina monstrat. Horatius lib. 1. Epist. Nullus in orbe sinus Baijs prælucet amœnis. Eius nunc vrbis reliquiæ marinis fluctibus absorptæ videntur.

40. BASILEA, Rauracorum vrbs celeberrima, ad Rhenum fluuium, in agro Gallico sita, à Germanis tamen (vt pleraq; cis Rhenum loca) habitata, eadem, aut certè proxima ei, quæ Augusta Rauracorum, Ptolomæo appellatur.

10. BITVRIGES, vulgò Burges, metropoleos præcellentia apud Bituriges Galliæ percelebris, vrbs multis priuilegijs, & immunitatibus illustrata, nam antiquitus monetæ percutiendæ ius habuit, tum videlicet, cum per indigenas Bituriges administraretur. vniuersæque regioni imperaret, posteaque principum permissu, in quorum potestatem, vel variante rerum vicissitudine, vel successione hæreditatis, deuenit, retinuit, hactenusque etiam retinet. Omnium verò maximè hanc vrbem illustrat, celeberrima & nobilissima, quæ istic est, academia. Ea, primo quidem paruis abinitijs heic cœpta, sæpius interrupta fuit, item deleta. Sed tandem à Carolo principe, filio & fratre Regis, Biturigum Duce, instaurata est, & auctoritate Pauli secundi Pontificis Maximi, non modo comprobata, sed amplius etiam omnibus facultatibus aucta, à quo tempore, ita à doctissimis viris exculta & continuata est, vt nunc meritò, litterarum decus, & domicilium quoddam litteratissimorum, tota Europa, virorum, dici possit. Habet heic scholam Theologicã, in qua quantũ diligentissimi sacrarum literarum professores, religionem & pietatem Christianam iuuent, promoueantque, exempla ipsa demonstrant. Viget heic etiam philosophia. Medicinæ excellentissimi totoque orbe clarissimi doctores huc se vndique conferunt. Ante omnia verò floret heic adeò Iurisprudentiæ Studium, vt eo ferè cæteras Academias superet. Eius, quoniam heic & fuêre semper, & iam adhuc sunt celeberrimi, omnium tota Europa professores, huc discendi caussa certatim ex omnibus vndique nationibus adolescentes confluunt. Nostra tempestate, claruere heic: Seruatius Ferdinandus Portugallensis. Andreas Alciatus Mediolanensis, Equinarius Baro, qui heic etiam sepultus est, Petrus Loriotus, Franciscus Duatenus, Franciscus Balduinus, Hugo Donellus, Iacobus Cuiacius, Claudius Ronsardus, indigena, Petrus Rebuffus præses, & rector vniuersitatis, omnes Iurisprudentiæ professores, Aegydius de Roma, Nicolaus Tabutinus, Simon Agobertus, Doctores & professores Theologiæ, Melchior & Caymus, Germani, Castellanus episcopus Matisconensis, professores linguæ Græcæ. Carolus Gerardus iam ibi apud Carmelitas linguam græcam docet. Petrus Buquinus item linguam Hebraicam. Huiusmodi innumeros habent, adeò, vt claritate & celebritate nulli ferè Academiæ cedat. Magistratus in ea huiusmodi est. Primum omnium locum summamque auctoritatem habet prætor, cuius est, adhibitis Maiore & Scabinis vrbis, de omnibus tam publicis, quàm priuatis caussis, cognoscere, & decidere. Id primitus erat Maioris & Senatus, qui iam tantum retinent ciuilium & criminalium cognitionem. Prætura illa non in ciues solum: sed in vniuersum ciuitatis territorium sese extendit. Secundum locum obtinet Biturigum nomarcha, quem vulgò, le Bailly de Berry vocant, eiusue vicarius, in summo Bituricensi tribunali. Ad hunc deuoluuntur omnes adpellationes, tum à Prætore vrbano, tum ab omnibus magistratibus circum vicinis, item eæ causæ, quæ Regem concernunt, vt de læsa Maiestate, &c. Præterea istic sedem habet Præfectura totius Ducatus, quam Siege præsidial vocant vernaculè. Qui plura & magis particularia de hac vrbe desiderat, legat Ioannem Calamæum, qui sex libris Biturigum historiã vernaculo idiomate, persecutus est.

17. BLANMONT, oppidum Lotharingiæ, agri clementia felix quare, plurimos agricolas, hoc est, viros innocentes ac bonos sustentat, elegans est, cum castro, imprimis visendo ac splendido, & hortis amœnissimis.

14. BLOYS, Galliæ oppidum admirabili loci amœnitate, cæliq; clementia, magnifica Regum Francorum arce ac domicilio, nobilitatum. Cuius præterquam tanta sit bonitas agri, vt quamplurimi nitantium splendore, opumque affluentia nobiles, præstantes viri, ex diuersis, remotisque Galliæ nationibus, cæli puritate allecti, illuc commigrarint, derelictoque solo natali, & patriæ cura post habita, perpetuam ibi sedem, vitæq; domicilium delegerint. Sigillata etiam terra illic effodiatur, quæ hactenus in sola insula Lemno inueniebatur, non tamen in quauis eius insulæ parte, sed tantum in colle quodam Hephæstiadi, ciuitati imminenti: quem etiam Vulcano ipsi sacrum fuisse, fabulantur, eò, quod is à matre de cælo deturbatus, in collem illum feratur decidisse. Cuius fabulæ occasionem præstitit collis eius color, & sterilitas. Nam & exusto similimus est, & nullam omnino plantam gignit. Hæc autem terra quo pacto soleat præparari à sacerdote Dianæ, vide Galen. libro nono, de Facultate Simpli. medicamen. vbi meritò reprehendit Dioscoridem, qui putauit terræ huic hircinum sanguinem admisceri. Hodie Seplasiarij, pro terra Lemnia supponunt terram sigillatam. Quicquid enim terræ quotannis colligi potest, ad Turcarum principem defertur: neque vlla ratione ad nos peruenire posset, nisi ille nostros principes, eorumque legatos aliquot orbiculis interdum donaret. Verum sigillata hæc terra, cum in Blesiensis oppidi agro, ab Eruditissimo viro, & rerum abstrusarum summo admiratore D. Francisco Guerino, primum obseruata sit, & inuenta, eiusdemque sit conditionis atque naturæ, cuius est Lemniaca, non immerito, vel à loco, Blesiaca, vel ab inuentore, Guerinensis, vocabitur, quò perpetua tanti beneficij apud posteros, perseueret memoria.

33. BONNA, oppidum ad citerioris Rheni ripas situm, & Colonensi vrbi ac Confluentino oppido, proximum, Colonensis diocœsis: à Tacito memoratum.

27. BRIELIVM, haud ignobile Hollandiæ oppidum, brachio, ex mari deducto, adiacet, ad ostia Mosæ fluminis, vbi se in oceanum exonerat, in insula, vulgò, **Voorn**, dicta. Territorium fertile habet frumenti, aliorumq; leguminum copioso prouentu. Præter hæc admodum fœcunda est eius herbæ, quam Bataui Helm, quidam Galeopsin, nuncupant, quæ herba, cum radicem apprimè tenacem hirsutamque altè ageat, non obscurè naturæ beneficio, arenas in littoribus continet, indeque non minima Hollandiæ, Zeelandiæque pars, aggeres, quos vernaculè, **Dycken**/nominant, contra furentis Oceani æstus & impulsus, construunt. Miram hanc Dei prouidentiam naturæque solertiam, quam ab illo consequuta est, quis non admiretur, atque suspiciat? Quam est Oceanus, ob violentiam, mare intollerabile, quantis insurgit vndis, quantis iactatur procellis? attamen, postea quam vehementer insurrexerit, multoque cum tumore progressum est, vbi venerit ad terminum ipsi à Deo præscriptum, fluctibus in spumam solutis, in se redit. Quid verò arena infirmius? & tamen eius herbæ præsidio, marinis sese furoribus opponit. Mira etiam rerum, quibus voluptatis studium irritari solet, Brielij est copia, adeò, vt vulgò, triuiali epitheto cognominent, **T'slacker Brieleken**/cupidiarium forum, latinè dicerent. Hoc facit portus commoditas, quod Rheno, Mosaque fluminibus ex mediterraneis & Oceano, ex peregrinis regionibus, omnia nauigio paruo pretio, ac facile aduehantur. Quinetiam nundinis frumentarijs, secura nauium statione, & portu amplo, peruulgatum est hoc oppidum, in quo annuatim ad harengorum capturam, qui in oceano tantum reperiuntur, se parant, institutis ad eam nauibus, quas, Bujsen, Flandricè, vocant. Cumque ingentes impensarum sumptus, ad eas parandas requirantur, Delfij, Roterodami, Schieddami, Dordracenses, Goudani, & Brielij quoque incolæ, hoc in portu eas adornant, ad communes vnius nauis, coëunte impensas, pro facultate cuiusque, duorum, trium, aut quatuor ciuium societate. Singulis piscatorijs busis nauclerum, penes quem summa potestas, præficiunt. Is, coquum, vascularium, & piscatores conducit, vasa, quibus sale conditi includantur, salem, cereuisiam, ad capturam peculiari ratione decoctam, quam **Buisenbier**/nuncupant, carnes, fumo induratas, butyrum, & omnem annonam, pro piscatorum numero, procurat. Quibus omnibus ad piscationem compositis, numerosa piscatorum, multitudo, Brielij in portu, grat, præstolatur auræ, qua se Oceani recessibus committat. Quæ quidem, etsi gens rudis, ac pelago sit assueta, ea tamen est morum, ac vitæ integritate, ea, apud ipsos, disciplina seruatur, vt nunquam inter vllos vllæ contentiones, iurgia, simultates discidia oriantur, nec vnquam inter se lites consectentur, aut iure cum æqualibus contendant, ita, vt magistratus nunquam, nisi in vrgentissimis caussis, se horum controuersijs interponat, sed omnes inter sese, coactis comitijs, dirimunt, atque consopiunt. Nullum inter suos gregales tolerant mendicum, ac probro ducunt, si quis ex consocitis stipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur, qain ipsa piscatoria societas, & qui inter illos est primarius, quem Decanum vocant, singulis quibus res comi angusta est, & contractior, quàm vt familiam sustentent, & alant, ex communi ærario suum dimensum constituit, ita, vt non desit, quo famem frugaliter & liberaliter solentur. Ex ijs, si quis diem obeat, relicta eius vidua, nisi intra triduum alteri nupserit, ius suum, harengos intra destinatum ei spatium (**das fach**) capiendi, amittit, piscatores demum, ventum nacti propitium, magno in Oceanum numero, progrediuntur, & id quidem ferè semper post æquinoctium autumale, quo tempore in acies harengi se diuidunt, loca mutant, & per Oceanum vagantur, nam dum vno in grege natant, præ multitudine capi non possunt, noctu verò, ex splendore à piscatoribus harengorum agmina deprehenduntur, tum etenim gregatim, ventribus versus summum æquor obuersis, natantes, tantum de se splendorem emittunt, vt fulgurare mare videatur, quin etiam ipsorum oculi, luminis instar, noctu lucent, quæ vis, cum ipso pisce, emoritur. Vbicunque super aquas in mari lumen vident, gregatim adnatant, & hoc etiam astu, ad retia allicuntur, vt, quasi parati ad capiendum, diuino munere, in vsus hominum deducantur, tumque aliquando maximis colliguntur sagenis, adeò, vt funes retium præscindi oporteat, eò, quod ob multitudinem extrahi, non valeant, capti, citissimè moriuntur. Omnium enim piscium, solus aqua viuit tantum, nec nisi in aqua viuere potest. Nam statim, vt aëris serena contigerit, expirat, nec vlla inter aëris contactum, & exspirationem, est mora. Quanta celeritate autem, dum piscatores retia explicando occupati tenentur, eos alij sale condiant, alij vasis includant, dici non potest, muria siquidem conseruati, in varijs Europæ partibus, distrahuntur. Fœliciter piscatione perfecta, primum in Brielij portum se omnis, hæc piscaria societas, tum ad ea Hollandiæ oppida, quorum sumptibus instituta fuit, sese recipit.

33. BRVLA, Colonia abest P. M. oppidulum arce, pro Archiantistis Agrippinensis sede, & Franciscanorum sodalitio, peruulgatum.

23. BVRBVRGVM, elegans, Flandriæ oppidum.

C

35. CALCARIA, Chuorum opp. gloriam suam catholicæ religionis studio, in ea potissimum ditione, immortalitate consecrauit. Id Galbiacorum nomen, fama superstite, ad nostram vsque ætatem protulisse, plerique existimant, sunt, quibus id minus probatur, qui à finitimo pago, Calcaria vetere, nomen sumpsisse, idq; certis quibusdam documentis, & priscis consuetudinibus, hoc etiam tempore obseruatis, confirmari tradunt. Galbiorum autem, quorum Tacitus meminit, sedem fuisse in eo loci, vbi nunc Kalckum pagus, ex opposito Cæsaris VVerdenæ, conspicitur. At in tanta locorum vicinitate, de priscis, antiquorum sedibus diuersas inire sententias, nouas non concitabit hæreses.

30. CAMPI, vrbs Iselis vicinitate clara, Annoparatæ salutis, M. D. XIX. grauissimis bellorum procellis, attrita.

53. CANDIA, vrbs, & insula Mediterranei maris celeberrima.

1. CANTABRIGIA, vrbs Angliæ celeberrima, à Granata fluuio vicino, Cairgrant, à primo, non tam vrbis, quàm Academiæ conditore Cantabro, magni nominis Hispano, Saxonibus Grauntecestre, & Grantebrige iam olim nuncupata. Cuius hodie antiquum nomen retinens, flexuosis riparum anfractibus, ab austro in aquilonem mari tenus, longissimo tractu protenditur. Vrbs verò conditoris nomen, & memoriam sempiternam reddens, etiam Academiæ dignitatem, multò, quàm olim fuit, illustriorem conseruat. Muro fuisse cinctam, historiæ referunt, sed eum Pictis, Danicis, & Saxonicis bellis, vt & veterem vrbis faciem, concidisse, Henricus tertius Angliæ Rex, circa Annum Domini M. CC. LXV. fossa & portis Cantabrigiam muniuit. Quo tempore ibidem, contra ex heredatorũ iniurias & excursiones, qui Elienſem insulam occupabãt, se defendit. Muro etiã iam tum rursus cinxisset, nisi eo absente, Londino, à Gilberto Clarensi duce occupato, nouæ calamitati prospicere fuisset coactus. Huius fossæ, quæ ab eo tempore Regiæ nomen obtinuit, vestigiũ quoddã, inlamina hiu⁹ operis depicta cernitur, sed quæ ad vrbis ambitum, & defensionem altissimis fuit fossionibus primum apparata, expurgandis platearum fecibus, eluendisq; in Grantam fluuium sordibus, non male nunc inseruit. Quod si Cantabrigienses coniunctis opibus, efficerent, vt qui est ad vadum Trumpingtoniæ amniculus, fossam hanc allueret, non esset Cantabrigia vrbs vlla elegantior, tantique facti memoria, non tam posteris grata, quàm ipsis iucunda & fructuosa existeret.

34. CLIVI, Ducatus Cluesis, opp. elegans, castro **Schwanenburg** Ducis sede, & canonicorũ collegio insignitum. Id oliminter Sycambros numeratum, tradũt, nunc, Ducatui adpellationẽ præbet, quem Sigismundus Imperator, creato primo Duce Adolpho, instituit.

36. COLMARIA, Alsatiæ vrbs, quam Argentuarię excidium peperit, Alemannorum opus, nõ multis passibus distãtem, & paululum ab Ello flumine subductam. Hanc B. Rhenanus, primum Colmaringam dictam fuisse, existimat, Collegiũ Canonicorum D. Martini illic, Prioratus, vt vocant, quondam fuit Benedictinorum, ad Monasteriorum vallis D. Georgij pertinens, vt alter ibidem, qui D. Petri dicitur ad Paterniacum. Institutricem memorãt Bertham reginam, ad cuius iurisdictionem nõnulla ex parte spectarit olim Colmaria, vnde magni illinc Constantiensi præposituræ prouentus, quos ei Ecclesiæ, hæc nobilissima matrona donauit. Cœnobia habet, Minoritarum spaciosissimũ: Prædicatorum amplum, & opulentum: Augustinianorum, exiguum. Monialium item titulo, Sub tilijs, maximum, & alterum D. Catharinæ dicatum, aliquãto minus. Colmariam muro cinxit Vuolphelinus Cæsareus apud Hagenoiam Præfectus, imperãte Friderico Aug. eius nominis secundo, testimonio Chronicorum Seoniensium, quum ante vicus fuisset mediocris. Habuit insignem in litteris virum patrum memoria, Sebastianum Murrhonem, & huius filium eodem nomine, qui iuuenis, perijt. Habuit etiam Apellem suum, Martinũ illum, qui ob singularem pingẽdi gratiam, Belli, cognomen meruit, & huius germanos fratres duos, Paulum, atque Georgium aurifices æquè præstantes. Homines aiunt illic ter mille & quingentos numerari, qui singulis annis ad sacram Eucharistiæ mensam accedant, Vnde ciuitatis modus colligi potest.

6. CONIL, Hispaniæ oppidum, ingens, ex piscatione vectigal, duci suo suppeditans.

41. CONSTANTIA, eius Germaniæ partis, quæ Sueuia dicitur vrbs, scribit Marcellinus, Sequanã propè castra Constantia fundi in mare. Quo loco hodie Constantiam vrbem episcopalem videmus attributam Nortmanniæ. Non aliter Cõstantia nostra adefluentem ex Acromo lacu Rhenum & Veneto sese immergentem sita, à castris Constantijs originem habet, quæ Constantius illic exædificauit, pro militum præsidijs, aduersum Alemannorum incursiones excubantiũ. Vnde cõijcere licet, limitẽ illum Rhetiæ & Alemannię, non ita procul abfuisse à Constantia. Hic statiua militum erant, hic hybernacula. Quum Ammianus scribit Alemannos Arbetione Romanarum copiarum duce fugato, sublatis animis ferocibus incedentes cottidie propè Munimenta Romana strictis mucronibus discurrisse, frendendo minas tumidas intendentes, istum indubie locum significat, vbi Constantiam hodie cernimus. Nã in mandatis hoc ab Imperatore Constãtio acceperat Arbetio, vt margines lacus Brigantini legeret. Huc aiunt episcopalem sedem ex Vindonissa translatã. Tabula lapidea vetus, in qua mentio fit Impp. C. Aurel. Val. Diocletiani, & M. Aurel. Val. Maximiani, & Val. Constantij, & Gal. Val Cæs. videtur ex Vituduro oppido propinquo Constantiam aduecta. Fuit is Constantius pater Constantini Magni. Extat epistola Leonardi Aretini, qua Cõstantiam accuratè describit, ad Nicolaum.

53. CORFV, Insulæ & oppidi, valido castro firmi, in mari Mediterraneo, nomen.

D

55. DAMASCVS, vrbs nobilissima, caput Syriæ, vnde Damascena pruna, authore Plinio lib. xv. cap. 13. dicta creduntur, & regio ipsa, Damascene, quæ totam illam Syriæ partem complectitur, quæ, Libano monti adiacet. Author Pomponius Mela lib. 1. Strabo lib. 16.

46. DANTISCVM, vide Gdanum.

24. DORDRACVM, vrbs est valde munita, negotiationi maxime idonea, diues opum, vndiq; cincta mari, opibus & celebritate inter alias Hollandiæ vrbes longe princeps, cuius haud paruam partem anno superiore incendium absumpsisse, relatum est, idque ciuium curia.

DVINKERGA, Flandriæ opp. Grauelingæ & Caleto vicinium, cholericis Gallorum deformatum furoribus.

34. DVISBVRGVM, vetus Francorum regia, celebre Germaniæ veteris oppidum, Cluorum nunc principi paret, Id clarum semper fuisse, cùm maxima ædificia, tum historiarum etiam monumenta declarãt. Præcipuam saluatori dicatam Ecclesiam parochialem, structura non ignobilem ostentat, quæ per Teutonici ordinis dominos administratur, piorum quondã hominum peregrinatione celebrem. Præcipua olim Ecclesia fuit. Sacellum, vulgò, **In der Cruchť**/ nuncupatum. Alia insuper ibidem Parochialis Ecclesia est, M. Virgini sacra, quondam extra muros, Ioannitarum monasterium fuit, turrim semel atque iterum fulmine collapsam, nunc restauratam exhibet. Est & Monasterium Minoritarũ amplum, priscis temporibus, Ducũ Lymburgẽsium arcem fuisse, constat. Crucigerorum quoque cœnobium minus, Vallis S. Petri, prima fundatione dictum. Sunt & aliquot virginum cœnobia, quæ priscæ religionis reditus & domicilia tantum reseruãt. Est & pons ad oppidi portam, vulgò impensæ perditæ & inutiles, nuncupatus, quod Theodorico à Morsa, Archiepiscopo Colonienſi, inutilis fuerit, is enim, anno M. CCCC. XLIV. nocte intempesta S. Georgij, traducens armatum exercitum, mœnibus admouere parabat, sperans vrbem occupare, sed auibus strepitum edẽtibus excitati, qui erant in mola lapidea, cum mergẽte colmi accẽdissent, arma refulgere conspiciunt, moxque cives clamoreret pulsu nolarum, conuocant, quibus aduolantibus, hostis coactus est retrocedere, cuius diei annuam memoriam incolæ celebrant. Quam clarũ ac celebre apud posteros hoc oppidum fuerit, confirmat synodus illa Episcoporum Duisburgi sub Henrico primo Romanorum rege coacta, ob excæcationem Bennonis Metensium Episcopi, in qua eius rei auctores, sunt excommunicatione percussi, vt apud Reginonem in chronicis videre est, anno domini D. CCCC. XXVII. Adhæc celebris, ille conuentus ab Otthone magno Duisburgi, siue Teutoburgi, ferijs Rogationũ indictus, etiam Principibus viris, locum commendatũ fuisse, declarat, in quo grauissima quædam negotia cũ Principibus Latharienſium, atq; Francorum tractata fuerunt: In Additionibus ad Regi: Anno Domini D. CCCC. LIIII. In hoc etiam oppidum, deportatũ fuisse caput B. Seruatij Tungrorum Episcopi, à clero Traiectensi, ob crebras ab Immone comite, ipsi clero illatas iniurias, historiæ meminerunt. Sylua huic oppido vicina, quam Tacitus saltum Teutoburgensem vocat, Duisburgum cingit plusquam medium, quibusdam in locis vix quatuor, aut quinq; ballistarũ iactibus distãs, vastissima est, & amplissima, in qua innumerabilis porcorum multitudo glandium prouentu alitur, feræ sunt variæ, vt apri, meles, vulpes, lepores, cuniculi, cerui, seles, equi autem syluestres, absque numero, qui sæpè totis armentis extra siluam vagantes pascere, nec facilè fugere conspiciuntur. Riuulos habet plurimos, & limpidissimos, montes sunt excelsi, arboribus præaltis circumquaq; vestiti, nascuntur vulgò tam in silua, quàm in circumiectis campis, maiorana, thymis, bugloſſa, aliæque herbæ hortenses, &, quæ chyrurgicis vsui veniunt. Altera siluæ pars Rheno flumine Germaniæ notissimo, altera Rora terminatur, quæ ad Vbiorum oppidulum, Rosort, quasi finis Roræ, dicas, Rheno miscetur, vbi videre est, duorum fluminum concurrentiũ euidentissimum discrimen, quorum hoc viride, illud subalbum apparet. Et quidem, vsqueadeò tortuosus est Rora, tantisq; ambagibus fertur, vt propemodum ipse Mœander videri possit, tam autem violentus est, & vehementi cursu fertur, vt quandoq; per arua viam rumpat, adeò, vt breui temporis spatio duo vel tria iugera alluuione hinc adimat, illuc adijciat, vel contra paulò pòst solum quodcunq; inundat, calculis implet atque corrumpit, sicut Rhenus contrà copiosissimo, eoque pinguissimo limo fœcunditatem augere solet, licet superioribus annis plurimos agros alluuione arenæ omnino perdiderit. Tantam hæc duo flumina, alijq; minores fluuij, riuuli & piscinæ, vim piscium proferunt, vti ciuibus tenuioris fortunæ, magnam victus partem suppeditent. Ager ferax est, & nitidus, pascua læta, palumbium, aliarumq; auium, ingens aucupium, maximè perdicum, turdorum, & cothurnicum, anates innumerabiles, omnium denique rerum, quæ ad vitam pertinent, larga copia. Quamuis tamen olim mercatura erat frequentior, tum enim Rhenus atque Rura, Duisburgum propius præterfluentes, commodiorem mercatoribus aditum præbebant. Etenim, si quis lineam ducat ab Asiburgij, cuius Cornelius Tacitus, vt celeberrimi oppidi meminit, nunc verò pagus, in ditione Illustriss. & Generosissimi Comitis à Nevvenar, & Morsa, habebit veterem Rheni cursum, quod non ex Taciti modo historia, qui Rhenum ait Asciburgium, Duisburgum versus, etiam hodie adhuc conspicitur, manifesteadparet. Nam quod isthinc Teutoburgum porrexerit, atq; vrbem attigerit, euidentius est, quàm vt dubitari possit. Neque enim verò simile est, conditores huius oppidi, tam imperitos fuisse, vt cum nihil obstaret, quin iuxta confluentem ædificare possent, eam tantam commoditatem volentes neglexerint. Imò & annuli ferrei, muris, passim infixi, quibus primnesio scaphas & naues affixerunt, id plane indicant.

E

32. EMBDENA, Orientalis Phrisiæ Metropolis, vrbs oppido quam elegans, & valde munita, portu, mercimoniorum opulentia, & præstantissimis ædificijs recenter excitatis, celeberrima.

34. EMBRICA, Cliuiæ ducatus oppidum, Rheni propinquitate, Canonicorum collegiata Ecclesia, & mitioris litteraturæ traditione, memorabile.

F

8. FLAVIOBRIGA, vulgò Bilbao, præclarissima in Hispania, Biscaiæ vrbs, maris vicinitate, mercimonijs amplissimis, agroque fœlicissimo præstans, qui non frugalibus tantum, sed & delicatulis, quæuis abundè subministrat.

39. FRIBERGVM, Misenæ opp. riuulus, **Münsbach**/ vulgò dictus intersecat, nec procul inde, Muldã fluuium habet, cuius ope, ligna, rei domesticę, & ædificijs necessaria, ex Boiemia aduehunt. Ante portam D. Petri,

Petri, fontem habet, lepræ curandæ idoneum. Solenne hic olim fuit, publicis spectaculis, salutaria Iesu Christi merita, annuatim populo repræsentare, septimana sancta, quæ nunc, septimo tantum anno, solenni pompa, ferijs Pentecostes exhibentur. Anno Domini M.D. XL. Iussu Henrici Ducis, cõscripti sunt omnes, qui in hoc oppido annũ ætatis duodecimũ excederẽt, & inuẽta sunt vltra triginta duo millia, septingẽta, & sexaginta tria capita. Anno salutis M.D.LIII. Mauritius Saxoniæ Dux Elector, mortuus, cum XX. militaribus signis, quæ hosti eripuerat, in hoc oppid. inuectus, terræ mandatur. Fodinis etiam metallicis, Misena præstat, quæ anno ab hinc trecentesimo septuagesimo tertio coli primùm cœperunt. Cum autem argento maximè abundarent, & ob eam ipsam causam plures vndique, qui rei metallicæ operam darent, congregarentur, quasi coloniæ quædam ad loca vicina, licet non ijsdem temporibus, deductæ sunt, è quibus nobiliores, &, quæ hodie etiam florent. Iberesdorfum, Gairum, Aldebergum: Trapenaurum verò & Mocchenbergum, vetustas oblivione fermè obruit. Sed & Igla ipse Fribergum subsequuta est, quantum ex legibus potest colligi, quas ab illis se accepisse, apertè fatentur. Post Iglam Cottebergum fodi cœpit. Snebergum autem ab hinc annos duo de sexaginta, Annebergum, septem & triginta.

G

41. S. GALLI, opp. Heluetici fœderis, quo pacto ex Abbatis cella, à S. Gallo, primum constructa, originem traxerit, qui cum S. Columbano, salutaris Euangelij doctrinam, populo hoc tractu annunciauit, vide Stumpfium lib. v. de rebus Helueticis cap. 4. & consequentibus, admodum copiosè disserentem.

46. GDANVM, nobilissima, præstantissimaque Prussiæ vrbs, de cuius magnificentia, etsi iustæ magnitudinis liber, publica in scripta referri queat, de ea tamen pauca, in recentiorum historijs, inueniuntur. In antiquioribus etiam, cur de ea nihil quærendum, causa non deest.

34. GENNAPIVM, Ditionis Cliuensis opp. ad quam, cum vniuerso, etus nominis comitatu, à Dominis de Bredenrade, venditionis titulo, peruenit. Præterlabente Nersa, felix, quæ anguillas laudatissimas, & omnium fluuiatilium delicatissimas, suppeditat.

45. GORLITIVM, præstans superioris Lusatiæ opp. ad Boiemicam coronam pertinet.

23. GRAVELINGA, opp. Flandriæ munitissimum, Anno salutis M. C. LX. conditum abs Theodorico Principe in pago D. VVillibrodi, Nouus portus primo vocatus, dehinc, Grauelinga, vbi arx nunc à Carolo Augusto, insignis educta, antè. creberrimis bellorum contusa furoribus.

48. GRODNA, siue Grodno, Littauiæ opp. situm ad Crononem fluuium, quem Germani Mumell, patrio verò sermone vulgariter, Nemen nuncupant.

31. GRONINGA, Insigne Phrisiæ meridionalis oppidum, opulentum ac populosum, ab hostili incursu vallo munitissimo, propugnaculis, & muro, securum. Incolas, quemadmodum vniuersa Phrisia, habet feroces, proceri corporis, robustos, armisque exercitatos, neq; id mirum. Nam frequentibus attriti bellis leguntur, quæ ipsi nunc cum Episcopis Vltraiectensibus: nunc cum ciuitatibus Phrysiæ Orientalis: nunc cum diuersis Saxoniæ ducibus, intercesserunt. Nam anno salutis M.D. Graui obsidione à Saxoniæ Duce cingitur, in qua ipse Dux, bombardica sphærula læsus, moritur, & in Misenam cadauer defertur. Grauius autem incommodum altera obsidione, à Georgio Saxoniæduce sentijt, Anno Christi M. D. V. eò, quod Groningenses ipsi, quemadmodum reliquæ Phrisiæ vrbes, anno præcedenti fecerant, iurare, &, vti dominum inaugurare nollent. Nunc Philippo Regi Groninga, cum vniuerso dominio paret, & tota Phrysia, in Caroli Cæsaris obsequium, à clarissimo belli Duce, Ioanne à VVassener, retracta.

58. GVLETA, Africæ oræ arx munitissima, quã Carolus Cæsar, cum primùm in Africam traiecisset, pulso, fugatoq; Aenobarbo, expugnatuit, captaq; Tunete, Muleum Hazenium, in regnum restituit, arcem hanc sibi, præsidio firmatam, reseruans. quæ nunc ad rabidas Turcarum manus, peruenit.

H

37. HALA, Sueuiæ præstans opp. ob Salis ingentem copiam è monte cæsam, atque deinde æqua, per salis montem deriuata recoctam, partim ad molem augendam, partim ad saporis suauitatem, imprimis visu dignum.

26. HARLEMVM, nobilisimæ Hollandiæ, quam ob insignem soli fertilitatem, omniumque rerum abundantiam, Vollandiam meritò dixeris, oppidum florentissimum, amplum ac spatiosum, non vbertate tantum agrorum, sed & pascuis, fyluis, aquarum abundantia, & leprosorijs felix. Fluuius ex stagnis, & Harlemico mari, quod vocant, leni fluxu in oppidum illabitur, ipsumque forma serpentina, duas in partes intersecans, mille quandoque nauibus, expansis velis, instar cygnorum agminis adnatantis, ornatus videtur. Qua occidentem respicit, naturæ beneficio, planis obuallatum montibus, furiosi maris sæuitiam extrudit, vbi ingens cumiculorum multitudo, non sine Harlemensis fori commodo, oberrare videtur. Iuxta, cœnosa sunt, & vliginosa loca, è quibus cespites, ad ignes alendos, effodiunt. Templum ingens, amplissimis dotatum redditibus, & foris, & intus, pulcherrimis ornatum structuris, præcelsa turri nobile, quam vltra omnia vrbis ædificia, venusta altitudiue ostẽtat. Ex opposito, curiã, à Guilielmo Romanorum Rege, & Hollandiæ Comite constructam, à templo, amplissimum separat forum, quod hebdomatim bis nundinis frequentatur. In quo, dictu mirum, quanto indigenarum compendio, omnium rerum ad vsus hominum necessariarum abundantia, cum tenuitate pretij decerret. Adeo quidem, vt anno M. D. LXVII. decem & sex, iustæ magnitudinis aselli, quos Cabbelliaw, Flandri adpellitant, decem Brabanticis stuferis venerint: Et Callarij quatuor, quos Belgæ, Schellfisch, nomine indigetant, vnica tantum blanca, genus est nummi, dimidiatam & quartam stuferi partem, obulos forte decem & quinque, valens. Incolæ partim antiqua Batauorum nobilitate præcellunt, partim populares, duobus potissimum opificij generibus, quæstum, ac nomen quærunt: Ceruisiæ coctione, quæ nunc aliquantulum languet, & Lanificio.

Quip-

Quippe, decem & amplius, pannorum millia textrinæ Harlemenses conficiunt, quibus & nomen à loco imponunt. Quam quidem textrinarum, & negotiationis commoditatem, vt sibi conseruarent, maximis impensarum sumptibus canalem recto ferè, ductu in Sparendã mevsq; sibi fecere quo onerarias naues mercibus onustas, in oppidũ ipsum recipere, & ad alios, maximo vicinorum commodo, transmittere possint.

54. HIEROSOLYMA, sancta est ciuitas Dei, vnde nostræ salutis fluxit exordiũ, quam & seruator noster Matt. 5. ciuitatem magni regis vocat. De qua Stephanus, Hierosolyma Iudææ Metropolis est, prius Solyma, à Solymis montibus vocata. Alij sic vocatam asserunt, à Solymis Lyciæ populis, huc olim commigrantibus, Varijs nominibus, à diuersis authoribus olim appellata. Sed Hierosolyma, & Hierusalem ex sacri nominis additione frequentius. Postremo Aelius Adrianus Imperator, Caluarium montem vrbi addidit, & quæ per Titum, & Vespasianum diruta fuerant, reparauit, vrbemq; suo nomine Aeliam appellauit, quare Ptolomæus, inquit, ἱεροσόλυμα νῦν καλουμένη αἰλία καπιτωλία.

19. HVIVM, ad Mosæ flumen, Diocœsis Leodiensis elegans oppidum, vtramque fluminis ripam, ponte lapideo, arcuati operis, coniungit, à Leodijs, contra optimæ vicinitatis iura, grauiter deformatum, qui Carolo Burgundioni, bellicoso Flandriæ comiti, magno suo incommodo, hostes, sollicitãte eos Rege Gallorũ, quamuis L. tradiderãt obsides, rupto pacis fœdere, magno numero Huium petũt, vt Ludouicũ Borboniũ Episcopũ suum, fratrẽ vxoris Caroli, qui tũ ibi erat, capererent, Caroliq; præfectos interficerent. Custodiebant oppidum, nomine Caroli, Toparchus Bosutus, & Euerardus Arduennas, cum fratre, nobiles, ac fortes viri. Obsident, & oppugnãt vndique Leodienses hoc oppidum, longeq; vires antecedebant propugnantium, qui relictis fortunis suis, pariter cum Episcopo periculo se exemerunt, fuga se saluantes, præsertim, cum nec plebem oppidi corruptam ab hostibus, in officio continere valerent. Pulso præsidio, & Episcopo, Leodienses oppidum capiunt, diripiuntq;, & incendunt. In Lucenburgios, Limburgiosq; incursant, prædas inde agunt, & villarum incendia, excitant.

22. HYPRA, ex præcipuis Flandriæ vrbibus haud infima, sæuientis Bellonæ frequenter euersa furoribus, nunc à Gallis direpta & incensa, nũc à Dominis suis Comitibus Flandriæ capta. Ab Anglis, obsidione cincta. Hæc, & alia partim Guicciardinus in sua Belgia, partim Iacobus Meierus, Commentarijs Flandricis, particulatim recensent. Carmen etiam subiectum, dum historicas Meieri Musas contemplor, de Hyprensi vrbe inuenio, quod inter studium scribendi historiam, opificum more, se cantillasse fatetur, resocillandi scilicet, animi gratia.

Qua te queso lyra, quali te carmine dicam,
O Hypra florentissima.
Ardua materia est, nostris nec viribus æqua,
Vatemq; magnum postulat.
Vrbibus in Flandris splendes, vt luna corruscat,
Inter minora sidera.
Quæ sortita locum ternum inter membra quaterna.
Auges honorem patriæ.
Belga tibi priscus genitor, quem cana vetustas,
Græcè locutum prædicat.
Grande opus & natura loci tibi mœnia condunt
Rumpenda nullis hostibus.
Ad te confugimus quoties Mars impius orbem
Suo furore concitat.
Hypra tibi largè dulcissima labitur vnda
Vitreis refusa riuulis:
Quæ tua prata rigat, fœcundaq; frugibus arua
Multa beat pinguedine.
Quas non fundit opes annis tibi ductus in æquor
Quæ non genera fert mercium!
Vina ferunt Galli, fert vellera grata Britannus,
Scotusq; lanam subuehit.
Merces quisq; suas Italus, Germanus, Iberus,
Orbisq; totus congerit.
Nam duo mercatus tibi per stata tempora seruas
Vel Delijs haud impares.
Ordiris telas populos quas mittis ad omnes
Græcos, Latinos, Barbaros.
Ecquos Hypra tuis non vestis sedula pannis?
Quos tam facis multiplices?
Ipsa tuis dicis ius sacrum, iusq; prophanum
Vtroq; iuxta nobilis.
Te sacer elegit cunctis ex vrbibus vnam
Præsul tribunal inclytum.
Iura petunt Flandri Morinis quicunq; tributi
Tibi gaudent subijci.
Dicere quis valeat quantos tua nobilis aula
Armet greges clientum?
Tu tria sceptra tenes Rex vrbis, Rexq; sacrorum
Te Rex honestat aulicus:
Atq; triplex decorat lex te, triplex q; senatus,
Augetq; triplex curia.
Iam sacra si pergam Christi delubra referre.
Vix plectra parua luserint.
Inclytus antistes Martini templa gubernat.
Vita sacer monastica.
Cætera Ioannes, Iacobus, Virgoq; mater,
Et Nicolaus obtinent.
Nec tua transilio sanctissima limina Petre
Nullis tacenda vatibus.
Omnibus his mittit præfectos atq; ministros
Martiniana curia.
Officioq; suo pandens sacra dogmata Christi
Ordo quaternus fungitur:
Erudit exemplo, vita, sermone fideli,
Indocta, vulgi pectora.
Christophiloq; gregi docto diffundit ab ore
Flumen sacrati nectaris:
Corrigit errores, & noxas arguit omnes
Viasq; monstrat cælicas.
Qua vos laude feram proceres, & sancte senatus
Vrbisq; summi præsides?
Quorum nulla filet regio præconia laudum
Orbisq; nullus angulus!
Vestra inter pietas alas miseratio pandit
Ciues egentes confouet.
Publica pauperibus succurit cura miselli
Dextramq; largam porrigit.
Nullus in hac tota, mendicus cernitur vrbe,
O nunc beati pauperes.

Nec

Nec iam templa crepant, miserorum vocibus vlla.
O institutum nobile.
Non lamenta fores complent non larida membra
Nullæ querelæ compita:
Tollitur improbitas nebulonum, tollitur omnis
Ars vafra pseudopauperum.
Torpida segnities, multorum causa malorum,
Procul migrare cogitur:
Stirps inopum nil grex nisi perditus ante probatos
Mores & artes imbibit.
Vile decretum, pia lex & sanctio frugi,
Et mos saluber ciuibus
Hæc vos perdocuit non tam Plato siue Licurgus,
Quàm Christiana charitas.
Cedat Athenarum laus, cedat & inclyta Roma,
Victrix vetustagentium.
Famaq; Massiliam taceat, Lacedæmona linquat,
Hypramq; solam prædicet,
Hæc nos Hypra tibi, pietas tua ludere cogit,
Quam nemo sat laudauerit.

L.

25. LEIDA, oppidorum Hollandiæ pulcherrimum, ædificia habet & concinna & frequentia. Vicorum hic est perpetua quædam mundicies, vt alijs quibusdam terris plus luti ac cœni inuenias in domibus, quàm heic in plateis. Astruunt ij, qui Geographiam scrutantur Lugdunum esse Batauorum, de quo celebris mentio fit apud Ptolemæum, quod & Antonini itinerarium, Lugdunum appellare videtur, caput Germaniarũ, abs quo Albianis, & Traiecto iter facit Argentoratum. Præcipua huius vrbis Ecclesia D. Petro tutelari numini sacra, Anno salutis M.C. XXI. prima fundatione constructa, turri venustè ornatur, quæ trecentis ferè deinde annis, dehiscentibus fundamẽtis, tota decidit, feliciore casu, quàm vel turris illa Siloë Hierosolymis, vel Alexandrinorũ Theatrum, cuius ruina D.LXXII. oppressit. Nam sine ædium, aut magno indigenarum detrimento, corruit. Anno salutis M.CCC. LXVI. S. Pancratij Collegium, Leidæ, pientissimorum hominum zelo institutum est. Cuius annuos reditus, quemadmodum & omnes vicinarum Ecclesiarũ prouentus, nũc à fundatorum mente alienum in vsum conuerti, vehementer dolendum.

7. LOXA, Regni Granatensis, aeris, soliq; præstantia, elegans oppidum.

18. LYMBVRGVM, oppidum, eiusdem nominis ducatus Metropolitica dignitate clarum, cuius situs, præcelso monte conspicuus, habitatores in tuto collocans, ab hostium metu liberat.

M.

50. MANTVA, Lombardiæ vrbs est clarissima, ab Ocno filio Tiberis, & Mantus Tiresiæ Thebani vatis filiæ, ad Padum condita, & à nomine Matris eius, Mantua appellata. Vnde Virgilius lib. 10. Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris, Fatidicæ Mantus, & Tusci filius amnis. Qui muros matrisque dedit tibi Mantua [illegible] clarissimo, illustrissimoq; Principe Virgilio Marone gloriatur Mantua, cuius tenuis ingenium tam omnes efferre decet, quàm imitari pauci possunt. Quemadmodum porrò ad Adriam æquè atq; ad Pontum Euxinum studiosissimè olim enutriebantur equi: quamuis Strabo suo tempore hoc studium prorsus defecisse fateatur. Addit Dionysium hinc sibi genus, ad equestre certamen petiuisse, & tota Græcia, equinæ sobolis claritatem apud Venetos præcipuam fuisse. Ita nostra ætate apud Mantuanos, generosa equorum proles, magna cura educatur, qui cum loca colant lacubus & paludibus plena, non multum à Venetorum natura, & prisca consuetudine recedunt.

12. MASSILIA, vrbs, in Narbonensi Prouincia, Macedonibus Astyage, Hebræis verò Sedechia imperante condita, circa secundam & quadragesimam Olympiadem, annis, ante, quàm virgo pareret D.CXIII. post obitum Dauid Regis annis CCCC.LXXXIV. diruta deinde, à Phocensibus instaurata est, qui Cyri tyrannidem fugientes, destituta Græcia, in hunc sinum nauigarunt. Olim Massiliæ studia ingenuarum doctrinarũ adeo floruerunt, vt Romani, pro attica peregrinatione Massilioticum peterent gymnasium, ad disciplinas capessendas. Plaut. in Casin. Massilienses mores, tanquam optimos, & probatissimos dixit. vbi, inquit, Tu es, qui colere mores Massilienses postulas. Massiliensium mores, institutaq, summis laudibus extollit Cicero, cum alibi sæpè, tum præcipuè in oratione, pro L. Flacco, cuius hæc sunt verba: Neque verò te Massilia prætereo, quæ L. Flaccum militem quæstorem cognouisti, cuius ego ciuitatis disciplinam, atq; grauitatem non solùm Græciæ, sed haud scio, an cunctis gentibus ante ponendam iure dicam, quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguisq, diuisa, quum in vltimis terris cincta, Gallorum gentibus, Barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernarur, vt omnes eius instituta laudare facilius possint, quàm emulari. Inclytam autem fuisse clarissimo gymnasio in Agricole vita Tacitus quoque testatur, quum socerum scribit Agricolam statim paruulum sedem ac magistrã studiorum, Massiliam habuisse, locum Græca comitate, & prouinciali parcimonia mistum, ac benè compositum. Lege Strabonem lib. 4. De eius veteribus multa Valerius, lib. 2. De origine verò, & primis initijs, non pauca Iustinus lib. 43. Hæc vini optimi ferax fuit, vnde Martialis. Tu me Massiliæ, ponere vina putes.

15. METIS, ciuitas olim Galliæ, nunc Germaniæ, Metz, vt Celtes tertio Odarũ libro scribit. Antoninus Metenses vocat. Marcellinus lib. 16. Mediò matrices vocat Rudolfus Agricola in epistolis & Lotharingiæ clarum oppidum ait, natura munitum, similiter & Peutinger, Strabo libro 8. Plinius lib. 4. cap. 17. Cæsar eam Mediomatricam nominat, & Galliæ vrbem Ptolomæus lib. 2. Diuiduro nomen ei tribuit, Marlianus inter Belgas & Treuerenses vrbes esse voluit, dicta autem est à Mætio, qui eam fundauit, à Iulio Cæsare deuicta est, Huius versiculi incisionem aiunt apud ipsos fuisse.

Tempore quo Gallis Cæsar, & sua intulit arma,
Tunc Mediomatricam deuicit Mætius vrbem.

Alij, à tribus ciuitatibus ei nomen Mediomatricæ tribuunt, quia media sit, inter Treuerim & Tullium, vt annales nostri dicunt, hic olim Franci habuerunt mansiones, vt Cremonensis ait, Hieronymus, in sup. Eusebij filiũ Clodouei regno partito huc confediſſe scribit. Henricus hanc vrbem obsedit anno C. XI. vt Genblacensi placet. Primus eorum episcopus, Clemens fuit, qui ex Clementis Papæ iussu ibi prædicauit, alij à Frontone Christianos dicunt vt Cremonensis, alij Theodericum primum episcopum illic asserunt. Clemens ecclesiam S. Petri & Stephani extra portas constituit.

28. MIDDELBVRGVM, oppidum mercimonijs in Zelandia florens. est autem Zelandiæ nomen recens, & veteribus incognitum, à terra ac mari constatum, quasi dicas, terram ac solum maritimum: mari enim vndique cingitur, multisque insulis distincta est, nempe, quindecim, tametsi paucis abhinc annis, magnam cladem huic regioni oceanus intulit, cuius sæuitia, atque immanitate, magna Zelandiæ pars, diuulsis ac dissipatis funditus aggeribus, salo oppressa est, atque mari æquata, subsistunt tamen insignes aliquot insulæ, quarum tres præcipuæ cum oceani æstu continenter luctantur, atque immensis sumptibus aduersus barbarum hoc atque indomitum elementum ægrè se tuentur. Inter has Schaldia est, vbi Ziricea, opulentum, & non inconcinnum oppidum videtur. Suetbeuelandia, in qua duæ sunt vrbeculæ, Gousa, & Romersvvalia. Tertia se offert VVallachria, vel ab eius cultore sic denominata, vel, vt conijcio, à Gallis, qui hanc oram frequentabant, qui belgica voce etiam nunc **Walen** vocantur, impuberes eorum, **Waelkens**, aut ab ea Britanniæ parte, in qua versus occidentem consistunt VValli, apud Anglos præcipuæ nobilitatis viri, à Gallis etiam oriundi, quod idioma illorum adhuc indicat. Insula hæc ab ortu Brabantiæ obuersa est, à meridie Flandriæ, ab aquilone, Batauiæ, siue Hollandiæ, ab occasu æquinoctiali, Britanniæ, in quam breuissimus est traiectus, & à qua parte primus in oceanum ingressus quocunque terrarum visum sit, nauigationis cursum dirigere, præbet enim Arnemuda Mettelburgi municipium, tutissimum omnibus portum, fidamq; nauium stationem: nam hic præcipuæ classis, quamlibet numerosa instruitur, in quemcunque oceani tractum velificatio perficitur, cum autem hæc insula præter fundi aliquot appendices, seriusilli annexas (**Bolders**, nostri vocant) octo milliarium ambitum conficiat, vt etiam Scaldia, cui intra centum annos iugerum tria millia auulsa sunt, cultissimis aliquot pagis ac villis distincta sit, tum vnum habet emporium, negotiatorum frequentatione celebre cùm primis ac illustre, Metelliburgum, à Metello, præcipuæ nobilitatis ac consularis dignitatis apud Romanos viro, id nomen vt plerique opinãtur, consequutum, cum ego à Burgo, id est, munito, atque imminentẽ castro, aut arce, rupeque inaccessa, quale apud Romanos, saxum Tarpeium denominatum putem, quod in insulæ huius meditullio, ac velut centro consistat, quæ loca occupare solẽt, ac præsidio munire duces, præfectique regionum, quò ex editiore loco, tanquam è sublimi specula, ac velut in excubijs collocati, omnia spectarent, atque incursionibus hostium obsisterent. Hinc enim apud Belgas emersit Burgimagistri, & Burggrauij dignitas, quod pene hos sit summa potestas, & loci illius præfectura. Nec tamen diffiteor, quin ad huius conditorem referri possit, à quo tali loco hoc propugnaculum, contra hostiles impetus, sit erectum.

44. MISENA, ciuitas Misnensium, à qua nomen regio habet, Ptolemæus Lupfurdum dixit. Peutinger, si benè memini, ex Orobiorũ stirpe, ipsos deducit. Eam vrbem Albis diuidit.

52. MODONA, ciuitas est ad maris littus Peloponnesi, in Messanica regione, quam quum obsideret Philippus Rex Macedonum, Alexandri Magni pater, oculum amisit, ictu sagittæ, quam iecerat Aster oppidanus, cui quoque inscriptum erat, Aster telum Philippo immisit in oculum. Via est peregrinantium Hierosolymam à Venetijs.

47. MOSCOVIA, terra quadringentorum mil liariorum patens, argento dives, tam valido vndique præsidio conclusa, vt nedum aduenæ, verùm indigenæ etiam, absq; literis Ducis exire, atque intrare non possint. Plana omnis regio est, non montosa, nemorosa tamen, & vt plurimum paludosa, plurimis maximis fluminibus Occa, Volha, Druuina, Borysthenesque, & Deneper irrigua, piscibus ob id varijs, & feris abundat, quemadmodum Lithuania, à qua non multum discrepat, nisi quod frigidior est, quia septentrionalior. Vnde pecora parua habet, & communiter mutila. Moscua metropolis regionis duplo maior, quàm Praga Boëmiæ: lignea, vt aliæ ciuitates, ædificia habet, multas plateas, sed dispersas, latissimi campi interiacẽt. Mosca amnis ipsam intersecat. Arx in medio vrbis in plano sita, septemdecim turribus, & tribus propugnaculis adeò pulchris & validis, vt similia vix reperiantur. Sedecim in ea arce ecclesiæ, quarum tres sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, & sancti Nicolai muratæ, cæteræ omnes ligneæ. Tres quoque in ea amplissimæ curiæ, in quibus nobiles aulici morantur, palatium, in quo dux est, Italico more constructum, pulcherrimum, sed non amplum, multos nobilissimos ducatus habet, ex quibus, ingruente bello, plus, quàm ducenta millia hominum, duobus, aut tribus diebus contrahuntur. A qua genti potus, & medo, liquorq; fermentatus, quem quassetz vocant. Arant ligneo aratro, frondibus arborum, aut spinis arpicant, segetes propter longum frigus, rarò matureſcunt, ideoque in stubis desiccant, triturantque, aromatibus, & sublimatis calfactorijs contra frigus, varijs vtuntur. De auena & melle, a quam ardentem, siue sublimatum faciũt, & lacte etiam, adeò forte etiam, vt sæpius ab eo inebrientur. Vino, & oleo carent. Ne inebrientur, inebriantem potum omnem terræ princeps, capitis pœna prohibuit, bis aut ter tamen in anno conceditur. Monetam habent argenteam, maiorem & minorem, non rotundam, sed quadrangularem, oblongam.

N.

20. NAMVRCVM, iuxta Mosam, ad ostium Sabis fluminis elegantissimum sane oppidum, & marmore subcinericeo nobile, id quidam Namurram, vulgariter vocant, Namur, id est, nouus murus.

29. NOVIOMAGVS, ex quatuor Gelriæ ciuitatibus, Ruremunda, ni mirum, Arnhemio, & Suitfania, nominis vetustate, populi frequentia, & opum magnitudine primas tenet. Alij Nouiomagum, alij Noiomagum, alij Nouimagum, alij Neomagus in fœmino genere dicunt. Est, qui & Neomegiam vocet, ne dicam Nimmegam. Partim in cliuo, partim in plano

situm, patria, & natale solum, eruditissimi, facundissimiq; viri, & studiosorum omnium Mecœnatis Franciſci Craneueldij, qui Cęſari Carolo à conſilijs Mechlineæ fuit.

33. NOVESIVM, alijs Noueſum, alijs Nuſia, Germanicè **Neuß**/oppidũ Colonienſis dioccęſis, Rhenoq; fluuio, & Cliuenſi ducatui proximum, citerioris Rheni ripas attingens, à Tacito, & Antonino memoratum. Illic filiam Burgundiæ regis matrimonio ſibi Maximilianus Imperator iunxit. Fœdo cõflagrauit, noſtra ætate, incendio, qua Coloniam itur. Ibi S. Quirini numen in veneratione eſt. Patria eſt ac natale ſolũ præſtantiſimi ac celeberrimi viri D. Chriſtophori Fabri, Archiantiſtitis Moguntini Cancellarij, ſingularis & vnici ſtudioſorum patroni.

O.

42. OENIPONS, quibuſdam Enipontus, Teutonicè, **Inſpruck**/nitidiſsimum, & omnium elegantiſſimum comitatus Tyrolenſis oppidum, Illuſtriſsimi Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, inclyta ſedes.

2. OXONIVM, Ad Thameſin flumen in Anglia florenti inſula, litterarum ſtudijs, famoſum oppidum.

P.

52. PARENS, venuſtum Hiſtriæ opp. ad Adriatici maris littus, à Venetijs centum milliaribus Italicis diſtans.

5. PENNON de Velis, Africæ opp. vulgari Hiſpanis idiomate, Velles de Gumenera.

51. PVTEOLI, ciuitas Campaniæ, ab aquæ calidę putore dicta, vt inquit Feſtus: licet alij putent, à multitudine puteorum, earundem aquarum gratia factorũ. Hæc etiam vocata eſt Dicœarchia, à iuſtitia adminiſtrationis, & gubernationis: à Samijs condita, vt voluit Euſebius, eo tempore, quo Tarquinij à Bruto ſunt expulſi.

R.

11. ROCHELLA, Galliæ oppid. medium ferè locum inter Pictonũ & Xanctoigne regiones, ſitu occupat, munitiſsimis circumuallata muris, & propugnaculis ad ſecuritatem firma, opibus potens, quæ cum elatiores plerumq; animos gignant, videban- ſiquidem incolæ ſe loco admodum propitio ac tuto, naris ferè dominium tenere, vix potuerunt adduci, vt Gubernatorem alium, quàm qui ipſorum voluntati placeret, admitterent. Itaque Franciſcus primus eius nominis Gallorum Rex, Anno Chriſti M.D.XLII. vt quorundam inſolentiæ frenum iniiceret, pecuniaria primùm pœna mulctatos, XX. eos viros, cum Maiore ad Reipub. gubernationem recipere coëgit, cum ijs, qui ex Gubernatoris deſignatione, publicis muneribus obeundis, viderentur idonei. Cum antè penes ciues libera Magiſtratus eſſet electio.

49. ROMA, nobiliſsima, & bellicoſiſsima Italiæ vrbs, regina vrbiũ, & totius orbis caput, quę penè totũ, ſub ſuum imperium ſubegerat. Verum ſua tandem mole, tantum imperium corruit, cum nimirum hos gentium prædones, &, vt ita dicam, tyrannos orbis terrarum, diuina tandem iuſtitia mulctaret. Non illis Italia, totius Europæ florentiſsima prouincia ſufficiebat, non Illyricum, non Dalmatia, non inſulæ maris Tyrrheni, quæ quidem omnia iamdudũ conſenſu quodam orbis, cum pace poſsidere, & his frui, citra contradictionem poterant. Verum inſatiabilis, & execranda cupiditas, in immenſum eos auaritiæ pelagus, protraxit: Ideo, cum tempus aduenisſet vltionis diuinæ, ex abſcondito quodam orbis angulo, vbi putabatur vaſtitas quædam eſſe terrarum, incolis carens, tantumq́ue feris habitata beſtijs, vno momento, tanta hominum inundatio prorupit, quæ totum orbem opplere poſſe videretur. Tum ſtatim à Gothis ablata Romanis omnis ferè Græcia, inſuper Italia, & Hiſpania, à Bulgaris Dacia atq; Miſia, à Vandalis tota Africa, à Francis Germania & Gallia, à Saxonibus Britãnia, à Sclauis Sarmatia, Dalmatia, Illyricũ, nec multò pòſt, à Saracenis, Aegyptus, Arabia, Syria, Chaldæa, à Tartaris, Armenia, Hyrcania Colchis & quicquid ad mare Caſpium & Hyrcanum ſpatij interiacet, à Turcis vniuerſa minor Aſia, cum Cappadocia Ponto Bitinia, & reliquis, ad Perſarũ vſq; terminos, Aſiæ prouincijs, à Perſis, quicquid in Indiam vſque porrigitur. Conſimili de cauſa, barbaram & immanem Turcarum potentiam, vaſtumq́; ac latum imperium, ſua tandem mole ruiturum ſpero.

36. RVBEAQVVM, alij, RVFACVM, & Rubiacum, **Rufach**/Alſatiæ ſuperioris oppidum, in quo ad S. Valétini caput, magnus deuoti populi cõcurſus videtur. Illic Dagobertus, Auſtraſiæ rex, horas ſuas deſcripſit, cuius & hodie veſtigium manet, perdito filio ſuo venando, & illo iterum reſtituto per S. Arbogaſtum, oppidum hoc Argentinenſi Epiſcopatui conceſsit, cæterum, antiquiſsima vrbs eſt, Quam Henricus Cæſar, eius nominis quartus, hac occaſione euaſtauit. Primum, inter aulæ cæſareæ miniſtros, & ciues ipſos, neſcio, ob quale iniuriarum genus, nata turba, ſit vtrinque magnus concurſus, nec deeſt Cæſar ſuis. Sed, cum ciues multitudine prævalerent, hoſtes iſti fuga ſibi conſulere coacti ſunt. Non pauci, in ea conflictatiuncula ceciderunt, interim ſarcinas, & regia ſcrinia, plebs intercipit, in quibus Cæſareus cultus ſeruabatur, Hanc prædam non ante reſtituerunt, quàm impunitatem, & iniuriæ veniam ſibi impetraſſe viderentur. Sed vlturus Cæſar eorum rebellionem, exercitu collecto, nec opinantes obruit, & oppido potitus, cædibus & incendio cuncta deformauit. Adhuc apparent ruinæ, & areæ, vacuæ, multis in locis, vt demirer, eam iacturam tanto æui ſpatio, nondum reſarciri potuiſſe. Huius oppidi calamitas, nihil vicinæ Colmariæ nocuiſſe videtur.

S.

52. SIBENICVM, vulgò, Sibenicho, ad Hadriatici maris littus Venetis in Dalmatia paret.

33 SONTINA, **Zunß** ad ſiniſtrum Rheni latus, Dioccęſis Colonienſis, oppidulum.

TRA-

T.

21. TRAIECTVM, ad Moſam, quod ſuperius nominant, ad differentiam ciuitatis, quæ in Hollandia eſt, ſedes quondam Epiſcoporum Tungrenſium, quæ inde Leodium eſt tranſlata, Latinum à Romanis, nomen habet, quod olim non ponte, ſed nauibus hic Moſa traijciebatur. De hoc oppido, à quibuſdam annotatum eſt, eius adoleſcentes, præcoci quidem eſſe plerumque ingenio, ſed rarò ad litterariam frugem peruenire, atq; hoc adeò perpetuum eſſe, vt cum innumeros ex patria Leodienſi iuuenes, ſub ſe multos annos, quibus ſcholæ Colonienſi, inſigni doctrina, & pietate, Doctor Arnoldus à Tungris præfuit, litteris operam nauantes, qui litterariæ militiæ egregium fructum retulerunt, & in doctos viros euaſerunt, ſola Traiectenſis ciuitas, ſemper ſterilis remanſerit. Pleniorem huius vrbis deſcriptionem Guiziardinus ſuppeditat in ſua Belgia.

57. TVNES, maxima Africæ vrbs, Scipionis tempore tumulus editior fuit, vnde Carchedonios ad Romanam claſſem exurendam proficiſcentes, Scipio ſpectauit. Regis Lybici ciuitas metropolis, in qua velut ampliore loco habitare, & Tuneſæus rex, appellari conſueuit. De cuius aula, varijsq́; in ea ritibus, & cæremonijs, multa Ioannes Leo, de rebus Africis, libro V. Carthagine, à Scipione deleta (ea victoria plúſne mali, quã boni populo Romano attulerit, quintus Metellus probabiliter diſputat, apud Valerium Maximum lib. 7. ca. 2.) vires, incrementaq́; ſumpſit. Tunetenſem hanc vrbem Eutropius lib. 4. continuis ſedecim diebus arſiſſe perhibet. Mauris erepta, & in Chriſtianorum poteſtatem redacta eſt à Carolo V. Romanorum Cæſare, Anno partæ Salutis, M. D. XXXV. Iam noſtro æuo, à Turcis expugnata, Anno M. D. LXXIV. muris diruti, ciuitatis formam amiſit.

V.

5. VEGEL, Hiſpaniæ Beticæ præſtans oppidum.

5. VELIS MALLAGA, venuſtum Hiſpaniæ oppidum.

16. VESONTIO, antiquiſsima, & celeberrima Sequanorum in Celtica Gallia vrbs imperialis, metropolico honore conſpicua, Gallis Beſanſon, Germanis verò **Bizantz**.

2. VINDESORIVM, amœniſsimum Angliæ caſtrum, virentium arborum peramœna corona, aruis, paſcuis, ac pratis, perenni viriditate veſtitis, circumſeptum, vti eius inſulæ Principi, amœniſsimos receſſus, ita equeſtri Garetteriorum militum ſocietati, tecta vitæq; neceſſaria, ex ampliſsimis Regum fundationibus, præbet.

36. VVISSENBVRGVM, vrbem imperialem non procul à Rheno, ad Vegaſi montis radices, Sebuſianorum nomen tueri, multi adfirmant. Nam Alemani, more ſuo, Sebuſium, primore ſyllaba ſpoliantes, & V. pro B. vſurpantes, iam habebant Vuſium. Cui Burgum adiecerunt, & factum eſt Vuiſunburgum, quod hodie, etymi iſtius ignari, VViſenburgum, omnes appellitant, putaturq́ue caſtrum album ſignificari. Itaque VViſſenburgum eſt Sebuſum, ipſi ciues & accolæ, erunt Sebuſij, & Sebuſiani, quemadmodum Marcellinus vſurpat.

X.

6. XERES, de la frontera, Andaluſiæ Prouinciæ in Hiſpania vrbs celeberrimi nominis.

A°. 1582.

FINIS.

COLONIAE PROSTANT
APVD AVCTORES, ET ANVERPIAE,
APVD PHILIPPVM GALLAEVM.

INDEX